

teratus dicitur maior propter sui excellentiam, & destinationem ad maximum munus, nempe consecrandi; Ordines verò Diaconatus & Subdiaconatus etiam dicuntur maiores, quia Diaconus & Subdiaconus immediatè & proximè assistunt & ministrant in altari Presbytero consecranti: reliqui verò quatuor Ordines dicuntur minores, quia sunt inferiores tribus dictis, & ad actiones inferiores, & quibus non ministratur immediatè Presbytero solemniter consecranti.

Circa secundum conueniunt Doctores, Ordines Presbyteratus, Diaconatus & Subdiaconatus esse sacros, vt constat ex cap. *A multis*, de Ætate & qualitate ordinandorū, & ex can. *Nullus*, dist. 6. quamuis olim Ordo Subdiaconatus non fuerit sacer, vt dicitur in d. cap. *A multis*; reliquos verò quatuor non esse sacros. Tres priores dicuntur sacri, non quia sint Sacramenta, quia ob hanc rationem Subdiaconatus semper fuisset sacer, quia semper fuit Sacramentum; sed quia ipsis est annexa obligatio non contrahendi matrimonium, & consequenter etiam non fornicandi, quo dicti ministri Deo sacrantur.

Circa tertium, ab infimis Ordinibus incipiēdo, Oltarijs seu Ianitoribus in Pontificali (in quo singulorum officia assignantur) attribuuntur, Primò, aperire Ecclesiam & Sacrarium; Secundò, aperire librum ei qui prædicat, quod iam non est in vsu; Tertio, percutere cymbalum & campanam, subintellige tempore Sacrificij.

Lectoribus in Pontificali attribuuntur, Primò, legere ea quæ prædicantur; Secundò, lectiones cantare; Tertio, benedicere panes, & omnes fructus novos, in quo ipsis assignantur munera quæ Subdiaconis, & Diaconis, & Presbyteris conueniunt; ea tamen absque dubio Lectoribus cum minore solēnitate conueniebant. Quomodo autem ab ipsis fierent, conijci nequit, quia iam diu nō sunt in vsu.

Exorcistis in Pontificali attribuuntur, Primò, per impositionem manus dæmones ab energumenis pellere; Secundò, dicere populo, vt qui nō communicat, det locum alteri volenti communicare; Tertio, aquam in ministeriū, Baptismi videlicet, fundere. Obseruat Vasquez ex Alcuino, peculiare esse inter minores Ordines, vt qui non est Ordine Exorcistatus insignitus, nequeat vti officio exorcizandi, quia ita moribus receptum est.

Acolythis in Pontificali attribuuntur, Primò, ceroferrarium ferre, ob quod etiā dicuntur Ceroferrarij; Secundò, luminaria Ecclesiæ accendere; Tertio, vinum & aquam ad Eucharistiam ministrare.

Subdiaconis (id est Subministris) in Pontificali attribuuntur, Primò, aquam ad ministeriū altaris præparare; Secundò, pallas altaris & corporalia abluere; Tertio, Diacono ministrare, id est, subseruire in his quæ pertinent ad Sacrificiū; Quarto, eidem calicem & patenā in vsu Sacrificij offerre; Quinto, Epistolam in Sacrificio Missæ canere; Sexto, in Pontificali indicatur ad Subdiaconos pertinere, oblationes populi suscipere, & supra altare ponere.

Diaconis, vt potè per antonomasiam ministris Presbyterorum, in Pontificali attribuuntur, ministrare ad altare, baptizare & prædicare: sed baptizare (imò & prædicare) non conuenit illis, nisi ex commissione Presbyteri, & graui necessitate existente, & etiam absque dicta commissione in extrema necessitate, & absente Presbytero, vt diximus Tractatu de Baptismo, Disput. 11. Diffic. 11. Inter ministeria autè ad altare quæ Diacono conueniunt,

præcipuè olim fuit administratio Sanguinis populo, quæ iam non est in vsu, & conueniebat illis eo modo quo baptizare; & nunc ipsis conuenit cantatio Euangelij in Sacrificio Missæ, quæ an eis conueniat ex vi suæ ordinationis & institutionis Christi, dicemus Difficul. XII. Eis quoque olim conueniebat dispensatio seu administratio bonorum Ecclesiæ in pauperes, vt constat ex Legenda S. Laurentij, nō ex vi suæ ordinationis, sed ex institutione Ecclesiæ imitantis Apostolos, qui Act. 6. elegerunt Stephanum, & alios sex viros Spiritu sancto plenos, vt quotidianum victum in pauperes distribuerent, qui viri postea ordinati fuerunt Diaconi, de quo Vasquez disp. 236.

Presbyteris seu Sacerdotibus in Pontificali hæc quinque; attribuuntur, offerre videlicet, benedicere, præesse, prædicare & baptizare. Offerre idem est quod consecrare & sacrificare; & sub verbo *præesse*, quod pascere & regere significat, etiam comprehenditur absoluerè a peccatis: & ex dictis quinque muneribus, benedicere populum videlicet, & fructus, & aquam, & alia, ipsis tantum conuenit iure humano; reliqua verò quatuor illis conueniunt iure diuino.

Episcopis verò, qui sunt Presbyteri perfecti & cōpleti, in Pontificali attribuuntur iudicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, & baptizare, quæ omnia Episcopo conueniunt ex institutione Christi. Sub verbo *iudicare* nō tantum significatur iudiciū in foro conscientie circa peccata, sed etiam in foro exteriori & iudicali: & verbo *interpretari* significatur prædicatio verbi diuini: & verbo *consecrare* significatur consecratio Christiatis, imò etiam administratio Confirmationis: & verbo *offerre* significatur consecratio & sacrificatio.

Vnde ex dictis sex muneribus, quæ Episcopo conueniunt, tria etiam conueniunt simplicibus Sacerdotibus, nempe interpretari, offerre, & baptizare, imò etiam quadam pars muneris iudicandi; quia etiam eis conuenit iudicare peccata in foro interiori conscientie.

DIFFICULTAS VI.

Vtrum Ordo sit Sacramentum nouæ Legis.

Nomine *Ordinis* intelligimus ordinationem ipsam, qua Ordo cōfertur, quæ ab effectu, quem confert, dicitur Ordo: & nō procedit difficultas de omnibus Ordinibus seu ordinationibus determinatè, sed de ordinatione seu Ordine vagè, & quasi in vniuersum, an scilicet aliqua ordinatio, siue hæc siue illa, sit Sacramentum nouæ Legis gratiam conferens.

Lutherus lib. de Captiuitate Babylonica, cap. de Ordine, Illyricus in Confessione Antuerpiensi c. 11. & Kemnitius 2. par. Examinis, negant esse ordinationem aliquam in Sacramentum institutam.

De fide tamen est, Ecclesiasticā ordinationem, siue hanc siue illam, esse Sacramentum nouæ Legis, gratiam conferens. Quod definitum est ab Eugenio IV. in suo Decreto, & à Tridentino sess. 7. c. 1. de Sacram. in gen. & sess. 23. c. 3. & id tradiderunt Innocentius I. Epist. 18. c. 3. Leo I. Epist. 81. & 87. c. 1. Anastasius II. Epist. ad Anastasium Imp. c. 7. Dionysius de Eccles. Hier. cap. 7. Nyssenus Oratione de Sacro Baptismo, Ambrosius de Dignit. Sacerd. c. 5. Augustinus lib. 2. Contra epist. Parmeniani, c. 13. & Gregorius I. 4. in c. 10. l. 1. Reg.

Vasquez.
Alcuinus.

Vasquez.

Lutherus.
Illyricus.
Kemnitius.

Eugen. IV.
Trident.
Innoc. I.
Leo I.
Anast. II.
Dionysius.
Nyssenus.
Ambrosius.
August.
Gregorius.

Et id indicat Paulus 1. ad Timoth. 4. dum ait: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij.* Et 2. ad Timoth. 1. dum ait: *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* In quibus locis dicitur, ordinationem fieri rite sensibili, impositione videlicet manuum, & per hanc conferri gratiam. Hanc autem esse sanctificantem, deducitur ex verbis, quibus statim explicat qualitatem illius, ex illis videlicet: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis.* Et id etiam indicat Christus Ioan. 20. dum Discipulos suos ordinans partialiter in Sacerdotes, insufflans in eos dixit, *Accipite Spiritum sanctum*, quibus indicat, in ordinatione Sacerdotis conferri gratiam sanctificantem.

DIFFICULTAS VII.

Utrum ordinationes Episcopi & Presbyteri sint Sacramenta nouæ Legis.

Conueniunt Catholici, ordinationem Presbyteri seu Sacerdotis esse Sacramentum nouæ Legis, gratiam conferens. Quod constat ex Tridentino sess. 23. canonibus 1. & 2. inter se comparatis. Et quidem si alicui ordinationi conuenit esse Sacramentum nouæ Legis, maximè ordinationi Presbyteri, quia per eam confertur Presbytero potestas consecrandi, & potestas absoluedi à peccatis, quæ sunt maximæ & excellentissimæ omnium, & ad quarum exercitium gratia Sacramentalis non est parum utilis.

Est tamen difficultas, An ordinatio Episcopi, prout distincta ab ordinatione Presbyteri, & ipsi superaddita, sit Sacramentum nouæ Legis.

Richardus. Richardus in 4. d. 24. art. 5. q. 2. Scotus quæst. 1. Bonauentura par. 2. dist. art. 2. q. 3. Sotus q. 1. art. 3. & Couarruias l. 1. Variarum resolut. c. 10. n. 15. partem negatiuam tuentur. Primò, quia Episcopatus, prout superadditus Sacerdotio, non sit Ordo: Secundò, quia in ordinatione Episcopi nulla sit materia neque forma.

Durandus. Durandus verò in 4. dist. 24. q. 6. Medina l. 1. de Continentia, c. 15. Bellarminusc. 5. Valentia disp. 9. q. 1. par. 4. Vasquez disp. 240. c. 4. Egidius disp. 20. dub. 6. Adamus disp. 7. q. 2. dub. 2. Becanus c. 26. q. 3. & Sebastianus Casar q. 4. proœmiali §. 3. partem affirmatiuam meritò tradunt, quam indicat Paulus 1. ad Timoth. 4. & 2. ad Timoth. 1. dum in eis significatur, ordinationem, de qua ibi est sermo, esse Sacramentum gratiam conferens: in eis autem sermo est de ordinatione Timothei in Episcopum, superaddita ordinationi ipsius in Presbyterum: & eam etiam indicat Tridentinum sess. 23. c. 3. dum probat, sacram ordinationem esse Sacramentum gratiam conferens, ex illo 2. ad Timoth. 1. quia in hoc loco sermo est de ordinatione Episcopi, ut superaddita ordinationi Presbyteri.

Trident.

Et ratione Theologica probatur: Quia in ordinatione Episcopi absolute & simpliciter confertur Spiritus sanctus, ergo in ea confertur gratia sanctificans. Consequentia probatur; quia Spiritus sanctus non confertur simpliciter, nisi media gratia sanctificante. Antecedens autem constat, tum ex Tridentino sess. 23. can. 4. ubi generaliter dicitur, per sacram ordinationem conferri Spiritum sanctum; tum ex forma ordinationis Episcopi, in qua ordinans dicit, *Accipe Spiritum sanctum.*

Trident.

DIFFIC. VII. & VIII.

Ad primam ergo rationem aduersariorum constat ex Difficul. 111. Episcopatum, ut à simplici Sacerdotio distinctum, esse Ordinem Ecclesiasticum. Et ad secundam constabit Difficultate x.

DIFFICULTAS VIII.

Utrum ordinationes Diaconi & Subdiaconi sint Sacramenta nouæ Legis.

Durandus in 4. dist. 24. quæst. 2. & Caietanus tom. 1. Opusc. Tract. 11. docent, neque ordinationem Diaconi, neque ordinationem Subdiaconi esse Sacramentum nouæ Legis: & quoad ordinationem Subdiaconi, id etiam docent Magister in 4. dist. 24. & Gratianus in suo Decreto dist. 21.

Et id generaliter probatur quoad utramque ordinationem. Primò, quia Sacramentum ordinationis confertur, ut quis fiat potens ad cõficienda Sacramenta, sicut Sacramentum Baptismi confertur, ut quis fiat habilis ad recipiēda reliqua Sacramenta: sed neque per ordinationem Diaconi, neque per ordinationem Subdiaconi, confertur potestas aliqua ad cõficienda Sacramenta; ergo non sunt Sacramenta, sed tantum præparationes quædã ad Sacramentum Sacerdotij, sicut exorcismus & catechismus ad Sacramenta Baptismi. Secundò, quia per neutram ordinationem imprimitur character, ergo neutra est Sacramentum. Consequentia patet, quia per Sacramentum Ordinis imprimitur character. Antecedens autem probatur, quia character est potestas ad faciendum aliquid, quod absque ipso non solum nõ fit licitè, sed neque simpliciter fieri potest; per ordinationes autem Diaconi & Subdiaconi nulla datur potestas necessaria, ut aliquid simpliciter fiat, sed tantum ut fiat licitè; quia quidquid efficiunt Diaconus & Subdiaconus, fieri potest à quolibet alio, quamuis non licitè: ergo per illas nullus imprimitur character. Tertio, quia si ordinationes Diaconi & Subdiaconi essent Sacramenta, essent plura quam septem Sacramenta. Quarto, quia ordinationes Diaconi & Subdiaconi nõ sunt à Christo institutæ, ut indicat Anaclerus Epist. 13. cap. 1. dum postquam enumerauit Ordinem Episcoporum, & Ordinem Sacerdotum, ait: *Amplius quam isti duo Ordines, neque nobis à Deo collati sunt, neque Apostoli docuerunt.* Ergo non sunt Sacramenta nouæ Legis, quia nullum est quod non sit à Deo institutum.

Quintò, id specialiter de ordinatione Diaconi probatur; quia ordinationis Diaconi ad altare nulla fit metio in Scriptura, sed tantum ad ministerium mensæ, ad quod nullum Sacramentum recipiebatur. Sextò, id specialiter probatur de ordinatione Subdiaconi; quia huius ordinatio confertur absque manuum impositione, quæ ad Sacramentum Ordinis necessaria est, quia Sacramentum Ordinis per eam significatur. Septimò, quia ordo Subdiaconi non fuit sacer ab initio Ecclesiæ, ut constat ex can. Nullus, dist. 60. & ex cap. *A multis*, de Etate & qualitate ordinandorum: ergo ordinatio Subdiaconi non fuit à Christo instituta in Sacramentum, quia ex tunc ordo Subdiaconi esset sacer.

S. Thomas verò in 4. d. 24. q. 2. art. 1. q. 3. Bonauentura art. 1. q. 1. Richardus art. 3. q. 3. Paludanus art. 3. quæst. 1. Valentia disp. 9. q. 1. par. 4. Vasquez disp. 238. Egidius disp. 28. dub. 6. & Adamus disp. 7. q. 2. dub. 2. & Sebastianus Casar q. 4. §. 2. docent, & meritò, ordinationes Diaconi & Subdiaconi esse Sacramenta nouæ Legis.

Et

Anast II.
Trident.

Et in primis ordinationem Diaconi esse Sacramentum nouæ Legis (in quo contra Durandum & Caietanum conueniunt reliqui Doctores) expressit Anastasius II. in Epist. ad Anastasiū Imperatorem c. 7. & satis significat Tridentinum sess. 23. can. 6. dum ait: *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam diuina ordinatione institutam, que constat ex Episcopis, Presbyteris, & ministris, anathema sit.* vbi per *ministros* vt minimum Diaconi intelliguntur. Si ergo ordinatio Diaconi instituta est à Christo, sicut ordinatio Presbyteri & Episcopi, absque dubio etiam fuit instituta in Sacramentum, sicut ordinatio Presbyteri & Episcopi. Et id ratione Theologica constat: quia in ordinatione Diaconi ordinans dicit, *Accipe Spiritum sanctum*; ergo per eam confertur gratia sanctificans, mediâ quâ Spiritus sanctus simpliciter & absolutè confertur, siue dictis verbis, & impositione manuum facta ab Episcopo sub illis, siue traditione libri Euangeliorum, & verbis ipsi correspondentibus, siue omnibus simul, de quo dicemus Difficul. xi. 1.

Deinde ordinationem Subdiaconi esse etiam Sacramentum nouæ Legis, probatur eisdem testimonijs, & eadè ratione, quibus Difficultate sequenti id probabimus de quatuor minoribus ordinationibus. Et sanè ratio Sacramenti non minori ratione conuenit ordinationi Subdiaconi, quàm ordinationibus quatuor minorū Ordinum; imò maiore; quia Subdiaconatus est Ordo illis perfectior, vt pote institutus ad ministrandum proximè in altari Presbytero consecranti, quod non conuenit minoribus Ordinibus.

Ad primam ergo rationem aduersariorum negamus, Sacramentum Ordinis quoad omnes Ordines conferri, vt ordinatus fiat habilis ad conficienda Sacramenta, quamuis Baptismus conferatur vt quis fiat habilis ad recipienda reliqua Sacramenta.

Ad secundam negamus, per ordinationes Diaconi & Subdiaconi non imprimi characterem, & ad probationem etiam negamus, omnem characterem esse necessarium, vt aliquid simpliciter fiat, imò neque vt licitè fiat, vt patet in characterem Confirmationis, absque quo fieri potest adhuc licitè propugnatio fidei, ad quam ordinatur Confirmatio: quia iste tantum imprimitur vt stabiliter ornet animam, & constituat militem deputatum ad defensionem fidei.

Ad tertiam respondemus, quòd quamuis sint plura quàm septem Sacramenta in specie infima, sed non in specie subalterna; sicut etiam virtutes Cardinales sunt tantum quatuor, & tamen aliquæ earum sub se continent aliquas species infimas.

Ad quartam negamus, ordinationes Diaconi & Subdiaconi non esse institutas à Christo, vt de ordinatione Diaconi constat ex Tridentino can. illo 6. & de ordinatione Subdiaconi ex eo, quòd Ignatius Epist. 11. ad Antiochenos, & Clemens Epistola 2. ad Fratrem Domini, & alij antiquissimi Patres illius meminerint.

Ad quintam respondemus, quòd quamuis in Scriptura non fiat mentio ordinationis Diaconi ad altare, id tamè constat ex traditione & vsu Ecclesiæ.

Ad sextam concedimus, ordinationem Diaconi fieri absq; manuum impositione; negamus tamen, hanc esse generaliter necessariam ad Sacramentum Ordinis, quamuis necessaria sit ad ordinationem Presbyteri, & ad ordinationem Episcopi, quæ sunt Sacramentum; ob quòd Sacramentum Ordinis (cuius ratio principalis conuenit dictis duabus

Trident.
Ignatius.
Clemens.

ordinationibus) aliquando manuum impositione significatur.

Ad septimam respondemus, quòd quamuis Ordo Subdiaconi non fuerit ab initio sacer, vt diximus Difficul. v. nihilominus potuit ab initio esse Sacramentum, quia ex eo solum dicitur sacer, quia ipsi annexa est obligatio seruandi castitatem, & non quia sit Sacramentum.

DIFFICULTAS IX.

Vtrum quatuor minores ordinationes, & collatio primæ tonsuræ, sint Sacramenta.

Conueniunt Doctores, vno excepto Ayala oppositum insinuante, collationem primæ tonsuræ non esse Sacramentum; quia prima tonsura non est Ordo Ecclesiasticus: est tamen difficultas circa quatuor minores ordinationes.

Magister in 4. dist. 24. Sotus q. 1. art. 4. Gratianus in Decreto dist. 21. Vasquez disp. 237. c. 2. Medina l. 1. de Continentia, c. 46. & plures alij docent, quatuor minores ordinationes non esse Sacramenta: quia non fuerunt à Christo institutæ; quia in primitiua Ecclesia non fuerunt omnes quatuor minores ordines, quia Acolythatus nulla fit mentio vsq; ad Cyprianum & Corneliū, qui ducentis & quinquaginta annis post Christum vixerunt: & quamuis Exorcistatus fuerit in primitiua Ecclesia, cuius mentionem faciunt Clemens & Ignatius, tunc tamen non fuit Ordo; quia, vt affirmat Clemens l. 8. Instiguit. c. 26. aliàs 22. non fiebat ordinatione, & ab Episcopo, & illum reducit ad gratiam sanitatum.

Magister.
Sotus.
Gratianus.
Vasquez.
Medina.

S. Thomas verò in 4. dist. 24. q. 2. art. 1. quæst. 3. Bonauentura art. 1. q. 1. Richardus art. 3. q. 3. Valentia disp. 9. q. 1. par. 4. Couarruias 1. Resolutio- num c. 10. Ægidius disp. 20. n. 47. Adamus disp. 7. q. 2. dub. 2. Sebastianus Cæsar q. 4. §. 1. & plures alij docent, & meritò, quatuor minores ordinationes esse Sacramentum nouæ Legis: quod satis insinuat Eugenius IV. in suo Decreto, dum, postquam definiuit Ordinem esse Sacramentum, & materiam illius esse illum per cuius traditionem confertur Ordo, & assignauit materiam Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus, addit, & *similiter de alijs per rerum ad sua ministeria pertinentium assignationem*; quo absque dubio supponit etiam minores ordinationes esse Sacramentum. Et id etiam indicat Tridentinum sess. 23. c. 2. & 3. & can. 3. quia postquam c. 2. enumerat dictos septem Ordines maiores & minores, postea c. 3. & can. 3. absolutè & absq; vlla limitatione ordinationem appellat sacram, & definiuit esse Sacramentum, ac proinde appellat sacram non in eo sensu, in quo Ordines maiores dicuntur sacri, sed quia est Sacramentum.

Clemens.

S. Thomas.
Bonauent.
Richardus.
Valentia.
Couarrui.
Ægidius.
Adamus.
Sebastian.
Cæsar.
Eugen. IV.

Et ratione probatur, quia quatuor minores Ordines fuerunt in Ecclesia ab initio ipsius; ergo credi potest, collationes ipsorum fuisse à Christo institutas, & ab ipso qui ordinationem instituit in Sacramentum, etiam fuisse in Sacramentum institutas, sicut etiam ordinationem maiorem. Antecedens autem traditur à Tridentino sess. 23. c. 2. dum de Subdiaconatu & de quatuor Ordinibus ait, eorum nomina & ministeria fuisse ab initio Ecclesiæ.

Et id significant Clemens, dū Epist. 2. ad Fratrem Domini, eorum mentionem facit; & Cornelius Pontifex circa annū Domini 255. in Epist. ad Fabianum Antiochenum; & Caius Epist. ad Felicem, & Concilium

Trident.

Trident.

Clemens.
Corn. Pontif.

Conc. Rom. cilium Romanum sub Siluestro can. 2. dum Ordines minores enumerat, vt rem in Ecclesia antiquam. Ex quo constat ad fundamentum aduersariorum.

Quando verò Clemens vbi supra ait, Exorcistam non fieri ordinatione, loquitur de Exorcista qui gratia sanitatum à Deo accepta sanabat energumenos.

DIFFICULTAS X.

Quæ sit materia, & quæ forma in ordinatione Episcopi.

Conueniunt Doctores, materiam proximam in ordinatione Episcopi esse impositionem manuum Episcoporum, & formam esse verba illa simul à tribus Episcopis manus imponentibus prolata, *Accipe Spiritum sanctum*. Quod non obscure deducitur ex Paulo 1. ad Tim. 4. dum sermonem instituens de ordinatione Timothei in Episcopum ait: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij*, id est Conuentus Episcoporum. quia si in ordinatione Episcopi per impositionem manuum Episcoporum, & per prophetiam, id est per verba illa, *Accipe Spiritum sanctum*, confertur gratia, absque dubio manuum impositio est materia proxima, & dicta verba sunt forma.

Quòd autem verba hæc, *Accipe Spiritum sanctum*, ita generalia sint, vt secundum se non denotent peculiarem gradum Episcopi, non obstat vt sint forma; quia quamuis verba illa secundum se non denotent gradum illum, eum tamen denotant, vt prolata à tribus Episcopis manus imponentibus: quia eo ipso, quòd isti tres ministri solius gradus Episcopalis simul congregati, imponentes manus supra caput ordinandi, dicunt, *Accipe Spiritum sanctum*, denotant se eum accipere in suum consortium ad gradum Episcopalem; eisdem verò verbis prolatis ab Episcopo ordinante Diaconum, non denotatur gradus Diaconi (ob quod non sunt forma in ordinatione Diaconi, vt dicemus Difficult. x i i.) quia Episcopus, qui est minister Diaconatus, non tantum est minister Diaconatus, & aliorum inferiorum Ordinum; ac proinde prædictis verbis, quamuis manus imponendo, non magis denotat se admittere ordinandum in suum consortium ad gradum Diaconi, quam ad gradum aliorum Ordinum.

Antonin. Id verò, quod Antoninus 3. par. tit. 14. cap. 16. docet, nempe non tantum impositionem manuum Episcoporum, sed etiam impositionem libri Evangeliorum sub ceruicem consecrandi, esse materiam proximam ordinationis Episcopi, absque fundamento dicitur; quia nullum apparet: imò est contra rationem, quia in Sacramentis ab eodem ministro, à quo adhibetur materia proxima, debet applicari forma, seu proferri (excepto Sacramento Pœnitentiæ, quod institutum est instar iudicij, in quo interueniunt reus & iudex) aliàs minister in illis non denotabit suum ministerium, quod ad valorem Sacramenti requiritur: impositio autem illa libri non necessariò fit ab Episcopis, quia olim fiebat à Diaconis, & nunc fit ab aliquo ex Capellanis, vt dicitur in Pontificali. Et ob rationem dictam id, quod addit Vasquez n. 65. nempe ad substan-

DIFFIC. X. & XI.

tiam formæ ordinationis Episcopi sufficere, quòd verba, *Accipe Spiritum sanctum*, ab vno tantum proferantur, est falsum: quia scilicet in Sacramentis (excepto Pœnitentiæ) ab eodem ministro, à quo adhibetur materia proxima, debet applicari forma. Vnde in Concilio Carthaginiensi IV. can. 2. *Conc. Cart.* qui refertur can. *Episcopus*, de Consecratione, dist. 23. vbi dicitur, *Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum Codicem supra caput & ceruicem eius, & vno supra eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput eius tangant*, per benedictionem non intelligitur prolatio formæ, sed aliqua carimonia accidentalis, quæ tunc erat in vsu.

DIFFICULTAS XI.

Quæ sit materia, & quæ forma in ordinatione Sacerdotis.

Bonauentura in 4. dist. 24. 2. part. art. 1. q. 4. *Bonauent.* docet, totam materiam proximam ordinationis Sacerdotis sitam esse in sola impositione manuum Episcopi, & consequenter, totam formam sitam esse in solis illis verbis ei correspondētibus, *Accipe Spiritum sanctum, quorum remisit peccata, &c.* Quod deduci videtur ex eo, quòd in Concilio Carthaginiensi IV. & apud antiquos Patres, tantum reperitur mentio impositionis manuum Episcopi pro ordinatione Sacerdotis, & non reperitur mentio alterius materiæ. Et ratione probatur, quia per impositionem manus, vtpote instrumenti instrumentorū, sufficienter significatur maximum Sacerdotij ministeriū, & potissima Sacerdotis actio; ergo per eam impositionem solam, tamquam per materiam, confertur Ordo Sacerdotalis; quia quoties aliquis Ordo habet plures actiones, potestas illius tantum confertur traditione materiæ, & verbis, quibus significatur præcipua actio illius.

Richardus in 4. dist. 24. art. 4. Durandus q. 3. *Richardus.* art. 2. Tapperus art. 17. §. *De materia,* & Valentia *Durandus.* disp. 9. q. 1. pun. 5. docent econtrà, totam materiam proximam in ordinatione Sacerdotis sitam esse in traditione Calicis cum vino, & Patenæ cum pane, & totam formam in verbis dictæ traditioni correspondentibus, nempe, *Accipe potestatem offerendi Sacrificium, &c.* Quod videtur indicare Eugenius IV. in suo Decreto, dum pro ordinatione Sacerdotis non assignat aliam materiam, quam traditionem dictam, neque aliam formam, quam verba ipsi traditioni correspondentia. Et id etiam videtur indicari in cap. *Presbyteris*, de Sacramentis non iterandis, dum in eo impositio manuum, quæ fit in ordinatione Presbyteri & Diaconi, dicitur introducta ab Apostolis; & ob omissionem illius non esse Sacramentum iterandum, sed suppleendam esse: & tandem id deduci videtur ex eo, quòd in aliquibus Pontificalibus non inuenitur carimonia hæc impositionis manuum, neque inueniuntur verba ipsi correspondentia. *Engen. IV.*

Et ratione probatur, quia per traditionem dictam, & per verba ipsi correspondentia denotatur consecratio, seu sacrificatio, quæ est præcipua actio Sacerdotis: ergo tantum per dictam traditionem, & per verba ipsi correspondentia, confertur character & potestas Sacerdotalis, & eis solis ordinatio Sacerdotis perficitur.

Scotus. Scotus tamen in 4. dist. 24. Viguerius in Institutionibus, c. 16. §. 6. Bellarminus cap. 9. Vasquez disp. 139. Henriquez lib. 10. c. 6. Egidius dub. 7. Laymannus Tractatu 9. cap. 5. & Adamus disp. 7. q. 2. dub. 4. docent, & merito, in ordinatione Sacerdotis materiam proximam coalescere ex dicta traditione, & ex dicta manuum impositione, & formam coalescere ex dictis verbis utriusque correspondentibus.

Eugen. IV. Et in primis, traditionem Calicis cum vino, & Patenæ cum pane, pertinere ad materiam proximam ordinationis Sacerdotis, & verba illa, *Accipe potestatem offerendi Sacrificium*, &c. pertinere ad formam, exprimit Eugenius IV. in suo Decreto. Quod autem eorum non fiat mentio in Concilio Carthaginensi IV. non obstat; quia non tam intendit materias & formas Sacramentorum explicare, quam ritum & modum seruandum in singulis ordinationibus.

Et id ratione constat, quia per traditionem dictam & per verba ipsi correspondentia, traditur potestas consecrandi seu sacrificandi, ut constat ex ipsis verbis, & ex eo quod recenter ordinatus paulo post consecrat cum Episcopo ordinante, & nulla alia cærimonia præcedit, per quam dicta potestas conferri possit: potestas autem consecrandi est effectus, proueniens ex ordinatione Sacerdotis.

Trident. Quod verò ad materiam proximam, & ad formam ordinationis Sacerdotis, etiam pertineant dicta impositio manuum Episcopi, & dicta verba ipsi correspondentia, satis indicat Tridentinum sess. 14. c. 3. de Sacramento Extremæ Vnctionis, ubi ex illo Iacobi 5. *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*, &c. deducit, ministros Extremæ Vnctionis esse Sacerdotes ab Episcopo ritè ordinatos per impositionem manuum Presbyterij (id est dignitatis Episcopalis, & non conuentus Episcoporum, ut sumitur à Paulo 1. ad Timoth. 4. quia Paulus agit de ordinatione Episcopi, & Tridentinum de ordinatione Sacerdotis) ubi Tridentinum supponit, Sacerdotes ordinari per impositionem manuum Episcopi, tamquam per materiam proximam. Addidit autem, ministrum vnctionis esse Sacerdotem ordinatum per impositionem manuum Episcopi, non quia existimet eam esse totam materiam proximam ordinationis Sacerdotis; quia optimè nouit dictum Decretum Eugenij IV. sed quia existimat, per hanc, & per verba ipsi correspondentia, conferri potestatem administrandi Sacramentum Extremæ Vnctionis; quia hoc Sacramentum est consummatiuum Sacramenti Pœnitentiæ, ad quod Sacerdoti confertur potestas per impositionem manuum Episcopi, & per verba ipsi correspondentia.

Et hoc idem ratione probatur; quia per eam impositionem manuum Episcopi, & per verba ipsi correspondentia, confertur potestas ad absoluendum à peccatis, quæ est potestas Ordinis reductiuè saltem, & effectus ordinationis Sacerdotis: ergo dicta manuum impositio, & verba ipsi correspondentia, pertinent ad materiam proximam, & ad formam ordinationis Sacerdotis. Quod verò per hanc impositionem, & per hæc verba, conferatur potestas ad absoluendum à peccatis, patet; quia id significant verba illa: & eisdem verbis, quamuis non manuum impositione, sed insufflatione, Christus post resurrectionem Ioann. 20. contulit Apostolis potestatem absoluendi à peccatis (ut definit Tridentinum sess. 14. cap. 1. & 5.) post collationem

potestatis consecrandi factam in nocte cænæ traditione sui Corporis & sui Sanguinis iam ab ipso consecratorum, & illis verbis Luca 22. *Hoc facite* *in meam commemorationem.*

Ex dictis constat, ordinationem Sacerdotis constare duabus partialibus ordinationibus, per quarum quamlibet confertur distincta potestas, & distinctus gradus gratiæ; ita tamen, ut potestas consecrandi, quæ prius confertur, conferatur independentè à potestate absoluendi à peccatis; & idè ante huius collationem ordinatus supradicta traditione, & verbis ipsis correspondentibus, verè & validè consecrat cum Episcopo ordinante; potestas verò absoluendi nequit validè conferri ante collationem potestatis consecrandi (in quo Doctores communiter conueniunt) quia potestas in Corpus mysticum Christi, id est in fideles, supponit ex institutione Christi potestatem in verum Corpus ipsius Christi. Vnde sicut in ordinatione Sacerdotis reperitur duplex partialis ordinatio, & duplex partialis potestas; ita etiam reperitur duplex character partialis, quorum quilibet habeat annexam dictam potestatem.

Ad rationem verò pro Bonauentura adductam respondemus, non esse vniuersaliter verum, illam tantum rem, & illa tantum verba pertinere ad materiam & ad formam ordinationis, per quæ denotatur potissima actio illius; quia illa omnia pertinent ad prædicta, per quæ confertur potestas illius Ordinis: potestas autem Ordinis Sacerdotalis confertur per omnia prædicta. Et addimus, per manuum impositionem, & per verba ipsi correspondentia, non denotari potissimam actionem Sacerdotis, sed per dictam traditionem & per verba ipsi correspondentia, etiam si manuum impositio sit physicè perfectior. Ex quibus etiam constat ad rationem pro Richardo, Scoto, & alijs.

Eugenius verò IV. in suo Decreto non assignauit aliam materiam, neque aliam formam pro ordinatione Sacerdotis, quam dictam traditionem, & verba ipsi correspondentia, non quia existimaret non esse aliam, sed quia ibi non intendebat exactè tradere omnia quæ pertinent ad materias & ad formas singularium ordinationum, sed tantum adducere exemplum eius quod generaliter dixerat, nempe materiam cuiusque ordinationis esse illud, per cuius traditionem confertur Ordo; ad quod sufficiebat pro Sacerdotio adducere in exemplum dictam traditionem.

In cap. autem *Presbyter*, non est sermo de impositione, qua simul cum illis verbis, *Accipe Spiritum sanctum*, confertur potestas ad absoluendum, sed de accidentali seu Ecclesiastica quadam cærimonia, qua in ordinatione Sacerdotis, ante collationem potestatis ad absoluendum, imponuntur manus ab Episcopo & ab alijs Presbyteris, absque vllis verbis: & à solo Episcopo in ordinatione Diaconi, quæ ritu & exemplo Apostolorum fit in Ecclesia; & si omittatur, supplenda est tempore statuto ad ordinationes faciendas. Quod verò illa manuum impositio Episcopi, & prolatio illorum verborum, *Accipe Spiritum sanctum*, quorum remiseris peccata, &c. non habeantur in aliquibus Pontificalibus, non obstat; quia semper habita sunt, & habentur in Pontificali Romano, quod est regula omnium.

DIFFICULTAS XII.

Quæ sit materia, & quæ sit forma in ordinatione Diaconi.

Medina. **M**edina lib. 1. de Continentia cap. 39. docet, materiam proximam ordinationis Diaconi sitam esse in tribus traditionibus, quæ fiunt ab Episcopo, nempe in traditione Stolæ, in traditione Dalmaticæ, & in traditione libri Euangeliorum: & formam sitam esse in verbis correspondentibus dictis traditionibus; quia verbis illis correspondentibus significari videtur per eas traditiones, & per ipsa verba conferri gratiam Sacramentalē, ac proinde in eis consistere materiam & formam ordinationis Diaconi. Modus tamen iste dicendi, quoad traditiones Stolæ & Dalmaticæ, & quoad verba ipsis correspondentia, est singularis, & absque fundamento aliquo: quia per verba hæc, sub quibus traditiones istæ fiunt, si rectè expendantur, non significatur, per ipsa, & per eas traditiones quæ fiunt sub illis, gratiam conferri.

Durandus. Durandus in 4. dist. 24. q. 3. docet, totam materiam proximam in ordinatione Diaconi sitam esse in impositione manuum Episcopi; & consequenter, totam formam in verbis dictæ impositioni correspondentibus. Et in primis, materiam proximam sitam esse in dicta impositione, indicare videtur

Conc. Carr. Concilium Carthaginienſe IV. c. 4. dum pro ordinatione Diaconi assignat impositionem manuum

Dionysius. Episcopi. Et Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia c. 5. dum ait, Episcopum, Sacerdotem & Diaconum perfici per impositionem manuum. Et ratione probatur, quia verbis dictæ impositioni correspondentibus, nempe, *Accipe Spiritum sanctum*, significatur gratiam conferri; ergo ea impositio pertinet ad materiam proximam ordinationis Diaconi, & verba ei correspondentia, ad formam. Quod verò materia proxima ordinationis Diaconi consistat in sola dicta impositione, & consequenter forma in solis verbis ei correspondentibus, indicat dictum Concilium Carthaginienſe, dum pro ordinatione Diaconi non assignat aliud quàm dictam impositionem. Et ratione probatur, quia si materia in ordinatione Diaconi in aliquo alio simul cum manuum impositione consisteret, maxime in traditione libri Euangeliorum: in hac autem non consistit, quia etiam in ipso initio Ecclesiæ ordinabantur Diaconi, & ad seruiendum altari, & tamen tunc nondum erat liber Euangeliorum; imò & tempore Durandi, ut ipse refert, in Ecclesia Anicienſi, cui ipse præfuit Episcopus, in ordinatione Diaconi non tradebatur liber Euangeliorum.

Hofius. Hofius in Confessione Catholica c. 72. Henriquez lib. 10. cap. 8. & Adamus disp. 7. quæst. 2. dub. 3. docent, materiam proximam ordinationis Diaconi coalescere ex impositione manuum Episcopi, & ex traditione libri Euangeliorum; & formam ex verbis utriusque correspondentibus: in quod

Bellarmin. Bellarminus cap. 9. *Ægidius.* *Ægidius* dub. 7. & *Layman.* Laymannus cap. 5. dum dicunt, ex institutione Christi materiam ordinationis Diaconi coalescere ex impositione manuum Episcopi, & ex traditione alicuius rei, qua officium Diaconi ad seruiendum Sacerdoti, præsertim in altari, designetur; & huius rei determinationem Christum reliquisse Ecclesiæ,

quæ ex hac commissione designauit traditionem libri Euangeliorum. Et in primis materiam proximam sitam esse in ea impositione, paulò antea probabamus. Quòd verò etiam consistat in traditione libri Euangeliorum, statim probabitur.

S. Thomas verò in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 3. Sotus quæst. 1. art. 3. Valquez disp. 238. cap. 4. Valentia disp. 9. quæst. 1. punct. 5. & Reginaldus lib. 30. cap. 2. docent, & merito, totam materiam proximam ordinationis Diaconi sitam esse in traditione libri Euangeliorum, & totam formam in verbis ei correspondentibus.

Et in primis, materiam proximam sitam esse in dicta traditione (& consequenter formam in verbis ei correspondentibus) expressit Eugenius IV. in suo Decreto fidei. Et ratione probatur, quia per eam traditionem, & per verba ipsi correspondentia, denotatur peculiare officium Diaconi seruiendi in altari Sacerdoti. Quòd verò manuum impositio Episcopi non pertineat ad materiam ordinationis Diaconi (& consequenter, neque verba ei correspondentia ad formam) satis indicatur in cap. *Presbyter* 3. de Sacramentis non iterandis, dum manuum impositio, quæ fit in ordinatione Diaconi, dicitur introducta ritu Apostolorum: quia quæcumque materia Sacramentorum à solo Christo instituta & introducta est. Et ratione probatur, quia per manuum impositionem, & per verba ipsi correspondentia, nempe, *Accipe Spiritum sanctum, ad robur, & ad resistendum diabolo, & tentationibus eius*, nullum ministerium peculiare Diaconi denotatur, sicut denotatur per materiam & formam aliarum ordinationum.

Concilium ergo Carthaginienſe, quod adducitur pro priori parte Durandi, non assignat materiam ordinationis Presbyteri & Diaconi, sed discrimen inter cærimoniam purè Ecclesiasticam impositionis manuum, quæ fit in ordinatione Sacerdotis, de qua loquitur cap. 3. & inter cærimoniam purè Ecclesiasticam impositionis, quæ fit in ordinatione Diaconi, de qua loquitur c. 4. (etiam si à c. 5. vsque ad 9. agat de materia & forma Subdiaconatus, & quatuor minorum Ordinum) inter eas autem impositiones id discrimen constituit, quod in ordinatione Presbyteri fit ab Episcopo, & ab alijs Presbyteris, & in ordinatione Diaconi à solo Episcopo. Et de eadem cærimoniam loquitur Dionysius cap. illo 5. dum ait, Episcopum, Sacerdotem, & ministrum perfici manuum impositione, subintellige, accidentaliter; quod etiam constat ex eo, quòd pro ordinatione Episcopi tantum commemorat impositionem manuum vnus Episcopi, quæ tantum est accidentaliter ordinationi Episcopi.

Et ad rationem pro eadem priori parte negamus, verbis illis correspondentibus impositioni manuum, nempe, *Accipe Spiritum sanctum*, significari, gratiam immediatè conferri per ipsam impositionem, & per verba ipsa: quia illis tantum denotatur certa quædam fiducia in Episcopo impetrandi à Deo ipsi ordinando Spiritum sanctum, seu gratiam, media ordinatione statim faciendam, iuxta modum illum loquendi Lucæ 17. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori, Eradicare, & transplantare, & obediet vobis*; ac proinde dicta verba non frustra dicuntur ab Episcopo ordinante, ut docet Tridentinum sess. 23. can. 14.

Et ad rationem pro posteriori parte Durandi respondent Valquez num. 43. Valentia disp. 9. q. 1. punct.

S. Thomas.
Sotus.
Valquez.
Valentia.
Reginald.

Eugen. IV.

Lucæ 17.

Trident.

Valquez.
Valentia.

Reginald. punct. 4. & Reginaldus lib. 30. c. 3. n. 13. tempore illo, in quo nondum liber Euangeliorum erat scriptus, non fieri ordinationem Diaconi ad altare traditione libri Euangeliorum, sed sola manuum impositione (qua etiam eligeantur ad mensas) ex peculiari Christi cōcessione, postea verò ex Christi institutione in principio facta, pro tempore in quo futurus erat liber Euangeliorum, cœpisse fieri sola traditione libri Euangeliorum, & satis congruenter; quia officium proprium Diaconi ipsi conueniens ex potestate ordinaria, est legere Euangelium tempore Sacrificij.

DIFFICULTAS XIII.

Quæ sit materia, & quæ forma in ordinatione Subdiaconi.

Viguerius. **V**iguerius in Institut. c. 16. §. 6. docet, in ordinatione Subdiaconi materiam proximam esse traditionem libri Epistolarum, & verba ipsi correspondentia esse formam: quia sicut ad Diaconum pertinet legere Euangelium tempore Sacrificij, ita etiam ad Subdiaconum pertinet legere Epistolam: ergo sicut in ordinatione Diaconi materia proxima est traditio libri Euangeliorum, & verba sub quibus fit sunt forma; ita etiam in ordinatione Subdiaconi traditio libri Epistolarum est materia proxima, & verba, sub quibus fit, sunt forma.

Vasquez. Egidius. Layman. Vasquez disp. 238. c. 5. Egidius dub. 7. & Laymannus cap. 5. docent, in ordinatione Subdiaconi materiam proximam sitam esse in traditione Calicis vacui, & Patenæ vacuæ; & formam in verbis sub quibus fit. Quod quoad materiam expressit

Eugen. IV. Eugenius IV. in suo Decreto. Et ratione probatur, quia per eam traditionem, & per verba sub quibus fit, denotatur potestas ad propriam actionem Subdiaconi, nempe ad ministrandum Sacerdoti vasa Corporis & Sanguinis Christi.

Medina. Fornarius. Adamus. Medina verò lib. 1. de Continentia, c. 44. Fornarius de Ordinibus, c. 2. & Adamus disp. 7. q. 2. dub. 3. docent, materiam proximam in ordinatione Subdiaconi coalescere ex vtriusque materiæ dictæ traditione, & formam ex verbis sub quibus vtraque traditio fit, & meritò: quia per vtramque traditionem, & per verba vtrique correspondentia, denotatur & traditur potestas ad duas dictas actiones, quæ sunt propriæ Subdiaconi; ergo negari nequit, vtramque traditionem, & verba vtrique correspondentia, ad ordinationem Subdiaconi pertinere tamquam materiam & formam.

Quòd autem ministratio vasorum Corporis & Sanguinis Christi sit principalior lectione Epistolarum, non sufficit, vt in sola traditione vasorum consistat materia proxima ordinationis Subdiaconi, & forma in solis verbis sub quibus fit; sicut non sufficit, quòd actio consecrandi sit principalior absolutione, vt in traditione rei, per quam traditur potestas ad consecrationem, sita sit tota materia proxima Sacerdotis, & tota forma in verbis ei correspondentibus.

Id verò, quod addit Medina, nempe, etiam traditionem vestium pertinere ad materiam proximam ordinationis Subdiaconi; & verba, sub quibus fit, etiam pertinere ad formam, est singulare, & absque fundamento, imò & contra rationem: quia per eam traditionem, & per ea verba, nulla de-

notatur potestas ad actionem aliquam Subdiaconi.

Ordinatio ergo Subdiaconi coalescit ex vtraque dicta traditione, tamquam ex materia proxima totali; & ex verbis, sub quibus vtraque fit, tamquam ex forma totali. Verba autem sub quibus fit traditio vasorum, sunt illa, quæ Episcopus, postquam singulis ordinandis tradidit dicta vasa, dicit omnibus simul: *Videte cuiusmodi ministerium vobis traditur.* quia nulla alia aptiora, vt sint forma respectu traditionis vasorum, proferuntur ab Episcopo ordinante; quia ea verba, prout relata ad eam traditionem, sufficienter denotant potestatem ad dictam actionem, & non alia, & alias moraliter coniunguntur cum ea traditione.

DIFFICULTAS XIV.

Quæ sit materia & quæ forma in ordinationibus minoribus.

Conueniunt Doctores, in ordinatione Ostiarij materiam proximam esse traditionem clauium Ecclesiæ, & verba ipsi correspondentia esse formam: & materiam proximam in ordinatione Lectoris esse traditionem libri Lectionum, qui *Lectionarius* dicitur, & formam esse verba sub quibus fit: & materiam proximam in ordinatione Exorcistæ esse traditionem libri exorcismorum, formam verò esse verba ipsi correspondentia: & quoad omnia prædicta, constat ex Pontificali Romano, & etiam ex Decreto Eugenij IV. dum lo-

quens de materia minorum ordinationum, significat consistere in rerum ad sua ministeria pertinentium assignatione, & meritò: quia per singulas dictas traditiones, & per verba ipsis correspondentia, denotatur potestas ad proprias actiones singularum dictarum ordinationum.

Est tamen difficultas, quæ sit materia & quæ forma in ordinatione Acolythi.

Durandus. Paludanus. Durandus in 4. dist. 24. quæst. 3. & Paludanus q. 2. art. 3. docent, materiam proximam ordinationis Acolythi esse traditionem Vrecoli vacui, & verba ipsi correspondentia esse formam: quia per eam traditionem, & per ea verba, denotatur potestas ad implendos vrecolos vino & aqua, & ad eos suggerendos, quod est propria actio Acolythi.

Bonauent. Richardus. Angelus. Bonauentura in 4. dist. 24. par. 2. dub. 5. Richardus art. 4 q. 3. & Angelus v. *Ordo*, n. 4. docent, materiam proximam in ordinatione Acolythi esse traditionem Candelabri cum cereo extincto, & verba ipsi correspondentia esse formam: quia per eam traditionem, & per ea verba, denotatur potestas ad accendendos cereos, & eos deferendos ante Sacerdotem, quod videtur præcipua actio Acolythi.

Viguerius. Vasquez. Henric. Adamus. Viguerius verò cap. 16. §. 6. Vasquez disp. 237. n. 35. Henriquez lib. 10. ca. 2. & Adamus disp. 7. q. 2. dub. 3. docent, materiam proximam in ordinatione Acolythi coalescere ex dicta vtraque traditione, & formam ex verbis vtrique correspondentibus, & meritò: quia per vtramque dictam traditionem, & per verba vtrique correspondentia, denotatur potestas ad duas dictas actiones quæ sunt propriæ Acolythi.

Quòd verò vna actio Acolythi sit principalior quàm altera (qualis videtur esse ministratio & suggestio vini & aquæ) non sufficit, vt in sola traditione rei, & in verbis ipsi correspondentibus,

quibus denotatur potestas ad actionem principalem, consistat tota ordinatio Acolythi, ut in simili diximus Difficultate præcedenti.

DIFFICULTAS XV.

Vtrum ad valorem singularum ordinationum requiratur ex parte ordinanditactus physicus rei, cuius traditione ordinatur.

Supponimus, necessarium esse necessitate præcepti, quòd ordinandus physicè tangat rem seu materiam remotam, cuius traditione confertur Ordo, ut Calicem, Vireolum, Librum, &c. ut patet ex praxi Ecclesiæ.

Hoc ergo supposito difficultas est, An dictus tactus physicus sit necessarius necessitate Sacramenti Ordinis, seu ad valorem illius.

S. Thomas in 4. dist. 24. q. 1. art. 1. quæstiunc. 5. ad 3. Paludanus q. 1. art. 1. Viguerius cap. 16. §. 6. Valentia disp. 9. q. 1. punct. 5. Egidius disp. 2. n. 7. Bonacina disp. 8. quæst. vnica, puncto 3. & plures alij partem affirmatiuam tuentur: quia dictus tactus requiritur ad verificationem formæ, in qua dicitur, Accipe v. g. librum, aut ceroferarium; quia quod non apprehenditur aut tangitur, non accipitur: imò etiam requiritur ad verificationem formæ, quia porrigendo rem seu materiam, dicitur, Accipe potestatem, &c. quia tunc verbum Accipe etiam refertur ad rem illam, cuius traditione traditur dicta potestas; quia tunc potestas traditur traditione rei seu materiæ.

Auctores tamen huius sententiæ ita ad valorem ordinationis requirunt tactum physicum materiæ remotæ, ut non requirant tactum physicum & immediatum singulorum quæ pro materia offeruntur; quia in ordinatione Sacerdotis non requirunt tactum immediatum vini & hostiæ, sed contenti sunt tactu immediato Calicis, quo etiam mediatè tangitur vinum inclusum; & tactu immediato Patenæ, quo etiam mediatè tangitur hostia posita supra Patenam: & in Rituali Romano, in quo nihil necessarium omittitur, non fit mentio immediati tactus vini, neque hostiæ: imò non pauci ex illis dicunt, sufficere tactum immediatum Calicis, quo mediatè tangantur vinum in calice inclusum; & Patena & hostia supra Calicem posita.

Albertus in Summa v. Ordinantium & ordinandorum peccata; Victoria n. 230. Armilla v. Ordo, num. 4. Vasquez disp. 246. & Laymannus cap. 5. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia ad verificationem formæ, nempe Accipe potestatem, denotatam oblatione materiæ, ut contingit in maioribus ordinationibus, vel Accipe librum, &c. ut in minoribus, non est necessarius tactus physicus materiæ, adhuc mediatus: ergo absque fundamento ad valorem ordinationis requiritur. Consequentia patet. Antecedens autem probatur, quia, ut quis verè & propriè dicat Accipe hoc vel illud, non est necessarium, ut ille cui offertur seu porrigitur, apprehendat seu accipiat illud, sed sufficit ut ipsi offeratur seu porrigatur, ut ex se patet, etiam si, ut verba illa effectum morale sui imperij habeant, necessarium sit conferri & accipi quod offertur. Adde, quòd si ex parte ordinandi necessaria esset ac-

ceptio ad verificationem dictæ formæ, non sufficeret tactus absque apprehensione seu tentione rei oblata; quia tactus absque apprehensione & tentione rei non est acceptio illius, & idèd Eugenius IV. in suo Decreto materiã proximam ordinationis non solum appellauit traditionem & dationem rei, sed etiam porrectionem & assignationem, quo significat, ad valorem ordinationis non esse necessariam traditionem & dationem materiæ, sed sufficere assignationem & porrectionem. Addimus, nomen *traditio* aliquando significare non translationem, sed porrectionem seu oblationem rei; ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Obseruandum est, quòd quamuis opinio nostra sit verior, quia tamen non est certa, ac proinde qui non tangeret materiam, non esset certò ordinatus; idèd qui ordinatus est Sacerdos absque tactu materiæ, grauius peccat, si eo defectu & periculo adèd extraordinario non detecto, audiat confessiones, & Sacrificia pro alijs stipendio accepto offerat: quia nullus à tali Sacerdote absolutionem peteret, nisi in extrema necessitate; neque Sacrificia oblato stipendio, nisi in defectu aliorum: & rationabiliter conqueri potest, quòd Sacerdos sic ordinatus, prædicta acceptaret non detegendo defectum adèd extraordinarium, ut moraliter nequeat in suspicionem venire. Et idem est de Sacerdote ordinato solo tactu immediato Calicis, non tangendo immediatè Patenam, quia tunc non est certum validè ordinari; secus verò si ordinetur tangendo immediatè Calicem & Patenam, quamuis non tangat immediatè hostiam, quia hoc est maximè certum moraliter.

DIFFICULTAS XVI.

Quos effectus tribuat Sacramentum Ordinis.

Conueniunt Catholici, Sacramentum Ordinis gratiam sanctificantem conferre; quod generaliter de omnibus Sacramentis nouæ legis definitur ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & Eugen. IV. à Tridentino sess. 7. can. 6. de Sacramentis in genere; & id specialiter definitur sess. 21. c. 3. de Sacramento Ordinis, & constat ex Paulo 1. ad Timoth. 4. & 2. ad Timoth. 1.

Et quia Sacramentum Ordinis saltem per se non confert primam gratiam iustificantem, quia non est Sacramentum mortuorum, institutum ad viuificandam animam; confert augmentum gratiæ, quia est Sacramentum viuorum institutum ad augendam vitam, ac proinde in suscipiente requiritur itatum gratiæ; & idèd, qui est in statu peccati mortalis, ut illud suscipiat, tenetur aut Sacramentaliter confiteri, aut perfectè conteri, prout sibi placuerit: quia nullo præcepto determinatè tenetur præmittere confessionem, in quo Doctores communiter conueniunt: ipsi autem augmento gratiæ per ordinationem collato annexa est ex institutione Christi collatio auxiliorum efficacium gratiæ, ad exercenda ministeria singulis Ordinibus propria.

Confertur autem dictum augmentum gratiæ per singulas dictas septem ordinationes; quia singulæ illæ sunt vera Sacramenta, ut diximus in præcedentibus: imò & per quamlibet partialem materiam,

materiam, & per quamlibet partialem formam, cuiuslibet partiali materiæ correspondentem eiusdem ordinationis, constantis ex pluribus materiis & formis, per quam confertur dicta potestas ad distinctum ministerium, confertur distinctus gradus gratiæ, cui gradui annectitur collatio auxiliorum proportionatorum dicto ministerio. Dicitur autem Ordo, verbi gratia Subdiaconi, constans ex pluribus partialibus formis, idem Ordo; quia ex Christi institutione non sunt separandæ; & Ordo Sacerdotis constans ex partialibus materiis, & ex partialibus formis, etiam dicitur idem Ordo, tum ob rationem prædictam, nempe quia vna ordinatio Sacerdotis non est separanda ab altera; tum etiam, quia ordinatio, aut quasi ordinatio ad absolvendum supponit ad sui valorem ordinationem ad consecrandum.

Conueniunt Secundò Catholici, per Sacramentum Ordinis imprimi characterem: quod definit Eugenius IV. in suo Decreto, & Patres Tridentini sess. 7. can. 9. de Sacramentis in genere, & sess. 21. can. 4. in nixi perpetuæ & constanti traditioni Ecclesiæ; & per quamlibet ordinationem, quæ sit Sacramentum, imprimi peculiarem & distinctum characterem, ac proinde, iuxta nostram sententiam, secundum quam, ut diximus in præcedentibus, omnes septem ordinationes sunt Sacramenta, imprimi septem characteres integrantes vnum totalem, sicut omnes septem ordinationes integrant vnam totalem ordinationem, & vnum totale Sacramentum.

Est tamen difficultas, An per partiales ordinationes eiusdem Ordinis, ut per ordinationem Sacerdotis ad consecrandum, & per ordinationem seu quasi ordinationem eiusdem ad absolvendum, & per ordinationem eiusdem in Episcopum, conferantur distincti characteres partiales.

Vasquez disp. 139. n. 57. & disp. 140. n. 54. Henriquez l. 10. c. 6. Reginaldus l. 30. c. 4. & Laymannus c. 4. docent, per priorem tantum partialem ordinationem eiusdem Ordinis imprimi characterem, non per posteriores, sed per has conferri nouas potestates ad noua ministeria, consistentes aut in extrinseca denominatione destinationis diuersæ ad illa ministeria, aut in modis realibus intrinsicis superadditis dicto characteri, ut ait Laymannus.

Paludanus. Bellarminus c. 5. & Aegidius disp. 20. n. 74. docent, per distinctas ordinationes partiales ad distincta ministeria eiusdem Ordinis, ut Sacerdotij (& idem est Subdiaconi & Acolythi) imprimi distinctos characteres partiales, & merito: quia conformius rationi est, quod sicut prior potestas per priorem ordinationem collata annectitur à Deo entitati physice characteris, ita etiam posterior potestas, & noua collata per posteriorem ordinationem, etiam annectatur noue entitati physice partiali characteris: nihilominus ex eis partialibus characteribus vnus integratur eo modo, quo ex illis partialibus ordinationibus integratur vna.

DIFFICULTAS XVII.

Vtrum Episcopus sit minister Sacramenti Ordinis.

Conueniunt Doctores, potestatem ordinariam conferendi Ordines Ecclesiasticos esse apud Episcopum consecratum, ut definit Tridentinum

sess. 23. c. 4. & can. 7. & contra Gratianum conueniunt, Episcopum, quamuis excommunicatum, suspensum, hæreticum, & degradatum, posse validè ordinare, quamuis non licitè: quia potestas ad validè conferendum Ordines annexa est ex Christi institutione characteri Episcopi, qui deleri non potest. Patres verò nonnulli, qui indicant ordinationem factam ab Episcopo excommunicato esse irritam, tantum intendunt, non esse habendam ut legitimam, ad eum effectum, ut sic ordinatus non permittatur uti Ordine sic sibi collato.

Observandum est Primò, ut optimè Vasquez disp. 243. c. 2. & Laymannus c. 9. potestatem ordinariam ordinandi esse apud Episcopum consecratum, & ipsi conuenire tantum ratione Ordinis Episcopalis, non ratione aliorum; & consequenter Episcopum, quamuis carentem Ordinibus Diaconi & reliquis inferioribus (ut fieri potest) quia isti non necessariò præsupponuntur ad valorem ordinationis in Episcopum, sicut præsupponitur ordo Sacerdotalis, posse validè conferre, non solum eos quos ipse habet (in quo Doctores conueniunt) sed etiam eos quibus caret, ut contra Siluestrum v. Ordo. 2. & contra Henriquez lib. 10. c. 20. docent Vasquez & Laymannus. Eos tamen, qui inferioribus ordinibus, prohibitus est in ordine superiori ministrare.

Observandum est Secundò, quod quamuis quilibet Episcopus possit quemlibet, capacem Ordinis, validè ordinare, nequit tamen licitè non sibi subditum ordinare, nisi ex licentia proprii Episcopi; quia prohibitum est in Concil. Nicæno can. 17. dum in eo ordinatio aliter facta dicitur irrita; quia nequit aliter irrita censeri, nisi quia sic ordinatus interdicitur Ordinem sic susceptum exercere; & id nouiter fuit prohibitum in Tridentino sess. 23. c. 8. de Reformatione, ubi Episcopo ordinanti non subditum, imponitur pœna suspensionis à collatione Ordinum per vnum annum, & ipsi ordinato ab exercitio Ordinum sic susceptorum ad beneplacitum proprii Episcopi. Quilibet tamen fit subditus Episcopo quoad susceptionem Ordinum (ut exprimitur in cap. Cum nullus, de Temporibus ordinationum, in 6.) aut ratione natiuitatis in diocesi illius (ad quod credo sufficere, quod in ea fortuito natus sit, quia in ea erat mater causa itineris vel negotij) aut ratione domicilij in illius diocesi, aut ratione beneficii quod in eius diocesi obtineat: ac proinde, qui natus est in vna diocesi, & in alia habet domicilium, & in alia tertia habet beneficium, poterit à quolibet Episcopo ex illis tribus licitè ordinari. Conceditur tamen in Tridentino sess. 23. cap. 9. Episcopo, ut possit ordinare familiarem suum, quamuis non subditum, qui cum ipso fuerit per triennium commoratus, cum onere concedendi illi beneficium quam primum vacet; quod intelligitur, quamuis nullum habeat patrimonium, & quamuis nullus Ecclesiæ vigeat necessitas Clericorum: Episcopis verò merè titularibus, quamuis resideant in locis exemptis, & nullius diocesis, & in Monasteriis prohibetur in Tridentino sess. 14. c. 2. de Reformatione, ordinare aliquem, quamuis suum familiarem, sub pœna suspensionis ab exercitio Pontificalium per vnum annum.

Eugen. IV. Trident.

Vasquez. Henriquez. Reginaldus. Layman.

Paludanus. Bellarminus. Aegidius.

Trident.

DIFFICULTAS XVIII.

*Vtrum alij non Episcopi sint ministri
Sacramenti Ordinis.*

Conueniant Primò Catholici contra hæreticos, laicos non esse ordinarios ministros ordinationis; imò nec Ecclesiasticos non Episcopos, quamuis Sacerdotes.

Conueniant Secundò Doctores, nullum non Sacerdotem (quamuis Cardinalem) posse esse ministrum ex commissione ordinationis à Christo instituta, cui conuenit ratio Sacramenti; quia nec factò aliquo, nec alio fundamento constat non Sacerdoti posse committi.

Est tamen difficultas, An Sacerdotes non Episcopi possint esse ministri Sacramenti ordinationis ex commissione Romani Pontificis. Addimus, ex commissione Romani Pontificis, quia nec factò aliquo, nec alio fundamento agnoscitur posse ex commissione alterius.

Adrianus Maior. Adrianus in 4. quæst. de Sacram. Confirmationis, art. 3. & Maior dist. 7. quæst. vnica, docent, Sacerdotes non Episcopos, quamuis Cardinales, non posse ex commissione Romani Pontificis Ordinem aliquem conferre, nec minorem: quia Christus nullum alium ministrum ordinationis instituit, nisi Episcopum.

Richardus Siluester. Couarrus. Bonacina. Richardus in 4. dist. 25. a. 1. q. 7. Siluester v. Ordo. 3. q. 7. Couarruius lib. 1. Variarum, c. 10. n. 10. & Bonacina puncto 4. docent, Sacerdotem non Episcopum posse ex commissione Romani Pontificis Ordines minores conferre, quia id sæpè factum est; non verò maiores, quia id nec ex factò aliquo, nec aliunde constat.

Turrian. Franciscus Turrianus in Annot. ad Concil. Nicænum can. 54. & alij, quos refert Vasquez, existimant posse ex commissione Romani Pontificis quatuor minores & Subdiaconatum conferre, non verò reliquos.

Gabriel. Supplemento Gabriel in 4. dist. 25. quæst. 1. a. 3. & alij existimant, Sacerdotem non Episcopum posse ex commissione Pontificis conferre quatuor minores Ordines, & Subdiaconatum, & Diaconatum, sed non Sacerdotium: quia hoc numquam legitur factum.

Aureolus. Angelus. Glossa. Innoc. IV. Panorm. Vasquez. Ochagan. Aureolus verò apud Capreolum dist. 25. qu. 1. ar. 2. Angelus v. Ordo. 2. nu. 2. Glossa in can. *Pervenit*. distinct. 95. Innocentius IV. in cap. 4. de Consecratione, nu. 4. Panormitanus n. 9. Vasquez disp. 243. c. 4. & Ochagauia q. 7. docent, & meritò, Sacerdotem non Episcopum posse ex commissione Romani Pontificis omnes Ordines, vsque ad Sacerdotium inclusiuè, conferre. Quod indicat

Eugen. IV. Eugenius IV. in suo Decreto, dum ait: *Ordinarius minister huius Sacramenti* (nempe Ordinis) *est Episcopus*. quia eo indicat, non Episcopum posse ex commissione esse ministrum Sacramenti Ordinis, ac proinde omnium dictarum ordinationum, quia omnes sunt Sacramenta; & non est maior ratio vnus, quàm alterius. Et quamuis ordinatio Episcopi sit Sacramentum, tamen nequit esse minister principalior illius, ob discrimen inter ordinationem Episcopi, & inter ordinationem reliquorum ministrorum: quia Episcopus est superior omnibus aliis ministris, & indecens est, quòd ab inferiori benedicatur & consecretur, tamquam à principali ministro; & ob id creditur ex Christi institutione ordinationem Episcopi non posse committi

non Episcopo, tamquam principali ministro, de quo dicemus Difficultate XIX.

Et id specialiter probatur, quoad omnes ordinationes inferiores, excepto Sacerdotio, ex factò ipso: quia de factò commissum est ab Innocentio VIII. facultas Abbatibus Ordinis Cisterciensis, conferendi suis subditis omnes Ordines, excepto Sacerdotio, in Bulla quadam contenta in noua Compilatione priuilegiarum ipsius Ordinis, priuilegio 118. & quoad ordinationes Minores, & quoad ordinationem Subdiaconatus, constat, quia Victoria in Summa n. 235. affirmat se vidisse Bullam Pontificis, in qua eisdem Abbatibus concedebatur facultas conferendi suis subditis Ordines minores, & Subdiaconatum. Et quoad ordinationes minores constat; quia modò inest facultas Cardinalibus, etiam non Episcopis, & Abbatibus exemptis conferendi Ordines minores, quamuis in Tridentino sess. 25. c. 10. de Reformatione, Abbatibus, & aliis quibuscumque exemptis, existentibus intra aliquam diocesium, prohibuitur sit, nec ulli, nisi suo subdito regulari, primam tonsuram, ne minores Ordines conferant.

DIFFICULTAS XIX.

*Quot Episcopi requirantur ad valorem
Ordinationis Episcopi.*

Supponimus Primò, in quo conueniunt Doctores, vno aut altero excepto, ordinationem Episcopi non posse committi non Episcopo, saltem tamquam ministro principali; quia est valde indecens, maiorem à minori consecrari & benedicere; & ex altera parte id nulla coniectura nulloque factò possumus affirmare: vnde Episcopus nequit validè ordinari, adhuc ex commissione Papæ, nisi saltem ab aliquo Episcopo.

Supponimus Secundò, ex decreto & constitutione Ecclesiæ, ordinationem Episcopi non posse nisi à tribus Episcopis fieri; & aliter, quàm à tribus, illicitè fieri.

Est tamen difficultas, An ad valorem ordinationis requiratur, quòd fiat à tribus Episcopis.

Paludanus apud Siluestrum v. *Consecratio*. 1. num. 1. partem negatiuam tuetur, quam etiam indicant ipse Siluester & Armilla eodem verbo, n. 2. & Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 19. Et id primò supponi videtur in can. 1. Apostolorum, dum dicitur, Episcopum debere à duobus vel à tribus Episcopis ordinari: & idem habetur apud Clementem l. 3. Constitut. c. 20. Quòd si ad valorem ordinationis non requiruntur tres Episcopi, non est ratio aliqua sufficiens, vt affirmemus vnum Episcopum non sufficere. Et id secundò etiam supponi videtur in Concilio Arausicano l. c. 21. dum statuitur, vt si duo Episcopi præsumserint aliquem inuitum (intellige non omnino, sed aliquo modo tantum inuitum) Episcopum facere, vterque Episcopus ordinans deponatur, & in locum vnus substituat qui vim passus est, & in locum alterius ordinatur alius. vbi supponitur, Episcopum verè ordinari à duobus Episcopis. Et Tertio id supponere videbatur Simon Chananaus Apostolus, qui, vt refert Clemens lib. 8. Constitut. c. 27. aliàs 33. permittebat ordinationem Episcopi fieri à duobus vel à tribus Episcopis; & de ordinato ab vno statuuit, vt tam ordinatus quàm ordinans deponatur: quòd si non esset verè ordinatus, deponi non posset.

Hofstiensis

Hostiensis.
Glossa.
Bellarmin.
Vasquez.
Ægidius.

Hostiensis verò, & Glossa in cap. *Ne Episcopi*, de Tempor. ordinat. Bellarminus de Noris Ecclesiæ c. 8. Vasquez disput. 243. c. 6. & Ægidius disp. 20. dub. 9. docet, ad valorem ordinationis Episcopi ad minus requiri tres Episcopos, & meritò: quia ad ordinationem Episcopi, ex institutione Christi requiruntur tres Episcopi: ergo requiruntur ad valorem ordinationis illius. Consequentia patet. Antecedens autem probatur, quia ab initio nascentis Ecclesiæ ad ordinationem Episcopi fuerunt requisiti tres Episcopi, vt expressit Anacletus Epist. 2. & significat Paulus 1. ad Timoth. 4. dum supponit, ordinationem Timothei in Episcopum fuisse per impositionem manuum Presbyterij, id est conuentus Episcoporum, ad quem ad minus requiritur congregatio trium Episcoporum. Et idem Antecedens expressit Anicetus Papa Ep. ad Episcopos Gallie c. 1. vbi loquens de ordinatione Iacobi Minoris in Episcopum Ierosolymæ, quam Anacletus refert factâ à Petro & à Iacobo Maiore & à Ioanne, cuius verba ipse Anicetus adducit, sic ait: *Si autem non minus quam à tribus Apostolis tantum vir fuit ordinatus Episcopus, patet profecto eos formam instituente Domino tradidisse, non minus quam à tribus Episcopis ordinari debere.* Et quamuis Iacobus Minor non fuerit ordinatus Episcopus ab illis, sed antea immediate fuerit à Christo, sicut alij Apostoli, & ab illis tribus tantum fuerit assignatus Episcopus Ecclesiæ Ierosolymæ; nihilominus hæc assignatione facta ab illis tribus, denotata fuit forma instituta à Christo ad ordinationem Episcopi: quia voluerunt tres concurrere ad electionem & assignationem illius in Episcopum Ierosolymæ, vt in ea imitarentur formam à Christo institutam pro ordinatione Episcopi.

Anacletus.

Anicetus.

Bellarmin.
Vasquez.
Ægidius.

Prædictam tamen doctrinam limitant Bellarminus, Vasquez, & Ægidius, vt ad valorem ordinationis Episcopi requirantur tres Episcopi, tamquam ministri ordinarij; quia existimant, ex commissione Romani Pontificis sufficere vnum Episcopum; quia id fecit D. Augustinus Episcopus Cantuariensis ex commissione D. Gregorij, vt significatur in Responsione 8. D. Gregorij ad interrogationes ipsius Augustini: & id significat Simon Chananeus Apostolus apud Clementem l. 8. Constit. Apostolicarum cap. 27. alias 33. dum, postquam dixit, Episcopum ordinandum esse à duobus vel tribus, subdit, quòd si necessitas coegerit ab vno ordinari, afferatur decretum commissionis plurium Episcoporum. Et quamuis non satis constet de veritate dicti facti D. Gregorij; quia textus, ex quo deducitur, est mēdosus; & quamuis non satis constet de auctoritate dicti libri Constitutionum, dictam tamen limitationem libenter admittimus, nempe ordinationem Episcopi posse validè fieri ab vno tantum Episcopo, assistentibus tamen aliis duobus Sacerdotibus ex commissione Pontificis, loco aliorum duorum Episcoporum minus principalium assistentium; quia credimus, ministrum ordinationis, qui est Ordinarius, esse ordinatum totius ordinationis; & qui potest esse ex commissione, posse esse ex commissione totius ordinationis à primo gradu vsque ad vltimum, etiam ordinationis Episcopi: quia ex vna parte non est maior ratio ob quam sit aut possit esse vnius ordinationis, & non alterius; & ex altera parte nulla est indecentia in eo, quòd Episcopus, qui est superior simplici Sacerdote, consecratur & benedicatur à simplicibus Sacerdoti-

bus, tamquam à ministris minus principalibus, ex commissione Pontificis: & quia esset in eo, quòd consecraretur & benediceretur à simplici Sacerdote, tamquam à principali ministro, quamuis fieret ex commissione Pontificis, idè credimus adhuc ex ea non posse validè fieri à simplici Sacerdote, tamquam à principali ministro. Vt verò dicta commissio fiat licitè, requiritur causa aliqua considerabilis seu grauis, vt deducitur ex testimonio Chananei, & ex facto D. Gregorij, quòd non fuit factum absque graui aliqua causa: non tamen requiritur, vt commissio validè fiat; quia non est dispensatio in Iure aliquo diuino, sed concessio facultatis similis ei, quæ confertur ad absoluendum à reseruatis, quæ fit validè, quauis fiat absq; causa.

Ad primum ergo fundamentum aduertariorum, desumptum ex canone 1. Apostolorum, & ex Clemente l. 3. Constitut. c. 2. respondemus, ibi significari, ad ordinationem Episcopi sufficere duos vel tres Episcopos simul cum Metropolitanò, qui semper & immobiliter fuit Iure Ecclesiastico requisitus.

Ad secundum, desumptum ex Concilio Arausicano l. respondemus, quòd quòd in eo dicitur, ordinatum à duobus, quando inuitus ordinatur, substituendum esse loco vnius ordinantis, non intelligatur absq; noua ordinatione ipsius inuiti ordinari; cui non aduersatur quòd subditur, nempe pro altero ordinante ordinandum esse alterum (quo videtur particulâ *substituendum esse* non significari ordinandum esse) quia etiam dici potuit substituendum esse alterum, & forsitan dicitur substituendum esse loco vnius ordinantis, quia fuit apparenter ordinatus, & pro altero ordinante dicitur ordinandum esse alterum; quia nullatenus fuit alter ordinatus adhuc apparenter.

Ad tertium, desumptum ex Chananeo, respondemus, quando de ordinato ab vno, & de illum ordinante ait, tam ordinantem quam ordinatum deponendum esse, non supponere ordinatum ab vno esse verè ordinatum; quia eo verbo *deponendum esse* tantum significat, ordinatum ab vno, non esse permittendum exercere officium Episcopi, quia non fuit verè ordinatus; & ordinantem, quia illicitè ordinauit.

DIFFICULTAS XX.

Utrum femina ex institutione Christi sint capaces ordinationis Ecclesiasticae.

Procedit difficultas de ordinatione Ecclesiastica à Christo in Sacramentum instituta. Circa quam hæretici, dicti Pepuziani, existimant, etiam feminas ex Christi institutione esse capaces cuiuscumque ordinationis Ecclesiasticae, etiam Episcopatus. Primò, quia id indicare videtur Paulus ad Galat. 3. dum ait, in Christo Iesu masculum & feminam vnum esse, & inter eos non esse discrimen. Secundò, quia femina potest esse prophetissa; qualis erat Maria soror Moysis, & Anna filia Phanuel, Luca 2. ergo potest esse clerica, imò Episcopa. Tertio, quia antiquitus in Ecclesia fuerunt Subdiaconissæ, & Diaconissæ, & Presbyteræ, & Episcopæ, vt constat ex abrogatione ordinationis earum, facta à Græcis in Concilio Laodicensi can. 11. & refertur can. *Mulieres*. 32. distinct. & à Latinis in Concilio Arausicano l. can. 26.

Catholici tamen conueniunt, feminas ex Christi

Con. Laod.

Concilium
Arausic.

institutione non esse capaces ordinationis à Christo institutæ: quod indicat Paulus 1. ad Corinth. 4. dum ait, turpe esse mulieri loqui in Ecclesia, adhuc interrogando; & idèd monet, vt si quid velint discere, domi viros suos interrogent: turpius autem est, feminam in Ecclesia Sacrificium offerre, & sacrificanti ministrare. Et id constat ex eo, quòd Christus nec suam matrem, nec Magdalenam, neque aliam feminam, nec Ecclesia feminam aliquam ordinauerit, quod absque dubio Christus aut Ecclesia fecisset, si ex Christi institutione id posset validè fieri.

Ad primum ergo fundamentum hæreticorum respondemus, Paulum ibi tantum voluisse significare, inter masculum & feminam nullum esse discrimen in Christo, quoad iustificationem & meritum. Ad secundum concedimus, feminas posse esse & fuisse prophetissas; negamus tamen, posse ordinari: quia prophetia absque indecentia potest esse in femina, & non ordinatio; quia prophetia non constituit feminam superiorem in Ecclesia, bene tamen ordinatio; & idèd ex Christi institutione non fuit facta habilis ad ordinationem ab ipso institutam.

Ad tertium respondemus, olim aliquas institui Diaconissas, non ordinatione Diaconatus ad munus Ecclesiasticum Diaconi, sed ad curam seminarum, vt eis in quibusdā necessitatibus assisterent, præsertim in ordine ad Baptismum suscipiendū, & ad iam susceptum, vt indicat Epiphanius Hæresi 69. & præter has fuisse alias Diaconissas non ob aliquod officium, sed quia erant vxores virorū, qui separatione facta quoad torum, ordinabantur Diaconi; & simili ratione erant aliæ Subdiaconissæ, & aliæ Presbyteræ, & aliæ Episcopæ, quia earum viri simili separatione facta ordinati erant aut Subdiaconi, aut Presbyteri, aut Episcopi, de quo legendus est Vasquez disp. 245. & Laymannus cap. 6.

Obseruandum est contra Vasquez, Laymannum & Ochagauia, vt optimè Paludanus in 4. dist. 25. q. 3. a. 1. ex dispensatione Pontificis feminas posse validè tonsura clericali initiari, etiam si prima tonsura tribuatur masculis tanquam præuium ad ordinationem: quia hæc ordinatio est ex sola institutione Ecclesiæ; & non repugnat feminam esse capacem illius, quod in masculis est præparatio præuia, quamuis non sit capax eius ad quod est præparatio in masculis. Et ob eandem rationem possent ex dispensatione Pontificis quatuor minoribus Ordinibus initiari, si non essent ex Christi institutione, sed tantum ex institutione Ecclesiæ, vt credunt Vasquez & alij. Circa hermaphroditum legatur Laymannus libro 1. in priori Tomo, Bonacina disputat. 8. quæst. vnica, par. 5. & noster Tractatus de Irregularitate, Disputat. 11. Difficultate xiv.

DIFFICULTAS XXI.

De ætate requisita ad ordinationem Ecclesiasticam suscipiendam.

Conueniunt Doctores, quemcumque masculinum, habentem vsum rationis, esse capacem ordinationis Ecclesiasticæ: quia Christus in habente vsum rationis nullam præscripsit ætatem ad suscipiendam validè ordinationem, sicut nec ad validè suscipienda reliqua Sacramenta.

Est tamen difficultas, An infantes ante vsum rationis sint capaces ordinationis: & idem est de perpetuè amente.

Durandus in 4. dist. 25. q. 2. & Petrus Sotus de Institutione Sacerdotum, lect. 5. partem negatiuam tuentur: quia ordinans verbis formæ dicit ordinando, *Accipe, aut potestatem, aut Spiritum sanctum,* aut *librum,* aut aliam rem sensibilem; quæ verba cum sint imperij, necessariò sunt dirigenda ad eum qui capax est imperij passiuui, cuius infans ante vsum rationis est incapax.

S. Thomas verò in 4. dist. 25. q. 1. a. 1. quæstiunc. 2. Scotus q. 2. Vasquez disp. 246. & cõmuniter Doctores partem affirmatiuam meritò tradunt. Et id quoad Ordines minores, & quoad Subdiaconatū, supponitur in c. vn. de Clerico per saltum promotio. Quòd si infans ante vsum rationis est capax dictorum Ordinum, etiam erit aliorum, adhuc Episcopatus; quia minores Ordines, & saltè Diaconatus, non minus sunt Sacramentum, & non minus imprimunt characterem, quàm reliqui maiores. Et ratione probatur, quia infans capax est omnium Sacramentorum, quæ non requirunt essentialiter conditionem aliquam statui infantie repugnantem; quia est capax Baptismi, & Confirmationis, & Eucharistiæ, quia non requirunt talem conditionem; & non est capax Matrimonij, nec Pœnitentiæ, quia essentialiter requirunt actus liberos; nec Extremæ Vnctionis, quia tantum instituta est pro his, qui pro tempore, quo confertur, possint habere peccata actualia, aut debitum pœnæ restantis, & qui possint egere auxiliis ad resistendum dæmoni: Sacramentum autem Ordinis, adhuc Episcopatus, nullam requirit conditionem repugnantem statui infantie.

Ad rationem ergo pro aduersariis respondemus, illo verbo *Accipe* in forma ordinationis, non denotari imperium propriè & in rigore, quod tantum dirigitur ad eum qui est capax imperij passiuui, cuius infans non est capax; sed tantum denotari efficaciam & infallibilem vim Sacramenti Ordinis ad collationem potestatis & gratiæ, quarum infans est capax: & quamuis ad valorem ordinationis requiratur tactus physicus materiæ illius, cuius oblatione confertur potestas (quod nos negamus) infans est capax illius.

Sed quamuis ex institutione Christi (& consequenter ad valorem Ordinis) nulla certa ætas requisita sit in Ordinando, tamen ex Iure Ecclesiastico (& consequenter, vt licitè fiat) pro prima tonsura requisitum est septennium in Rubrica Pontificalis, de Ordinibus conferendis: imò in Tridentino sess. 23. c. 4. de Reformatione, pro prima tonsura requiritur certa scientia (de qua postea dicemus) quæ regulariter non inuenitur ante nonum annum. Pro minoribus vero Ordinibus nulla in Iure præscribitur certa ætas: ea tamen qualitas requiritur à Tridentino c. 11. quæ regulariter non inuenitur ante 12. annum. Pro maioribus autem Ordinibus nouissimè in Tridentino sess. 23. c. 12. de Reformatione præscribitur, vt nullus ad Subdiaconatum ante 22. & ad Diaconatum ante 23. & ad Presbyteratum ante 25. ætatis suæ annum promoueatur: vnde qui habet 22. inchoatum, ordinari potest Subdiaconus, & sic de aliis duobus; quia qui inchoauit annum, iam est in eo, & non ante eum.

Et id voluit Tridentinum etiam in ordinatione Regulariū obseruari, non obstantibus quibuscumq; pri-

Durandus.
Sotus.

S. Thomas.
Scotus.
Vasquez.

Epiphanius.

Paludanus.

Laymannus.
Bonacina.

Trident.

Trident.

priuilegiis, quo reuocatum mansit priuilegium Minoribus ab Innocentio VIII. concessum, vt Generalis & Prouincialis possint dispensare, vt Religiosi ipsi subditi possint 22. anno completo ad Presbyteratum promoueri. Et quamuis Pius V. voluit, vt Mendicantes non obstanto Tridentino, vterentur suis priuilegiis; tamen Gregorius XIII. reuocauit, vt constat ex Motu proprio, qui existat apud Nauarrum in fine Summæ. Et quamuis postea ipse Gregorius XIII. (vt Cardinales Congregationis Tridentini referunt) restituerit Mendicantibus sua priuilegia, sed in foro tantum conscientie; & ideo non possunt vti dicto priuilegio dispensandi in dicta ætate ad Presbyteratum requisita: quia Superiores non aliter ordinant suos subditos, quam mittendo illos ad Episcopum cum literis dimissoriis, & in eis debet contineri vera testificatio ætatis, vt priuilegium profit; ac proinde dispensatio in ea ætate non potest fieri nisi in foro exteriori, ad quam vt sic non habent priuilegium. Ad hoc tamen, vt aduertit Vasquez nu. 45. poterit dictum priuilegium prodesse Regularibus, vt si forte aliquis bona fide ordinetur ante 25. annu, post 22. possit Prouincialis dispensare cum illo, vt exerceat Ordinem. Pro Episcopatu nulla Iure nouo Ecclesiastico præscripta est ætas; Iure tamen Ecclesiastico antiquo cap. *Cum in cunctis*. de Electione, præscripta est ætas 30. annorum completorum.

DIFFICULTAS XXII.

De qualitate ordinandorum.

PRO prima tonsura in Tridentino sess. 23. c. 4. de Reformatione, præscribitur, vt ea iniiciendus susceperit Confirmationem, & rudimenta fidei sciat & legere, & scribere, & quod non iniicietur ille de quo non sit probabilis coniectura, quod eligat id genus vitæ, vt Deo fideliter seruiat, & non vt declinet iudicium sæculare. Nihilominus, quia Tridentinum nullum quoad prædicta tradit præceptum, sed tantum simplicem monitionem, ideo Episcopus, qui ordinat eum quæ prudenter timet habere intentionem ducendi vxorem, & is qui, habens eam intentionem, ordinatur, non peccat saltim mortaliter: & idem est de ordinante, & de eo qui ordinatur absque reliquis prædictis, excepta scientia, quoad primam tonsuram, & quoad reliquos Ordines; quia quamuis scientia præscripta à Tridentino pro illis, non sit ab ipso requisita ex necessitate, est tamen sic requisita in can. *Illiteratos*. distinct. 36. & in c. *Cum in cunctis*. de Electione. & in cap. finali. de Temporibus ordinationum, in 6.

Pro quatuor verò minoribus Ordinibus Tridentinum c. 11. præscribit, vt ad eos non admittantur, qui ignorant linguam Latinam, & de quibus non speretur habituros scientiam sufficientem ad maiores Ordines.

Pro Subdiaconatu & Diaconatu Tridentinum cap. 13. præscribit, vt eis iniiciendi habeant bonum testimonium, & sint in minoribus Ordinibus probati, & sint literis, & his quæ ad eos exercendos pertinent, instructi, & sperent se seruaturus continerentiam. Sed quia ea, quæ ad eos exercendos pertinent, facile possunt ex Rubricis Missalis addisci, ideo possunt absque indecentia ordinari, quamuis ea non sciant antea.

Pro Sacerdotio verò Tridentinum cap. 14. præscribit, vt eo iniiciendi habeant bonum testimonium,

& qui possint populum docere quæ necessaria sunt ad salutem, & ad rectè administranda Sacramenta, subintellige Baptismum, Eucharistiam, & Extremam Vnctionem, non Pœnitentiam; quia ad hanc administrandam noua approbatio requiritur ab ipso Tridentino c. 15. Ex eo verò, quod in articulo mortis pœnitentis possint pœnitentiam absque noua approbatione administrare, quando non est alius approbatus, non videtur necessarium, vt ante ordinationem sciant necessaria ad id, imò nec post ordinationem; quia est casus rarissimus, pro quo non videtur necessarium, neminem ordinari Sacerdotem, qui non sciat necessaria ad id. Deinde pro eis, qui maioribus iniiciuntur, statuit Tridentinum sess. 21. c. 2. de Reformatione, ne quis (subintellige, sæcularis) maioribus ordinetur, nisi habeat congruam sustentationem ex beneficio certo, aut ex pensione, aut ex patrimonio: imò quando non ex beneficio, sed ex pensione, aut patrimonio, non nisi pro necessitate aut commoditate Ecclesiæ ordinandi: qui verò sicto patrimonio, aut sicto pensione, aut sicto beneficio ordinatur, grauius peccat; tamen non est suspensus, vt aduertimus Tractatu de Suspensione, Difficultate XI 17.

DIFFICULTAS XXIII.

De temporibus ordinationum.

CERTUM est, primam tonsuram quouis anni tempore, & quouis die, & hora, & loco dari posse, & etiã, vt dicitur in Pontificali, minores Ordines quouis die Dominica: imò vnã aut alteram personam, quouis die festo posse ad minores Ordines promoueri: Subdiaconatum verò (& consequenter Diaconatum & Presbyteratum) non nisi in Sabbato Quatuor Temporum anni, & in Sabbato ante Dominicam passionis, & in Sabbato sancto ante Dominicam Resurrectionis, vt dicitur in c. *De eo autem*. de Temporibus ordinationum: in quibus etiam possunt minores Ordines conferri. Imò in Hispania consuetudine receptum est, vt in ieiunio Quatuor Temporum ante Sabbatum minores Ordines conferri possint; quod introductum est, ne quis in eodem die Sabbati simul recipiat ordines Minores, & Subdiaconatū, quãuis id non sit prohibitum, vt aduertit Vasquez disp. 246. nu. 47. sed tantum in eodem recipi duos Ordines sacros, in c. *Dilectis*. de Temporibus ordinationum, & in Tridentino sess. 23. c. 13. de Reformatione. Episcopatum autem non posse conferri nisi in die Dominica, constat ex antiqua praxi Ecclesiæ, & tradit Leo I. Epist. 79. cap. 1. & refertur in can. *Quod dicitur*. dist. 75.

Circa interstitia seu interualla temporis quo vnus ordo confertur, vsque ad tempus quo alius confertur possit, in Tridentino sess. 23. c. 11. dicitur, minores Ordines per interstitia conferendos esse, nisi aliud Episcopo magis expedire videatur; vbi tempus interstitij seu interualli non assignatur, ac proinde remittitur arbitrio Episcopi: sed iam in Hispania consuetudine introductum est, vt minores Ordines eadem die absque interstitiis conferantur. Et in eodem cap. dicitur, nemini conferendum esse Subdiaconatum, nisi post annum à susceptione postremi gradus minorum Ordinum, nec Diaconatū, nisi post alterum annum à susceptione Subdiaconatus, vt patet ex c. 13. nec Presbyteratū, nisi post alterum annum à susceptione Diaconatus, vt patet ex cap. 14. Iudicio tamen Episcopi relinquuntur, vt in interstitiis dispense, prout necessitas vel

utilitas Ecclesiæ postulauerit, quæ verè postulat vt ordinetur, qui habet beneficium, aut capellaniam cum obligatione celebrandi Sacrum, & etiam (vt Congregatio Cardinalium declarauit) vt ordinetur qui in literis aut in virtute magnos fecit profectus, quia is ordinatus, erit utilis Ecclesiæ. Præposito autem Generali Societatis Iesu, & delegatus ipsius, concessa est facultas à Gregorio XIII. dispensandi cum suis subditis in interstitiis; quæ comunicata & delegata est Prouincialibus, vt constat ex Compendio tuorum priuilegiorum, v. *Ordinis*. §. 3. & noluit vt in eo priuilegio Religio alia comunicet cum Societate: vnde quando nostri mittuntur à Prouinciali vt ordinentur, mittuntur dispensati ab ipso in interstitiis, nulla egentibus dispensatione Episcopi.

DIFFICULTAS XXIV.

Quo Jure prohibitum sit, sacris & maioribus Ordinibus initiatum, Matrimonium contrahere.

Supponimus, in quo Doctores cōueniunt, sacris & maioribus Ordinibus initiatos, prohibitos esse matrimonium contrahere, & esse inhabiles ad id, vt constat ex Tridentino sess. 24. can. 9. imò ab initio Ecclesiæ Christianæ fuisse prohibitos matrimonium contrahere, constat ex can. 27. Apostolorum, in quo ex Clericis tantum permittitur Cantoribus & Lectoribus matrimonium contrahere; quæ prohibitio post paucos annos videtur contrario vltu abrogata quoad initiatos minoribus Ordinibus, & Subdiaconatu, vt deducitur ex c. *A multis*. de *Ætate & qualitate & ordine*, edito ab Innocentio III. dum dicitur, Subdiaconatum nō fuisse Ordinem sacrum in primitiua Ecclesiā; quia eo significatur, tunc non fuisse illi annexam obligationem non cōtrahendi matrimonium, ex quo Ordo dicitur sacer, vt satis insinuat in dicto c. *A multis*. Prædicta tamen prohibitio renouata fuit quoad Subdiaconos, Diaconos & Presbyteros in Sexta Synodo generali in Trullo can. 6. approbato in dicto c. *A multis*; & modò perseverat in tota Ecclesiā, tam Græca quam Latina: & in Ecclesiā Latina qui illud de facto contrahunt, incurrunt ipso facto excommunicationem maiorem, latam in Clement. vnica, de Consanguinitate & affinitate; & fuisse inhabiles ad id à tempore Calixti II. deducitur ex can. *Presbyteris*, dist. 27. edito ab ipso in Concilio Romano cap. 2.

Hoc ergo supposito, conueniunt Doctores, sacris initiatos, prohibitos esse matrimonium contrahere ex lege Ecclesiastica, siue immediatè & ratione sui, siue mediatè, mediante videlicet voto ex lege Ecclesiastica annexo Ordinibus sacris, de quo dicemus Difficultate xxvi.

Est tamen difficultas, An sacris initiati sint etiam Iure diuino positio prohibiti matrimonium contrahere.

Clichtouæus lib. 1. de Continentia c. 13. Medina lib. 2. de Continentia c. 7. Maior in 4. dist. 24. q. 2. Waldensis de Sacramentis cap. 28. & Franciscus Turrianus lib. de Sexta, septima, & octaua Synodo Generali, in expositione sexti Canonis sextæ Synodi, docent, sacris initiatos, etiā Iure diuino esse prohibitos matrimonium contrahere. Primò, quia dicta prohibitio continetur in Scriptura, quia 1. ad Timoth. 3. dicitur, quod Episcopus sit tantum vnus

uxoris vir; & paulò inferiùs idem subdit de Diaconis, & ad Titum 1. de Presbyteris. Secùdò, quia id prohibetur ab Apostolis can. 27. quem Patres Trullani renouarunt can. 6. Sextæ Synodi. Tertio, quia in Synodo Neocæsariensi can. 1. & in Concilio Romano sub Siluestro can. 19. statuitur, vt Presbyter, qui post ordinationem uxorem duxerit, ab ordine deponatur: & in Concilio Aurelianensi III. can. 7. idem prohibetur sub pœna excommunicationis. Tunc autem non imponebantur pœnæ adeò graues, nisi pro transgressione Iuris diuini. Quarto, quia prohibitio hæc sancita fuit, & seruatur in vtraque Ecclesiā, tam Græca quam Latina; ergo est diuina, & non purè Ecclesiastica; quia mirum esset, vtramque Ecclesiā in eo conformari, sicut nec conformantur in castitate seruanda ab ordinatis post matrimonium; quia Græci, qui post matrimonium ordinantur, eo vtuntur, & licitè, vt dicemus Difficultate sequenti.

Sotus verò in 4. dist. 58. q. 1. art. 2. Bellarminus l. 1. de Clericis, c. 18. Vasquez disp. 248. Egidius disp. 20. du. 11. & Laymannus c. 11. docent, & merito, sacris initiatos non Iure diuino, sed Iure tantum Ecclesiastico, siue mediatè siue immediatè esse prohibitos matrimonium contrahere. Quod specialiter de Subdiaconis significat Innocentius III. in dicto c. *A multis*, dum ait, Subdiaconum non semper habuisse annexam obligationem continentia, ac promde non ex Iure diuino. Et id generaliter de Ordinibus sacris satis indicat Tridentinum sess. 24. can. 9. dum ait: *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, anathema sit*: quia dum sacris Ordinibus initiatos non posse licitè nec validè contrahere, attribuit legi Ecclesiasticæ, vel voto, nulla mentione facta legis diuinæ, satis indicat, neutrum ex lege diuinā dimanare; quia huius primò mentionem fecisset. Et id probatur ex eo, quod nullo sufficienti fundamento constat Deum id prohibuisse; quia non primo, nec secundo aduersariorum; quia his tantum probatur, dictam prohibitionem esse Apostolicam, non diuinam: & id ad summum probatur quarto aduersariorum fundamento. Addimus ad summum, quia Ecclesiā Græca & Latina benè possunt conformari ad tradendam & seruandam prohibitionem aliquā, quamuis non diuinam, nec Apostolicam. Quod verò in Concilio Neocæsariensi & in Romano id prohibetur sub dictis pœnis, non cōuincit dictam prohibitionem esse diuinam; quia pro transgressione legis humanæ, etiam tunc passim imponebantur prædictæ pœnæ.

Quod verò Ordo sacer non reddat personas inhabiles Iure diuino ad matrimonium, & id non irritet, sed tantum Iure Ecclesiastico, diximus Tractatu de Matrimonio, Disp. xvi. Difficultate 1.

Quod autem prohibitio Ecclesiastica, qua sacris initiati prohibentur matrimonium contrahere, & sunt inhabiles ad id, sit rationabilis & sanctissima, & non parum congrua ministris altaris (quod hæretici impugnant) ita manifestum est, vt necessarium non sit id expendere, nec obiectionibus hæreticorum satisfacere: id tamen poterit videri apud Vasquez, Egidium & Laymannum.

Addimus, eo ipso, quod sacris initiati prohibentur matrimonium contrahere, etiam prohiberi fornicari:

Synodus
Neocæsar.
Conc. Rom.

Conc. Aur.
III.

Sotus.
Bellarm.
Vasquez.
Egidius.
Layman.

Innoc. III.

Trident.

Greg. XIII.

Trident.

Innoc. III.

Conc. Rom.

Clichtouæus.
Medina.
Maior.
Waldensis.
Franciscus.
Turrian.

Vasquez.
Egidius.
Layman.

nicari: quia matrimonium ipsis prohibetur propter copulam; prohibetur autem illis tam matrimonium quam fornicatio intuitu obferuantia & reuerentia Ordinis; ac proinde peccatum contra dictam prohibitionem est quasi sacrilegij, non contra Religionem, sed contra duliam sacram erga personas sacras.

DIFFICULTAS XXV.

Quo Iure prohibitum sit Sacris initiatos vti Matrimonio ante Ordines contracto.

Supponimus, sacris initiatos, antea coniugatos, saltem Iure Ecclesiastico, siue immediatè & ratione sui, siue mediatè ratione voti ex lege Ecclesiastica annexi Ordini sacro, prohibitos fuisse, & ab initio Ecclesie matrimonio antea contracto vti:

Clem. Rom.

quod significat Clemens Romanus Epist. ad Iacobum fratrem Domini, vel potius ad Simeonem, dum ait: *Quod si post ordinationem ministro altaris contigerit proprium inuadere cubile vxoris, sacrarij non intret lumina, nec sacrificij portitor fiat*; quod ab Apostolo Petro accepisse testatur. Idem quoque constat ex Sixto III. lib. de Castitate, & ex Siricio Papa Epist. 4. quæ est in Concilio Tellensi, & ex Epiphano lib. Aduersus hæreses, Hæresi 59.

Sixtus III. Siris. Papa Conc. Tel. Epiphani.

Hoc ergo supposito, difficultas est, An sacris initiati post matrimonium contractum, sint etiam Iure diuino prohibiti vti matrimonio antea contracto.

Turrian.

Franciscus Turrian. lib. de 6. 7. & 8. Synodo generali in exposit. 3. canonis Sextæ Synodi, & lib. 2. de Dogmaticis characteribus, partem affirmatiuam tuetur, quam latissimè probat testimonijs Scripturæ, Conciliorum, Pontificum, & Patrum, quæ omitimus, quia sunt longa & facilia, & videri possunt apud Vasquez disput. 2. 37.

S. Thomas. Medina. Bellarm. Vasquez.

S. Thomas verò 2. 2. q. 88. ar. 1. Medina l. 1. de Continentia, cap. 7. Bellarminus lib. 1. de Clericis, Vasquez & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò. Primò, quia nullo sufficienti fundamento constat, Deum sacris initiatis vsui matrimonij antea contracti prohibuisse. Secundò, quia Græcis sacris initiatis (exceptis Episcopis) licitum fuit, imò & modò est, vti matrimonio antea contracto; ergo id non est prohibitum Iure diuino. Consequentiã patet, quia Iure diuino omnes tenentur. Antecedens autè constat ex Stephano Papa III. in Conc. Lateranensi, & refertur in can. *Alter*. d. 31. & ex Clemente III. in c. *Quasi sum*. de Pœnitentijs & remissionibus, & ex Innocentio III. in cap. *Cum olim*. de Clericis coniugatis, & ex Concilio Lateranensi sub eodem Innocentio III. ex Græcis & ex Latinis congregato, c. 14. & ex Sexta Synodo in Trullo congregata can. 13.

Stephanus Papa III. Conc. Lat. Clem. III.

vbi illis tantum prohibetur vsus matrimonij pro tempore vicis suæ: quod etiam Gregorius libro 1. Epistolarum Epist. 42. docet de Subdiaconis, Siciliae tunc existentibus, & refertur in can. *Ante triennium*, distinct. 31.

Innoc. III.

Syn. Trul.

Gregor.

Prædicta tamen lex Ecclesiastica non vtendi matrimonio ante Ordines sacros contracto, non solum in Ecclesia Græca, contraria consuetudine abrogata sui, vt deducitur ex dictis, etiam si postea in tota Græcia, aut in aliquibus partibus reuixerit (vsque ad Sextam Synodum, post cuius tempus omnino reuocata mansit) vt indicat Epiphanius Hæresi 59. & Hieronymus Epist. 53. dum supponunt, Clericos non posse vti matrimonio antea contracto; sed

Epiphani. Hierony.

etiam reuocata fuit in Ecclesia Latina ante Concilium Illiberitanum (cui præfuit Hosius Cordubensis, qui etiam præfuit Concilio Nicæno) vt indicatur can. 33. illius, dum in nouatur primitiua prohibitio his verbis: *Placuit in totum* (id est pro omni tempore, & non tantum pro tempore vicis suæ) *prohiberi Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, positis in ministerio* (id est, qui sunt proximè & immediatè deseruientes in altari) *abstinere à se coniugibus suis, & non generare filios*. quæ ex tunc permanit & permanet.

Con. Illib. Con. Nic.

DIFFICULTAS XXVI.

Utrum Sacris initiati obligentur ad continentiam lege Ecclesiastica immediatè, an mediante voto.

Supponimus, in quo conueniunt Doctores, sacris initiatos in Ecclesia Latina ad continentiam ab omni actu Venereo teneri.

Est tamen difficultas, Quo teneantur ad id?

Scotus in 4. dist. 37. q. 1. Paludanus q. 1. art. 2. & Valentia q. 5. puncto 5. docent, sacris initiatos Iure Ecclesiastico & immediatè teneri ad dictam continentiam, & non voto. Et in primis teneri Iure Ecclesiastico, probatur, quia aliàs, qui omnino ignoraret annexum esse votum continentia sacris Ordinibus, aut qui id sciens intenderet non vouere, non contraheret peculiarem obligationem continentia, quod videtur falsum. Quòd verò non teneatur voto, probatur, quia qui sacris initiatur, etiam si ab Episcopo de cõtinentia seruanda admoneatur, nullum tamen continentia votum emittunt; ergo ad illam non obligantur voto, quia nemo obligatur voto, nisi à se ipso emisso.

Scotus. Paludanus Valentia.

Caietanus Tom. 1. tract. 27. Medina l. 5. de Cõtinentia, c. 2. & Vasquez dif. 247. docent, Sacris initiatos non teneri immediatè ad continentiam ex lege Ecclesie, sed teneri immediatè ex voto sacris Ordinibus ex lege Ecclesiastica annexo. Et in primis teneri ex voto, supponi videtur in c. *Cum olim*. de Clericis coniugatis, & maximè in c. vnico de Voto & voti redemptione, in 6. Quòd verò non teneantur immediatè ex lege Ecclesiastica, probatur, quia aliàs Sacris initiatus, qui ad propriam vel ad alienam accederet, duplici peccato peculiari, superaddito peccato luxuria, peccaret, vno infidelitatis seu irreligionis contra religionem erga Deum, cõttra votum altero quasi irreligionis contra duliam, ratione prohibitionis Ecclesiastica intuitu status Ecclesiastici, quod videtur durum.

Caietanus. Medina. Vasquez.

Egidius verò dist. 20. dub. 13. Rebellus l. 3. de Matrimonij impedimentis, qu. 10. docent, sacris initiatos ad dictam continentiam teneri, non solum voto Ordinibus sacris ex lege Ecclesiastica annexo, si illud saltem implicite emisissent; sed etiam immediatè lege Ecclesiastica.

Egidius. Rebellus.

Et in primis Ordinibus sacris ex lege Ecclesie annexum esse votum continentia, conitatur ex Gregorio l. 1. Ep. 42. & refertur can. *Nullum*. dist. 28. vbi præcipit, vt nullus deinceps Subdiaconus ordinetur, nisi prius se castè victurum promittat; & etiam vt votum continentia ab ordinandis sacris Ordinibus exigatur: imò in c. *Cum olim*. de Clericis coniugatis, & maximè in cap. vnico de Voto & voti redemptione, in 6. supponitur votum continentia in ipsa Ordinis susceptione emitti. vbi nomine *voti* nequit intelligi lex Ecclesiastica continentia, vt ex contextu posterioris capituli constat.

Gregorius.

Hoc

Hoc ergo supposito, constat, sacris initiatos ad continentiam teneri voto, quia verè emittunt votū continentiae, si non explicitè, saltem implicitè, Ordinem sacrum suscipiendo, quando illum scienter suscipiunt, & dictam annexionem scientes. Ex quo constat ad posteriorem rationem pro Scoto, Paludano & Valentia adductam. Et sanè si sacris initiati non tenerentur voto continentiae, motus incontinentiae interior, siue voluntatis, siue appetitus sensitivus, non esset in illis specialiter peccatum; quia lege Ecclesiastica nequit motus internus prohiberi.

Quod verò etiam teneantur ad continentiam immediatè ex lege Ecclesiastica illis incōtinentiam immediatè prohibente, negari non potest quoad aliqua; quia in primis lege Ecclesiastica immediatè prohibentur matrimonium contrahere, ut etiam fateretur Vasquez nu. 100. & constat ex can. illo 27. Apostolorum, id prohibente Synodo Trullana, & numquam abrogato, nisi quoad Subdiaconos & alios Clericos inferiores; renouato tamen intra paucos annos quoad Subdiaconos, & quoad alios Clericos superiores, in Sexta Synodo in Trullo can. 6. approbato in c. *Amultis*. de *Etate & qualitate & ordine*. imò Ecclesia non solum illis prohibet matrimonium, sed etiam eos reddit inhabiles ad id lege sua immediatè; & non redduntur inhabiles voto ipso, ut dicimus Tract. de Matrimonio, Disp. xv. & xvi. Eo autem ipso, quod Ecclesia aliquibus prohibet matrimoniū, etiam eis prohibet copulam, & quemcumque actum Venereum exteriorē, quem potest; quia propter actus eis prohibet matrimonium; & ob id actus copulae, & quicumque alius Venereus inter affines, quibus prohibitum est matrimonium inter se, prohibentur specialiter, & sunt specialiter peccata.

Et tandem quod lege Ecclesiastica immediatè teneantur ad non contrahendum matrimonium, constat, quia lege Ecclesiastica immediatè id illis prohibetur, ut constat ex can. illo 33. Concilij Ilberitani, recepto à tota Ecclesia Latina.

Vnde sacris initiatus, qui non vouit adhuc implicitè continentiam, aut quia in infantia ordinatus fuit, aut quia ignorauit annexionem voti continentiae, aut quia intendit non vouere, ad nullam continentiam tenetur specialiter ex voto, tenetur tamè ex lege Ecclesiastica ad continentiam exteriorē, etiam ille qui metu ordinatur (sicut baptizatus tenetur legibus Ecclesiae, quamuis in infantia baptizetur, & ex metu, & notens Ecclesiae legibus obligari) quia specialis lex continentiae lata est pro initiatis sacris Ordinibus. Is tamèn, qui ordinatur intendendo non vouere continentiam, non tantum peccat pro tunc quando ordinatur non vouendo, sed etiam pro tempore sequenti, quousque aut explicitè aut implicitè voueat; quia ad eam vouendam tenetur tamquàm ad aliquid annexum statui, quem suscepit; quod etiam forsitan est verum, etiam si quis in infantia aut ex metu ordinatur.

Constat ergo, actum Venereum exteriorē sacris initiati, qui saltem implicitè vouit, esse triplex peccatum distinctae speciei, nempe vnum luxuriae contra castitatem, & aliud sacrilegij contra Religionem, ex qua obligat votum, & aliud quasi sacrilegij contra duliam sacram ratione legis Ecclesiasticae id prohibentis, intuitu reuerentiae statui Ecclesiastico debita. Addidimus actum Venereum exteriorē, quia interior, ut voluntatis & appetitus, de quo non potest Ecclesia iudicare, non erit pec-

catum contra duliam sacram, quia non est contra dictam legem Ecclesiasticam, quia Ecclesia nequit illum prohibere.

DIFFICULTAS XXVII.

Vtrum Sacris initiati teneantur tonsuram Clericalem gestare.

Supponimus, gestationem Clericam, seu tonsuram Clericalem, factam in summitate capitis instar coronae, initiū sumpsisse à D. Petro (ut aduertit Beda l. 5. Hist. Anglicanae, & Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in Theoria rerum Ecclesiasticarum, Tomo 4. Bibliothecae antiquorum Patrum) qui aut propria voluntate sic est attonsus in memoriam coronae spinicae Christi, aut ab his, ad quos missus fuit ad praedicandum, in ludibrium & illusionem, quod Ecclesia voluit in honorem conuerti.

Hoc ergo supposito, conueniunt Doctores, Clericos minoribus Ordinibus initiatos, habentes Ecclesiasticum beneficium; & maioribus initiatos, quamuis beneficio carentes, teneri tonsuram Clericalem gestare; quia id praecipitur Sacris initiatis in cap. *Si quis*. de Vita & honestate Clericorum; & minoribus Ordinibus initiatis beneficium habentibus in c. *Ioannes*. de Clericis coniugatis. Et idem praecipitur vtrisque; in Motu proprio edito à Pio V. super reformationem Cleri Urbis (& idem est de habitu Clericali; quia etiam id eis praecipitur in cap. *pauult*. de Vita & honestate Clericorum, & in Clementina, *Quoniam*, eodem titulo) Clericos verò minoribus initiatos carentes beneficio, non teneri tonsuram Clericalem gestare; imò hos, qui bigami sunt, non posse, ut constat ex cap. *Alterationis*, de Bigamis, in 6.

Est tamen difficultas, An Clerici, tonsuram gestare obligati, peccent mortaliter eam non gestando.

Caietanus v. *Clericorum peccata*, docet, praedictos Clericos non peccare mortaliter ex vi praecipiti, secluso contemptu & contumacia, non gestando Clericam seu tonsuram instar coronae, quia generaliter existimat praecipita humana ex vi sua, secluso contemptu & contumacia, non obligare sub mortali. In hoc tamen fundamento manifestè fallitur Caietanus, ut contra ipsum docent communiter Doctores in Tractatu de Legibus.

Panormitanus in c. *Si quis*. de Vita & honestate Clericorum, Angelus v. *Clericus*. 4. num. 1. & Nauarrus c. 2 §. n. 100. absolute & absq; vlla limitatione docent, Clericos praedictos peccare mortaliter non gestando Clericam, seu tonsuram instar coronae; quia est ommissio rei grauis praecipitae.

Siluester v. *Clericus*. 2. n. 2. Armilla n. 11. Vasquez disp. 2 §. n. 24. Reginaldus lib. 30. c. 2. Laymannus cap. 12. puncto 6. & comuniter Doctores, docent, praedictos Clericos, ex vi dicti praecipiti, posse peccare mortaliter, non gestando Clericam, seu tonsuram in modum coronae; sed de facto non peccare mortaliter, nisi quando mora temporis, in quo non gestatur, est adeò notabilis, ut detur occasio vilipendendi statum Clericalem, & merito: quia id praecipitur Clericis in honorem status Clericalis, ut non vilipendatur, ac proinde ex hoc fine desumenda est grauitas & leuitas transgressionis huius praecipiti, quae, attentam moram temporis, & attentum consuetum modo, discernenda est arbitrio prudentis. Vnde quamuis res praecipitae dicto praecipito sit grauis ex obiecto, id est possit esse grauis; de facto tamen potest esse leuis ex paruitate morae temporis.

Bedae.
German.
Patriarcha

Pius V.

Panorm.
Angelus.
Nauarrus.

Siluester.
Armilla.
Vasquez.
Reginaldus
Layman.

R. P.
GASPARIS HVRTADO
DOCTORIS THEOLOGI E SOC. IESV
D E
SACRAMENTIS
TOMVS TERTIVS,
COMPLECTENS TRACTATVS
DE MATRIMO
ET CENSV



R. B.
GASPARIS HARTADO

DOCTORIS THEOLOGICI SOC. IESU

D E

SACRAMENTIS

TOMVS TERTIVS

COMPLECTENS TRACTATVS



DR. MARTINUS
ET GENESIVS

F A C V L T A S
P. P R O V I N C I A L I S .

EGO Ludouicus de la Palma, Societatis IESV in Prouincia Toletana Præpositus Prouincialis, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum P. N. Mutio Vitelleschi Præposito Generali, facultatem facio, vt Tractatus de Matrimonio & Censuris, Auctore Patre Gaspare Hurtado Doctore Complutensi, nostræ Societatis Theologo, & eiusdem Societatis grauium doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus in hac nostra Domo Iesu del Monte, die xxv. Augusti, anno Domini M. DC. xxvi.

Ludouicus de la Palma.

F A C V L T A D
D E L O R D I N A R I O .

NOS el Doctor D. Iuan de Mendieta, Vicario General en esta Villa de Madrid y su partido, por la presente, por lo que nos toca, damos licencia, para que se pueda imprimir el libro, intitulado *Tractatus de Matrimonio & Censuris*, atento que le hemos hecho ver, y no tiene cosa contra nuestra santa Fè, y buenas costumbres, antes es muy vtil y prouechofo. Fecha en Madrid à 1x. de Setiembre de M. DC. xxvi.

Doctor D. Iuan de Mendieta.

Por su mandado,

Luis Parral de Olmedo.

APPROBATIO D. DOCTORIS
D. CHRISTOPHORI DE GVZMAN,
SERENISS. CARDINALIS INFANTIS,
ARCHIEPISC. TOLETANI, MAGISTRI.

EX commissione D. Doctoris Ioannis de Mendieta, Vicarij Generalis Madriti, per Serenissimum D. ac D. meum Infantem Cardinalem Archiepiscopum Toletanum, vidi, attenteque legi peregregium Tractatum de Matrimonio & Censuris, à grauiissimo & sapientissimo P. Doctore Gaspare Hurtado è Societate IESV, & in eadem Compluti Theologiæ Primario Professore: Opus quidem valdè elaboratum, & quod mirabilius mihi est, cum breuitate sermonis, omnibus numeris absolutissimum, ita vt in eo nihil desiderandum reperiatur; nam & insignis resolutio sacrorum Canonum, necnon & Iuris ciuilibus, quantum in hac parte opus est illis, subtilis & solida intelligentia, in dicendo consequentia, & Theologiæ Scholasticæ sollicita indagatio, maximè in hoc Opere enitent. Quare cum sanam & veram doctrinam in nihilo nostræ fidei aduersantem, scholis vtilissimam contineat, dignum censeo vt typis mandetur, & in fructum vsusque plurimorum publicè appareat. Madriti die VII. Septembris anno Domini M. DC. XXVI.

Doct̃or D. Christophorus de Guzman.

APPROBATIO.

DE mandato Dominorum summi Hispaniarum Senatus, vidi Tractatum de Matrimonio & Censuris, ab eruditissimo P. Doctore Gaspare Hurtado Societatis IESV, & Compluti Primario Theologiæ Professore dignissimo compositum, Opus quidem multa breui sermone, & singulari resolutione mirum in modum doctissimè complectens; nihil in eo contra bonos mores, aut nostram sanctam Fidem, multa autem notatu digna inueni, quæ, & omnia in eodem Tractatu contenta, tam Theologis quàm Iuris vtriusque Professoribus grata erunt, & ideò censeo valdè proficuum fore, vt typis mandetur, religionique & eruditioni Auctoris, quasi debitum, vt ad id licentia concedatur. Madriti xv. Decembris M. DC. XXVI.

Gaspar Anguiano Iuris vtriusque Doct̃or.

TRACTATUS DE MATRIMONIO.

DISPUTATIO PRIMA.

De natura Sponsalium, & eorum valore ad obligandum.

DIFFICULTAS PRIMA.

Quid sint Sponsalia.

SPONSALIA tripliciter sumuntur. Primò, quamvis raro, promunetibus sponsæ ab sponso collatis, vt sumuntur 1. Reg. 18. *Non habet Rex sponsalia necesse.* Secundò sæpè & propriè sumuntur pro contractu matrimonij nondum consum-

mato, vt sumuntur Matth. 1. *Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph*: quia eo contractu quasi promittitur implicite vsus matrimonij. Tertiò communiter & propriè sumuntur pro mutua promissione futuri matrimonij, vt sumuntur, L. 1. ff. de sponsalibus, & cap. *Nostrates* 30. quæst. 5. Vnde, iuxta hanc tertiam acceptionem sponsalium, communiter dicuntur sponsi, qui sibi mutuò promiserunt matrimonium; & iuxta secundam etiam dicuntur sæpè qui matrimonium contraxerunt, & illud non consummarunt.

Nomine ergo spōsæ (& idem est nomine sponsi) in odiosis tantum comprehenditur sponsa de futuro, quia solum hæc communiter & propriè dicitur sponsa; sicut etiam nomine vxoris seu coniugis in odiosis tantum comprehenditur, quæ consummauit matrimonium, quamuis in fauorabilibus nomine vxoris seu coniugis etiam comprehenditur sponsa de futuro, vt decernitur in L. *Non sine*. C. De bonis quæ liberis. Quod etiam potest admitti in Iure Canonico, quoties ratio motiua legis fauorabilis etiam currit in sponsa de futuro, & nomine sponsæ etiam comprehenditur in fauorabilibus, quæ contraxit, & non consummauit; imò etiam in materia indifferenti, id est, neque odiosa neque fauorabili: quamuis in hac materia indifferenti, nomine vxoris etiam comprehendatur, quæ contraxit & non consummauit, non verò sponsa de futuro. Materia autem dicitur fauorabilis, quando lex directè intendit fauere, quamuis inde alicui resultet indirectè nocumentum; odiosa verò, quando lex directè intendit nocere, quamuis inde alicui resultet commodum indirectè, de quo legendus est Sancius lib. 1. disp. 1.

Hoc ergo supposito, sponsalia tertio modo sumpta, de quibus agimus, dicta sunt ab *spondendo*, quod significat spontè promittere; quia sponsalia

sunt promissiones futuri matrimonij: & sponsi dicuntur, quia sunt promissi. Sponsalia ergo sunt *futurarum nuptiarum mutua promissio*, vt definiuntur in cap. *Nostrates* 30. quæst. 5. excepta particula *mutua*: ea tamen deducitur ex L. 1. ff. De sponsalibus, vbi sponsalia dicuntur repromissio. Insinuatur quoque in cap. *Præterea*. 2. & in cap. *De illis*. 5. & in cap. *Sponsam*. 8. de Sponsalibus. Et quidem non ob aliam rationem sponsalia dicuntur in numero plurali, nisi quia sunt mutua promissio.

Ex quo deducitur, impedimentum publicæ honestatis (quod ex sponsalibus oritur, vt dicemus Disp. xxiv.) non oriri, quando promissio matrimonij non fuit mutuò facta, id est ab utroque contrahente, quamuis facta fuerit ab vno; quia ad sponsalia, ex quibus oritur, requisita est mutua promissio.

DIFFICULTAS II.

Vtrum Sponsalia addant fornicationi sponsæ aut sponsi cum alia persona, nouam malitiam.

Difficultas hæc procedit de Sponsalibus, vt regulariter fiunt, qua ratione facta obligant ex fidelitate & ex iustitia, vt dicemus Difficultate vi.

Couarruias 4. Decretal. p. 1. cap. 1. Viualdus de Sponsalibus, nu. 10. & Basilius lib. 12. c. 6. docent, fornicationem sponforum cum aliis personis, non addere nouam malitiam seu culpam supra malitiam luxuriæ, ac proinde circumstantiam sponsalium non esse necessariò explicandam in confessione.

Sancius verò lib. 1. disput. 2. Egidius disp. 22. dub. 1. Filliucius Tract. 10. ca. 7. Sarmiento lib. 1. Selectarum, cap. 5. & communiter Doctores docent, fornicationem sponforum supra malitiam luxuriæ addere nouam malitiam iniustitiæ contra alterum ex ipsis, & meritò: quia sponsi per sponsalia, vt regulariter fiunt, sibi mutuò reddunt ius iustitiæ ad corpora, qualia sunt quando sponsalia fiunt, quamuis non dominium seu ius in illis; ergo

violatio corporis promissi sponsi aut sponsæ est iniusta, seu contra iustitiam, utpote contra ius quod quilibet sponsus habet in corpus alterius; ac proinde dicta fornicatio, præter malitiam luxuriæ contra castitatem, etiam habet malitiam speciei distinctam iniustitiæ contra iustitiam. Dicta tamen fornicatio non est propriè adulterium, ut contra Paludanum in 4. distinct. 27. quæst. 1. artic. 3. & contra nonnullos Iurisperitos docent Couarruias ubi supra, & communiter Doctores, quia dicta fornicatio, non est violatio alieni tori (in quo consistit propria ratio adulterij) quia sponsis nondum conceditur torus. quod non leuiter confirmatur ex L. Inter. ff. Ad Leg. Iuliam. de Adulteriis, ubi dicitur: *Propriè adulterium in nuptiam committitur*; sponsa autem non est nupta.

Paludan.

COVARR.

5 Doctores autem, qui admittunt, fornicationem sponzorum cum aliis personis, supra malitiam luxuriæ addere malitiam iniustitiæ, conueniunt, fornicationem sponsæ supra malitiam luxuriæ addere malitiam iniustitiæ grauem, seu mortalem; ac proinde circumstantiam sponsalium esse ab ipsa, & à viro ad eam accedente, necessariò explicandam in confessione.

Sancius.
Filliucius.

Est tamen difficultas, An idem contingat in fornicatione sponsi. Sancius & Filliucius partem negatiuam tuentur, quia existimant, sponsum, & eam ad quam accedit, leuem iniuriam irrogare sponsæ.

Sarmiento.
Ægidius.

6 Sarmiento verò & Ægidius partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia ex vna parte fornicatio sponsi, sicut & sponsæ, ratione sui absque alio damno, siue infamiæ siue alijs mali, est iniusta, utpote contra ius sponsæ in corpus sponsi, sicut fornicario mariti est contra dominium vxoris, & econtrà; & ex altera parte materia est grauis; ergo fornicatio sponsi, sicut & sponsæ, cum alijs personis, addit nouam malitiam grauem seu mortalem iniustitiæ, ac proinde circumstantia sponsalium etiã est necessariò explicanda in confessione ab sponso, sicut ab sponsa, & ab illis alijs cum quibus fornicantur: imò tam in sponso quàm in sponsa addit tertiam malitiam infidelitatis contra virtutem fidelitatis, ob violationem promissionis; sed non malitiam mortalem, sed tantum venialem, adhuc in sponsa, iuxta ea quæ dicemus Difficultate VI. Et quando fornicatio est publica, præter dictas tres malitias addit, saltem in sponsa, quartam malitiam iniustitiæ, ob infamiam, & in sponsa est malitia grauis; quia fornicatione sponsæ grauius infamatur sponsus; non in sponso, quia fornicatione sponsi non infamatur, saltem grauius, sponsa.

Obseruant Sancius & Ægidius, filios natos ex fornicatione sponsi aut sponsæ cum alia persona, quamuis non sint legitimi, esse tamen naturales, & non spurios; quia solum impedimentum dirimens matrimonium inter parentes efficit filios spurios.

DIFFICULTAS III.

Vtrum promissio Matrimonij ad sui valorem requirat acceptationem.

7
Antonin.
Armilla.

Antoninus par. 3. titul. 1. cap. 18. & Armilla v. *Sponsalia*, num. 3. docent, promissionem matrimonij, ut sit valida ad obligandum, non re-

quirere acceptationem. Et deduci videtur ex c. *Veniens*. 5. Qui Clerici vel uouetes, ubi promissio matrimonij facta absenti censetur valida, & tamè non videtur fuisse acceptata, cum fuerit facta absenti. Et ratione probatur, quia promissio matrimonij nullo Iure, neque naturali neque positiuo, requirit acceptationem ad sui valorem, ergo. Et in primis non Iure naturali, seu suâ naturâ, quia qui promittit, quamuis alter non accipit, si non implet promissum, non conformat facta promissis, quod videtur esse contra fidelitatem seu veritatem in factis, non minùs quàm dicere contra mentem est contra veritatem in dicendo. Deinde non Iure aliquo positiuo, quia quamuis Iure communi ciuili, & euam particulari Castellæ, requiratur acceptatio ad valorem promissionis; non tamen Iure Canonico, quod solum id posset requirere in promissione matrimonij, saltem baptizatorum, quia hæc in baptizatis non subest Iuri ciuili.

Sancius verò lib. 1. disput. 6. Vasquez disput. 4. num. 42. & Ægidius disp. 22. nu. 39. docent, promissionem matrimonij ad sui valorem ad obligandum requirere acceptationem, & meritò: quia promissio cuiuscumque rei sit, ante acceptationem non obligat ex iustitia, neque ex fidelitate, ex quibus solis obligatio promissionis oriri potest. Et in primis non ex iustitia, quia nihil potest ad aliquem, v. g. ad me, ex iustitia pertinere tamquam meum, aut quasi meum, absque meo consensu, aut Dei, aut alterius mihi superioris quoad eam rem; alijs etiam posset ad me pertinere, me resistente, aut mihi superiore. Deinde neque ex fidelitate, quia ei cui fides est oblata, & eam non accipit seu acceptauit ab offerente, non est necessariò seruanda, sicut neque illi, qui postquam fidem accepit, eam remisit; quia qui illam non accipit, ita se habet, & ita est sine illa, ac ille, qui postquam eam accepit, illam remisit.

8
Sancius.
Vasquez.
Ægidius.

9 Vnde quæcumque promissio, etiam matrimonij, quamuis infanti facta, potest ante acceptationem reuocari; quia ante eam non obligat. Quod si infans, quamuis sit incapax acceptandi, potest emancipari, ut constat ex L. *Subemus*. C. De emancipationibus liberor. est; quia ad emancipationem non est necessaria acceptatio, quia per emancipationem pater nihil confert neque promittit filio, quia eam efficit pater cedendo potestati patriæ, quam ex solo Iure humano habet in filium.

Excipimus tamen promissionem factam ciuitati, & pio loco; quæ quamuis ante acceptationem non obliget ob rationem dictam, ut aduertunt Vasquez & Ægidius, nihilominus nequit reuocari Iure ciuili id statuentem, ut aduertit Ægidius. Promittens tamen non tenetur suam promissionem indicare promissariis, qui ex defectu notitiæ non acceptabunt, & sic promittens non erit obligatus.

Vasquez.
Ægidius.

10 In prædicto autem cap. *Veniens*, pro aduersarijs adducto, non constat, promissionem illam, quamuis absenti factam, non fuisse acceptatam; imò non deficit indicium acceptationis, cum in eo cap. supponatur, eum, cui facta est promissio, habuisse notitiam illius.

Ad rationem verò respondemus, acceptationem ad minus requiri Iure naturali, seu natura ipsius promissionis, ut promissio sit valida ad obligandum: quia, quamuis non conformare dicta menti, etiam quando promittimus, sit contra veritatem

tatem in dicendo; tamen non implere oblationem non acceptatam, non est contra fidelitatem seu veracitatem in operando, ob discrimen inter utramque veritatem; quia veritas in dicendo obligat absolute, absque respectu ad eum quem alloquimur, ut patet; non verò veritas in operando, ut diximus in probatione nostra opinionis; quod non est mirum, cum sint virtutes specie distinctæ, ut docet

Molina.

Molina Tom. 2. disp. 262.

DIFFICULTAS IV.

Vtrum qui acceptat promissionem Matrimonij, eo ipso censeatur repromittere.

11
Paludanus.
Vasquez.
Basilus.

Paludanus in 4. distinct. 27. quæst. 1. Vasquez de Matrimonio disp. 4. & Basilus lib. 12. c. 4. partem affirmatiuam tuentur. Primò, quia acceptans promissionem matrimonij, affirmat promittenti, se velle inire matrimonium cum eo; hæc autem affirmatio est repromissio. Secundò, quia promittens matrimonium, illud promittit sub conditione repromissionis; ergo eo ipso, quòd alter acceptat promissionem sub conditione repromissionis sibi factam, repromittit, aut saltem repromittere censetur.

Sotus.
Sancius.

Sotus verò in 4. distinct. 27. quæst. 2. & Sancius lib. 1. disp. 9. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia acceptatio promissionis non est formaliter repromissio, neque coniungitur necessariò cum repromissione; ergo acceptans promissionem matrimonij, non eo ipso repromittit formaliter, neque interpretatiuè, id est, non censetur repromittere. Antecedens autem probatur, & in primis, quòd acceptatio promissionis matrimonij non sit formaliter repromissio; quia acceptatio hæc sufficienter fit, admittendo fidem matrimonij oblatam, id est affirmando, expressè vel tacitè, se accipere fidem matrimonij oblatam: hæc autem admissio seu affirmatio non est promissio, quia non est oblatio fidei propriæ, sed acceptio alienæ. Ex quo etiam conitatur, acceptationem promissionis matrimonij non censeri repromissionem, quia dicta admissio seu affirmatio potest esse absque repromissione; quia potest quis affirmare se accipere fidem matrimonij sibi oblatam, non affirmando, nec expressè nec implicitè, se illi dare fidem, nec id intendere, nec ad id obligari.

Ad primam ergo rationem respondemus, negando, acceptantem promissionem matrimonij eo ipso affirmare promittenti, se velle inire matrimonium cum eo, sed tantum affirmare, se accipere fidem, aut ius oblatum, secum contrahendi matrimonium. Et quamuis acceptans id affirmaret, non eo ipso repromitteret; quia simplex affirmatio, qua quis affirmat promittenti, se velle contrahere matrimonium cum ipso, non est oblatio fidei, sed tantum nuda & simplex affirmatio.

13

Ad secundam rationem respondemus, quòd quamuis promittens matrimonium regulariter promittat sub conditione repromissionis, id tamen non est necessarium; quia promissio potest fieri absolute absque ea conditione. Et quamuis necessariò fieret sub ea conditione, ac proinde promissionem illam acceptaret sub conditione repromissionis, non tamen eo ipso repromitteret; quia potest non apponere conditionem illam sub qua pro-

mittens promisit, & non efficere promissionem promittentis absolutam, sed eam relinquere conditionatam.

DIFFICULTAS V.

Vtrum promissio Matrimonij non mutua, ab vno facta absque repromissione alterius, sit valida & sufficiens ad obligandum.

Vasquez disputat. 4. numero 29. Vera-cruz in Appendice ad Speculum, dub. 9. & Basilus libro 12. cap. 4. partem negatiuam tuentur; quia contractus matrimonij non est gratuitus, & quasi donationis, sed est mutuus, & quasi commutationis, per quem fit mutua corporum traditio; ergo promissio contrahendi matrimonij non est quasi donandi, sed quasi commutandi corpus pro corpore; ergo promissio contrahendi matrimonium ab vno solo facta, absque repromissione alterius, nequit esse valida ad obligandum, sicut neque traditio corporis potest fieri validè ab vno solo, quando etiam non fit ab altero.

Nauarrus verò capite 22. numero 25. & Sancius libro 1. disputatione 5. partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia fieri potest promissio ab vno gratis & absolute, non sub conditione repromissionis, & potest ab altero absque repromissione acceptari; ergo fieri potest validè promissio matrimonij ab vno solo, absque repromissione alterius. Consequentia patet. Antecedens autem probatur: & in primis, quòd possit acceptari ab altero absque repromissione, diximus Difficultate IV. Quòd verò dicta promissio possit fieri gratis, & absolute à conditione repromissionis, declaratur: quia quamuis traditio corporis, quæ fit in matrimonio, nequeat fieri liberaliter & absolute, sed sub conditione retraditionis corporis alterius (quia matrimonium essentialiter est mutuum, & includit mutuum traditionem) ac proinde nequeat fieri promissio tradendi gratis corpus non pro altero corpore, cadente particula *gratis* supra particulam *tradendi*; promissio tamen tradendi corpus pro corpore fieri potest absolute & gratis, particula *gratis* cadente supra *promissionem*; quia hoc non repugnat promissioni, etiam commutandi: quia quamuis commutatio ipsa essentialiter sit mutua, non tamen promissio commutandi; promissio enim & obligatio vendendi alteri domum pro pretio, fieri potest absque eo quòd alter repromittat, & obligetur emere domum, seu dare pretium pro domo; quia sufficit dare pretium pro domo, quando domus venditur & traditur.

Ad rationem ergo aduersariorum constat, ex discrimine inter contractum matrimonij, & inter promissionem illius; quia contractus est essentialiter mutuus, non verò promissio illius.

M m 3 quæst. 210. D I F

14

Vasquez.
Vera-cruz.
Basilus.

15

Nauarrus.
Sancius.

16

DIFFICULTAS V I.

Vtrum promissio Matrimonij gratuita, & non mutua, obliget sub mortali.

17 *Henriquez.* Henriquez de Excommunicat. cap. 17. quem alij sequuntur, docet, promissionem gratuitam, & non mutuam, seu simplicem (id est absque re-promissione, & absque alio titulo quam liberalitatis) quamvis sit rei grauis, vt matrimonij, non obligare sub mortali; quia promissio non mutua, & gratuita, tantum obligat ex veracitate in operando (quæ dicitur fidelitas;) ergo tantum obligat sub veniali. Consequentia patet, quia veritas seu veracitas in operando non magis obligat ad conformandum facta promissis, quam veritas, seu veracitas in dicendo, ad conformandum dicta menti; sed hæc tantum obligat ad id sub veniali, ergo & illa ad illud.

Nauarrus. Vasquez. Nauarrus cap. 18. num. 6. & Vasquez disput. 5. num. 13. docent, promissionem cuiuscumque rei grauis, vt matrimonij, quamvis gratuitam, & non mutuam, obligare sub mortali; quia promissio, etiam non mutua, & liberalis, non tantum obligat ex fidelitate, sed etiam ex iustitia; quia promissione confertur promissario ius iustitiæ ad rem promissam, iustitia autem in re graui obligat sub mortali.

18 *Molina.* Molina verò Tomo 2. disp. 262. docet, promissionem rei grauis, vt matrimonij, aliquando tantum obligare sub veniali, & aliquando etiam sub mortali, iuxta intentionem promittentis, quod probabile censet Lessius lib. 2. c. 18. dub. 8. & meritò. Et in primis, quod dicta promissio aliquando solum obliget sub veniali, probatur; quia aliquando contingit, vt promittens pro sua voluntate pure promittat, & offerat suam fidem & verbum, nolendo conferre promissario ius aliquod iustitiæ ad rem promissam; quia verbis promissionis non necessario affirmat, adhuc implicite, aliud, quam se dare, & seruaturum fidem: tunc autem promissio, quamvis sit rei grauis, non obligat ex iustitia, sed tantum ex fidelitate erga homines, ex qua, adhuc in materia graui, non oritur maior obligatio, quam sub veniali, sicut neque ex veracitate in dicendo.

19 Addidimus, ex fidelitate erga homines tantum oriri obligationem sub veniali; quia ex fidelitate sacra erga Deum in materia graui, ad quam seruandam ex voto tenemur, oritur obligatio sub mortali, vt Doctores conueniunt; quia fidelitas hæc, ex qua tenemur, est religio erga Deum, quæ in materia graui obligat sub mortali: & non obligat vt veritas est, sed vt est obseruantia; quia violatione voti, utpote facti in recognitionem supremi dominij Dei, cui dignum est vt obsequia promittantur, & promissa impleantur, peccamus, quia Deum in honoramus, aut quia honorem ei debitum non deferimus, non quia eum decipiamus, quia non possumus; violatione verò pure promissionis, homini facta, peccamus contra fidelitatem vt veracitas est, quia peccamus ex eo quod decipimus hominem (in quo, seclusis aliis damnis, non est grauis deformitas) & non peccamus contra eam vt obseruantia est, nisi homini promittamus obsequium, vt eius promissione, & promissionis impletione eum honoramus; quia

tunc in violatione non solum erit veniale contra fidelitatem, vt veritas est, sed etiam mortale contra eam vt obseruantia est, si materia fuerit valde grauis.

20 Quod verò promissio rei grauis, quamvis sit liberalis, & non mutua, aliquando etiam obliget sub mortali, probatur: quia promittens, si velit, sua promissione promissario confert ius iustitiæ ad rem promissam non minus, imò melius, quam simplici assertionem, qua non offertur fides: in hoc autem casu, quando contingit, promissio etiam obligat ex iustitia, ex qua in re graui oritur obligatio sub mortali; ergo promissio rei grauis in eo casu, quamvis solum liberalis, & non mutua, etiam obligabit sub mortali, ac proinde in fractione talis promissionis duplex committitur peccatum, vnum veniale contra fidelitatem, & alterum contra iustitiam, quod potest esse mortale, & est, quando promissio est rei grauis.

21 Ex dictis deducimus, sponsalia, vt regulariter seu communiter fiunt, obligare sub mortali. In quo conueniunt Doctores; quia ex vna parte, vt communiter fiunt, obligant ex iustitia, quia communiter fiunt mutuo contrahendo, & commutando ius ad vnum corpus pro iure ad corpus alterius; quia contrahentes communiter intendunt obligare, & obligari maiori obligatione, qua verbis promissoriis possunt (ob quod sponsalia, vt regulariter fiunt, dicuntur contractus sponsalitijs) & ex altera parte sponsalia sunt rei grauisimæ, nempe matrimonij. Vnde qui contrahunt sponsalia, intendendo efficere quod fieri solet, manent obligati ex fidelitate, & ex iustitia.

22 Addidimus, vt regulariter fiunt; quia non repugnat, fieri mutuam promissionem matrimonij, non commutando prædictum ius pro prædicto iure, quia non repugnat priorem promissionem fieri liberaliter & gratis, & posteriorem etiam liberaliter aut ex gratitudine, & neutra earum conferri ius iustitiæ: in quo casu sponsalia solum obligarent ex fidelitate, & sub veniali. ex sponsalibus tamen sic factis non oriretur impedimentum publicæ honestatis, vt dicemus Disputatione xxiv. quia ex vi illorum, sponsa non pertineret ad sponsum vt aliquid sponsi, neque econtra.

DIFFICULTAS VII.

Vtrum promissio Matrimonij merè interna, sit valida ad obligandum.

23 **S**Ypponimus, promissionem merè internam, seu corde retentam, iure positiuo humano non obligare. Est tamen difficultas, An eo iure seculo, & attento solum iure naturali, obliget.

Ledesma 2. parte 4. quæst. 58. art. 1. dub. 3. & Mendoza lib. 1. de Pactis, cap. 4. num. 8. partem affirmatiuam tuentur, in quam etiam inclinat Molina Tom. 2. disputat. 266. quia interna promissio est vera promissio (sicut & vera affirmatio qua fides offertur) vt patet de promissione interna Deo facta; ergo est valida ad obligandum, quia infidelitas est, non stare verè promissis.

24 Sancius verò lib. 1. disput. 3. Vasquez disput. 4. num. 34.

num. 34. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & merito: quia illa tantum promissio est valida ad obligandum respectu hominis, quæ est perfecta respectu illius, seu qua ei perfecte & sufficienter promittitur; quia in huius tantum promissionis violatione ei fit infidelitas: promissione autem interna non promittitur homini perfecte & sufficienter, quia promissio sita est in locutione seu affirmatione, qua quis alteri offert fidem suam; vnus autem homo non loquitur neque affirmat alteri perfecte & sufficienter sola locutione seu affirmatione interna intellectus, sed tantum inchoatiuè, vt patet; bene tamen Deo, ob quod promissio interna Deo facta, valida est ad obligandum.

DIFFICULTAS VIII.

Quanta deliberatio requiratur ad valorem Sponsalium.

25 **S**upponimus, in quo nequit esse dubium, ad valorem sponsalium, & cuiuscumque; alterius promissionis, requiri deliberationem seu aduertentiam, quia absque hac nullus actus potest esse humanus; ac proinde neque secundus ad pariendam obligationem humanam seu moralem. Est tamen difficultas, quanta deliberatio requiratur.

Circa quam conueniant communiter Doctores, non requiri maturam & diuturnam deliberationem, qua sponsalia, & eorum circumstantiæ, mature perpendantur; sed sufficere plenam, quæ ad peccandum mortaliter sufficit, etiam si repentina sit, & feruore iracundiæ habita. Ita Nauarrus cap. 18. num. 7. Vasquez disput. 5. cap. 1. & Sanchez lib. 1. disp. 8. quia plena & perfecta deliberatio communis, quamuis repentina, & motu iracundiæ elicitæ, est sufficiens, vt actus sit perfecte & plenè humanus, & capax malitiæ mortalis, & inducens reatum pœnæ aternæ, & vt actus sit capax bonitatis moralis, & meritorius vitæ aternæ; ergo etiam est sufficiens, vt promissio, adhuc matrimonij, sit perfecte & plenè humana, & fecunda ad obligandum, etiam sub peccato mortali. Patet Consequentia, quia non est minoris momenti, actum fieri capacem malitiæ mortalis, & inducentem pœnam aternam, & fieri dignum vita aterna, quam fieri secundum ad obligandum sub mortali.

26 **Q**uod si obiicias Can. *Diuortium*. de Pœnitentia, distinct. 1. desumptum ex L. *Quidquid*. ff. De Regul. Iuris, vbi dicitur, *Quidquid calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum esse, quam si perseverantia apparuerit iudicium animi fuisse.*

30 **Q**uo Canone, & qua Lege nonnulli recentiores moti sunt ad affirmandum, contractum sponsalium, & quemcumque alium calore iracundiæ factum, esse nullum iure positiuo, nisi post iram sedatam fuerit approbatus. Respondemus, vt optimè Vasquez, non satis constare, an dicto Canone & Lege irritetur ipso facto quod fit calore iracundiæ, an relinquatur irritandum sententia iudicis; & addimus, dictam Canonem (vt pote non habentem maiorem vim, quam dictam Legem Imperatoriam, ex qua desumptus est, imò non distinctu à dicta Lege, quia non habet alium auctorem, quam legillatorem dictæ Legis) non habere vim, nisi in terris Imperio subditis, & in eis non habere vim in contractu sponsalio ba-

ptizatorum, quia specialiter subest potestati Ecclesiasticæ.

27 **I**d verò, quod à nonnullis dicitur in cap. 1. de Noui operis enuntiatione, definiri, nempe quòd vbi leges ciuiles non sunt contrariæ sacris Canonibus, illis stetur (& exponit Vasquez quoad modum procedendi in iudiciis & litibus, non quoad irritationem collationis beneficiorum, neque matrimonij, neque sponsalium) non est verum id definiti, sed quòd statuta Canonum legibus ciuilibus adiuuentur, id est, quòd est maior ratio iudicandi secundum Canones, quando idem etiam decernitur legibus.

Obiici etiam solet L. 2. C. Ad Legem Iuliam maiestatis, & cap. *Sicut ex literis*. 13. de Iureiurando, vbi quædam iuramenta declarantur nulla, quia calore iracundiæ facta. Ex eis tamen nihil probatur, quia non declarantur nulla, quia facta sint calore iracundiæ, quamuis sic fuerint facta; sed quia sunt de materia illicita, vt constat ex contextibus.

28 **A**ddimus, in quo etiam communiter Doctores conueniunt, prædictam perfectam deliberationem communem, sufficientem ad mortale & ad valorem sponsalium, etiam requiri ad eorum valorem, & cuiuscumque alterius promissionis, etiam Deo factæ, adhuc vt violatio illius in materia graui sit venialis ex imperfecta deliberatione; & non sufficere imperfectam & semiplenam sufficientem ad veniale, quia promissio absque perfecta deliberatione non est perfecte humana, ac proinde est infecunda ad pariendam humanam obligationem, quia fecunditas rei requirit statum perfectum rei.

29 **E**x dictis constat, sponsalia & matrimonia, facta in furia & in ebrietate, esse nulla, vt pote non humana (in quo nullus dissentit, neque Glossa in cap. *Dilectus* 24. de Sponsalibus) & id quoad furiosum habetur in hoc cap. *Dilectus*, & in Legibus nostri Regni, Lege 6. tit. 2. p. 4. & quoad hoc eadem est ratio de ebrio. In Canone autem *Neque furiosus* 32. quæst. 7. qui est Fabiani Papæ, vbi dicitur, *Neque furiosus neque furiosa matrimonium contrahere possunt, sed si contractum fuerit, non separentur*; nihil contra dictam doctrinam, quia in hac posteriori parte Canonis sermo est de furia superueniente, matrimonio iam contracto, cuius Canonis sensus est: quamuis furiosi nequeant verum matrimonium efficere, tamen matrimonium ante furiam celebratum non est dissoluendum ob furiam postea superuenientem.

Hæc autem doctrina de furioso & ebrio certa est, & absque difficultate, quando sponsalia & matrimonia contrahuntur ex furia aut ex ebrietate, & ante furiam & ebrietatem non fuerunt præuisa: at quando antea fuerunt præuisa, non est ita certum, & absque difficultate, statim examinanda.

DIFFICULTAS IX.

Vtrum ad valorem Sponsalium (&) Matrimonij sufficiat deliberatio virtualis, vel potius intentio deliberata virtualis.

30 **S**upponimus, vnâ & eandem intentionem deliberatam dici actualem, & virtualem, & habitualem,

bitualem, quamuis in diuerso statu; quia dicitur actualis, seu formalis, quamdiu in se ipsa formaliter perseverat: & virtualis, quādo præcessit, & non est retractata, & perseverat in aliquo effectu sui ex ipsa deriuato; ad quod requiritur, quod intentio illa aliquo modo perseveret in se ipsa, nempe confusè, ex expressa Physicè mutata in confusam: habitualis verò, quando præcessit, & non est retractata, non tamen perseverat in se, adhuc confusè, neque in aliquo effectu sui.

Est ergo difficultas, An ad valorem sponsalium, & specialiter in furioso & ebrio, sufficiat deliberatio, aut potius intentio deliberata, quæ præcessit, & perseverat in ipsa furia aut ebrietate.

31 Ratio difficultatis pro parte affirmatiua est, quia in tantum intentio deliberata est necessaria ad valorem sponsalium aut matrimonij, aut alterius contractus, in quantum est necessaria vt contractus sit voluntarius & liber: potest autem esse liber, quantumuis procedat ex intentione deliberata non actuali, sed virtuali, & non tantum ex directa, qua directè intenditur effectio contractus, & ex ea intentione eligitur causa ipsius contractus, tamquam mediū conducens ad efficiendum cōtractum ipsum (quia tunc contractus verè fuit ab intentione deliberata mediata, nempe mediante causa, quæ est effectus intentionis deliberatæ, in quo intentio dicitur virtualiter manere) sed etiā ex indirecta respectu ipsius contractus, qua causa contractus in causa ipsa præuisi fuerit directè intenta, non intento directè ipso contractu; quia utroque modo contractus ipse euadit voluntarius & liber, saltem in sua causa. Et confir. Primò, quia ad peccandū mortaliter sufficit intentio virtualis in causa ipsius actus peccati, imò indirecta absq; directā intentione efficiendi actum peccati; ergo etiam sufficit ad validè efficiendum sponsalia. Et confir. Secundò, quia ad efficiendū validè Sacramentū, sufficit intentio virtualis efficiendi illud, ergo etiam ad efficiendū validè sponsalia.

32 Dicendum tamen est, ad efficiendum validè cōtractum sponsalium (& idem est de quocumque alio contractu) non sufficere intentionem deliberatam virtualē, non solum indirectam, qua sponsalia fuerint præuisa in sua causa, & in ea tantum volita, v.g. in furia aut in ebrietate, volendo tantum ipsam causam, nempe furiam aut ebrietatem, non intendendo sponsalia; sed neque directā, qua sponsalia per se & in se intenduntur, & ex eorum intentione eligatur causa, v.g. furia aut ebrietas, vt mediū ad illa conducens: & multò minùs sufficere habitualem, sed requiri actualem, imò expressam. Ita Sancius li. 1. disp. 8. Vasquez disp. 5. c. 3. & cōmuniter DD. Ratio est, quia quicumque contractus, vt sit validus & fecundus ad causandam obligationem, debet esse humanus, seu liber in se, & ratione sui; quia ipse ratione sui, & in se, & non causa ipsius, est causa moralis, ex qua oritur obligatio ipsius contractus: quicumque autem contractus factus in ebrietate aut in furia, quamuis liberè volita, non est in se & ratione sui liber, seu humanus; quia tunc, quando fit contractus, nulla est libertas, etiam si antea fuerit quando apponebatur causa; quod est verum, etiam si causa contractus fuerit electa, & appositā ex directa intentione deliberata efficiendi contractū; quia ex hac nequit esse liber in se, quia non procedit immediatè ex ea intentione, sed ex indeliberata, siue eadem iam indeliberata, siue ex distincta, quamuis in ea dicatur deliberata illa virtualiter manere, tamquam in suo effectu; quia

non manet in illa moraliter, cum indeliberata non sit effectus moralis & humanus.

Et ob eandem rationem existimamus, ad valorem contractus sponsalium, & cuiuscumque alterius, non sufficere intentionem deliberatam virtuales, adhuc extra ebrietatem & furiam, & somnū, quamuis directa sit, & respiciens causam contractus, vt mediū ad efficiendum contractū (quidquid dicat Ochagavia de Matrimonio tract. 1. q. 9.) sed requiri intentionē actualem; ita vt, qui ex inconsideratione naturali actuali fuerit factus, sit nullus, quāuis ex intentione directa deliberata efficiendi contractū appositā fuerint præuia ad ipsum, si, quando contractus fit, est inconsideratio naturalis ipsius; quia in tali casu non erit in se humanus & liber. Quod in simili de voto docent Angles 2. par. q. de Voto, a. 1. diff. 3. cōcl. 2. illat. 2. & conc. 4. & Suarez lib. 1. de Voto, c. 10. præsertim §. pænult. & ult.

Ad rationem ergo difficultatis concedimus, voluntatem deliberatam causæ virtuales sufficere, vt cōtractus in causa sit liber, id est, vt causa ipsius sit libera, non tamen vt contractus in se sit liber; quod requiritur vt sit moralis obligatio contractus, quia hæc non oritur ex causa, sed ex ipso, ex quo, nisi sit liber in se, nequit oriri; in quo etiam actus malus conuenit cum contractu; quia quando actus in se non est liber, quamuis sit in causa, nequit in se esse malus, & ex eo nequit oriri malitia, seu culpa: nihilominus quia apponere liberè causam actui malo, etiam est peccatū, & contra rationem; imò non minùs quàm efficere ipsum actum malū; idè ad peccandum sufficit, actum malum esse liberum in sua causa, id est causam actus mali esse intentā, aut volitam liberè, quamuis actus ipse non sit liber, imò quāuis actus non fiat; quia nō solum peccatū actu malo libero, sed etiā appositio libera causæ peccati, & ex ipsa causa libera etiā oritur malitia, sicut ex actu ipso; at obligatio moralis ipsius contractus non oritur ex causa, sed ex ipso, ratione sui; ex ipso autem ratione sui oriri non potest, nisi ratione sui seu in se sit liber. Ex quo constat ad primam confir.

Ad secundam verò respondemus, præcedentem intentionē deliberatam conficiendi Sacramentum virtualiter, aut remotè influentem in appositionem materiæ & formæ Sacramenti, sufficere ad efficiendum validè Sacramentū, quia Christus Dominus (ex cuius institutione totū hoc pendet) nihil amplius requisit; quia noluit valorem Sacramentorum subiicere periculo inconsiderantiæ ipsius rationis Sacramenti, quæ inconsiderantia ita frequenter cōtingit, vt vix possumus in deliberatione seu aduertentia cōtineri, ne passim inualidè fieret Sacramenta; obligatio autem contractus, quæ moralis est & humana, pendet & oritur ex natura ipsius contractus, & idè ipse in se debet esse humanus & liber.

DIFFICULTAS X.

Vtrum promissio Matrimonij, ex animo promittendi facta cum animo non se obligandi, sit valida ad obligandum.

Conueniunt Doctores, eum, qui verè promittit matrimonium aut quidpiam aliud, & cum animo se obligandi, quamuis cum animo non implendi, teneri ipsa promissione; imò quamuis careat expresso animo se obligandi, si agnoscat vim promissionis ad obligandū; & addimus contra nonnullos, etiam teneri, quamuis ignoret dictam

dictam vim, dum verè & ex animo promittat; quia ex promissione liberè facta, quæ distincta est ab obligatione, necessariò oritur obligatio ipsa (sicut ex igne applicato ligno oritur calefactio) saltem quando non adest animus non se obligandi.

Est tamen difficultas, An promissio, facta ex animo promittendi, sed cum animo non se obligandi, sit valida ad obligandum.

37
Sancius.
Ægidius.

Sancius lib. 1. disp. 9. & Ægidius disp. 21. docent, prædictam promissionem nullo modo obligare, Primò, quia intentio non se obligandi, est contra substantiam promissionis; ergo ea intentione potius destruitur quàm construatur promissio. Secundò, quia obligatio promissionis oritur ex propria & priuata voluntate promittentis, ergo quando in promittente non solùm non est voluntas se obligandi, sed potius contraria, nulla ex promissione oriatur obligatio. Et confirmatur hæc ratio: quia promissio est quasi quædam priuata lex, quam promittens sibi imponit; nulla autem lex obligat, quando legislator vult eam non obligare.

Pet. Ledes.
Vasquez.

Petrus Ledesma q. 43. art. 1. Difficul. 2. & Vasquez disp. 6. cap. 3. docent, dictam promissionem omni modo obligare, ex fidelitate videlicet & ex iustitia; quia prædicta promissio est vera promissio, utpote affirmatio, qua quis ex animo offert fidem: vera autem promissio omni suo modo obligat, ex fidelitate videlicet & ex iustitia.

Nos tamen existimamus, prædictam promissionem esse validam ad obligandum ex fidelitate, non tamen ad obligandum ex iustitia.

38

Et in primis esse validam ad obligandum ex fidelitate, probatur; quia dicta promissio, quamuis ex animo non se obligandi facta, est vera promissio, cum sit enuntiatio, qua promittens ex animo offert fidem contrahendi matrimonium, in qua sita est natura promissionis: ex natura autem, seu ex iure naturali veræ promissionis, nequit non oriri obligatio fidelitatis ad standum promissis; quia quamuis promittens nolit ad id obligari, est cõtra fidelitatem non stare verè & liberè promissis; sicut etiam est contra veracitatem, in dicendo affirmare aut negare aliquid contra mentem; quamuis enuntians nolit obligari ad conformandum dictum menti, cum in nullius potestate sit deobligari à iure naturali, vel ab obligatione non faciendi contra virtutem.

Quòd verò dicta promissio non sit valida ad obligandum ex iustitia, probatur; quia in potestate promittentis est, sua promissione tantùm offerre fidem, & non conferre ius iustitiæ ad rem promissam, quia natura promissionis sufficienter saluatur in oblatione fidei; & conferre ius ad rem, pendet ex voluntate domini rei, quia ius non confertur solis verbis, (quamuis aliàs sufficientibus) absque animo conferendi; quia contractus, ex quo oritur

39

ius iustitiæ in vno, & obligatio iustitiæ in altero, coalescit ex verbis conferendi sufficientibus, & ex consensu conferendi: ergo ex promissione, quauis vera, & ex animo facta, & aliàs sufficienti ad conferendum ius iustitiæ, quantum est ex verbis ipsius; si tamen fiat absque animo conferendi ius alteri, & se obligandi ex iustitia, non oritur dictum ius in promissario, neque obligatio iustitiæ in promittente. Vnde dicta promissio, quamuis sit ficta in ratione contractus, non tamen in ratione promissionis; ac proinde, quauis non obliget ex iustitia, obligat tamen ex fidelitate. Et hoc solum probatur ra-

tione adducta pro Ledesma & Vasquez, qui aduerfantur nostræ posteriori parti.

Ad priorem verò rationem pro Sancio & Ægidio, qui aduerfantur nostræ priori parti, respondemus, intentionem non se obligandi, sicut & non obligationem ipsam, non esse contra substantiam promissionis, sed contra eius effectum, nempe contra obligationem fidelitatis, quam impedire non potest; sicut neque quòd promissio dicto modo facta sit vera, ex qua semel emissã necessariò oritur obligatio fidelitatis.

40

Ad posteriorem rationem respondemus, obligationem fidelitatis oriri ex promittentis voluntate mediata & radicaliter, quia ex libertate voluntatis oritur, quòd fiat promissio, ex qua immediatè oritur obligatio illa; sed non oritur obligatio immediatè ex voluntate, quia non est in potestate promittentis ex animo promittere, & non manere obligatum ex fidelitate, quia ex natura veræ promissionis necessariò oritur hæc obligatio; sicut non est in potestate legislatoris, verè præcipere & non obligare subditos, quia ex natura legis, aut præcepti necessariò oritur obligatio obedientiæ; quamuis in legislatore non sit voluntas obligandi superaddita præcepto. Ex quo etiam constat ad confirmationem eiusdem rationis.

DIFFICULTAS XI.

Utrum promissio Matrimonij omnino ficta, sit valida ad obligandum.

Dicitur communiter promissio omnino ficta, quæ à promittente fit non solùm animo non implendi, & non se obligandi, sed etiam non promittendi; quia verbis solùm & ore tenus fit, absque promissione interiori. Est ergo difficultas, utrum talis promissio matrimonij sit valida ad obligandum.

41

Sancius lib. 1. disput. 9. & Ægidius disp. 21. partem negatiuam absolute tuerentur; quia promissio solis verbis exterioribus facta, absque animo promittendi, non est vera promissio, sed fictio seu simulatio promissionis, ergo non obligat ut promissio; quia obligatio propria promissionis tantùm oritur ex promissione, quæ est vera promissio.

Sancius.
Ægidius.

Vasquez disp. 6. num. 27. & Basilius lib. 12. c. 2. partem affirmatiuam absolute tradunt; quia promissio, quamuis tantùm exterior seu verbalis, est vera promissio respectu hominis, ergo est valida ad obligandum.

Vasquez.
Basilius.

Nos tamen existimamus, promissionem matrimonij, & cuiuscumque alterius rei, solis verbis homini factam, absque alio animo, quàm proferendi verba ipsa, esse validam ad obligandum ex fidelitate, sed non ex iustitia.

42

Et in primis, esse validam ad obligandum ex fidelitate, probatur; quia prædicta verbalis oblatio fidei est vera & sufficiens promissio respectu hominis, ergo est valida ad obligandum ex fidelitate; quia contra fidelitatem est, non stare verè & sufficienter promissis. Antecedens autem probatur, quia promissio nihil aliud est quàm enuntiatio qua fidem offerimus; solis autem verbis sufficienter offerimus fidem homini; imò ex animo, quia ex animo proferuntur prædicta verba.

Quòd verò promissio ore tenus & solis verbis facta, non sit valida ad obligandum ex iustitia, constat ex dictis Difficul. v. 1. & x. quia ius iustitiæ

ad

ad rem promissam non cōfertur promissario solis verbis absque animo & voluntate illud conferendi, ac proinde in verbaliter tantum promittente non oritur obligatio iustitiæ.

43 Ex dictis constat, promissionem tantum exteriorem respectu hominis non esse in rigore omnino fictam, quia nequit esse ficta in ratione promissionis, quamuis sit ficta in ratione contractus conferentis ius iustitiæ: erit autem omnino ficta in ratione etiam promissionis, quando quis non proferret verba promissionis, sed simulat proferre: ex hac autem simulata seu ficta promissione exteriori per se non oritur obligatio aliqua, adhuc fidelitatis; etiam si aliquando per accidens oriatur obligatio iustitiæ, ut quando ex dicta simulatione oritur damnum contra iustitiam, quod sit necessarium refarcire impletione simulatæ promissionis, aut aliter.

DIFFICULTAS XII.

Vtrum qui deflorauit virginem spe fictæ promissionis Matrimonij, teneatur eam ducere.

44 Difficultas hæc disputatur, & procedit de promissione solis verbis facta absque promissione interiori, quæ communiter dicitur ficta (& meritò) in ratione contractus, immeritò tamen in ratione promissionis.

Conueniunt Doctores, eum, qui sic fictè, seu tantum verbaliter promittens matrimonium, sub ea spe deflorauit virginem, teneri aut ad eam ducendam, aut ad satisfaciendum damno deflorationis. Est tamen difficultas, An teneatur determinatè ad eam ducendam in vxorem.

Antonin.
Ledesma.

Antoninus 3. p. titul. 1. cap. 3. & Bartholomæus Ledesma de Matrimonio dub. 19. docent, eum qui sic deflorauit virginem, non teneri eam in vxorem ducere, sed satisfacere constituendo ei dotem sufficientem, ad supplendum defectum deflorationis: quia ille nullam incurrit obligationem ratione promissionis, quia fuit ficta, sed solum ratione damni illati; ergo ad nihil amplius tenetur, quam ad satisfaciendum damno, dotem sufficientem addendo, ut nubat viro sibi simili in qualitate.

45
Sancius.
Vasquez.

Sancius verò lib. 1. disp. 10. & Vasquez disp. 6. docent, eum, qui sub spe promissionis, quamuis tantum verbalis, deflorauit virginem, teneri determinatè eam ducere in vxorem, & non satisfacere iuuando ad nuptias illi aliàs æquales, Primò, quia iste, quamuis solum verbaliter, verè tamen promissit sub conditione deflorationis, quæ impleta fuit, ergo tenetur stare promissis. Secundò, quia iste verè intulit damnum virgini contra eius voluntatem, quæ solum consensit sub conditione promissionis matrimonij veræ, & non fictæ; ergo tenetur ex iustitia ad matrimonium; quia quamuis damnum deflorationis possit pecuniâ compensari, non tamen iniusta deceptio, nisi eam in vxorem ducendo.

Nostamen existimamus, prædictum teneri ex fidelitate ad eam ducendam in vxorem, quamuis sit multò nobilior quam illa; ex iustitia tamen ad id non teneri, sed satisfacere, si damnum deflorationis recompenset, aut constitutione dotis sufficientis, aut aliter.

Ratio prioris partis est, quia prædicta promissio, quamuis solum verbalis, est vera promissio respectu hominis, ut diximus Difficultate XI. ergo obligat ex fidelitate ad standum promissioni matrimonij.

Ratio posterioris est, quia qui ita fictè promissit, non tenetur promissione ipsa, ut contractu, aut ex iustitia, quia ea promissione noluit conferre ius iustitiæ; sed tantum tenetur ratione damni illati, quia iniuste, utpote deceptione illatum est; ergo satisfacit, recompensando tale damnum collatione dotis, aut aliter, quamuis deceptione illatum sit; quia deceptio ratione sui tantum est contra veritatem, & non est iniusta, seu contra iustitiam, sed tantum ratione damni ex ipsa illati: ac proinde si damno satisfacit dote, aut aliter, sufficienter satisfacit quamuis sit deceptione illatum, non minus quam si vi illatum esset. Quòd si deflorator nequit satisfacere damno, nisi defloratam ducendo, ad id tenetur ex iustitia ratione damni illati, iuxta ea quæ dicemus Difficultate XXI.

47 Ex quibus deducitur, prædictum teneri tantum sub veniali ad ducendam virginem defloratam, quia tantum tenetur ad id ex fidelitate ratione promissionis verbalis; teneri tamen sub mortali, si eam non ducat, ad satisfaciendum damno deflorationis dote, aut aliter; quia ad id tenetur ex iustitia ratione damnificationis iniustæ. Quòd si omnino fictè promitteret (id est si non proferret verba promissionis, sed simularet ea proferre) non teneretur ex fidelitate ad illam ducendam; quia non promissit verè, adhuc verbaliter; teneretur tamen ex iustitia ad satisfactionem damni, ratione damnificationis iniustæ.

Addimus tamen, ut optimè Sancius, Antoninus & Tabiena, & indicat Vasquez contra Sorum, Nauarrum, & alios, quando virgo ex excessu nobilitatis aut diuitiarum promittentis tantum verbaliter, aut aliunde coniecit dictam fictionem promissionis, tunc sic fictè promittentem ad nihil teneri ex iustitia, neque ex fidelitate: & idem est, quando prudenter timuit deceptionem. Et in primis non tenetur ex fidelitate, quia tunc, quamuis vir intenderit decipere, verè non decipit; fidelitas autem solum obligat, ne decipiatur promissarius. Deinde non tenetur ex iustitia, quia virgo non est deflorata iniuste, quia non deceptione. Quòd si virgo non coniecit, aut saltem prudenter non timuit deceptionem, sed simplici animo credidit, vir à nulla ex dictis obligationibus excusatur; quamuis virgo cognoscat excessum nobilitatis & diuitiarum, & quodecumque aliud, ex quo conieci potuit deceptio, ut contra Sancium & alios indicat Vasquez nu. 47. quia tunc verè decepta est à viro.

DIFFICULTAS XIII.

Quibus verbis contrahantur Sponsalia & Matrimonium.

49 Conueniunt Doctores, ad sponsalia & ad matrimonium (ad quæ non sufficit enuntiatio interna intellectus, sed requiritur externa) non esse necessaria verba, sed sufficere quodcumque signum externum sufficiens ad exprimendum consensum, vel de futuro ad sponsalia, vel de præfenti ad matrimonium, siue id habeat signum ex

communi institutione, siue ex patriæ consuetudine, siue ex particulari contrahentium conuentione. Vnde sponsalia & matrimonium sufficienter contrahuntur, non tantum verbis, sed etiam scripturâ, & nutibus, imò & taciturnitate filiorum, quando parentes pro eis presentibus contrahunt; imò etiam quando pro absentibus, si postea, quando sciunt, tacite ratificent (vt quoad sponsalia dicitur in cap. vnico de Desponsatione impub. in 6. Et idem est quoad matrimonium.) Dicitur autem tacite ratificare (vt aduertit Egidius disput. 21.) quando certiores fiunt à parentibus, & tacent; quod non solum est verum, quando parentes contrahunt pro filiis, sed etiam quando curatores, & tutores, & alij, qui loco parentum curam gerunt illorum.

Egidius.

50 Hoc præsupposito, obseruandum est, verba (& idem est de aliis signis) quibus possunt contrahi sponsalia, & matrimonium, alia esse de presenti, vt, *Accipio te in meam*; & his potest addi aliquid de futuro, vt, *Accipio te in meam in crastinum*: alia de futuro, vt, *Accipiam te in meam*; & his potest addi aliquid de presenti, vt, *Ex nunc accipiam te in meam, aut habebo te in meam*.

Circa verba de presenti certum est, eis simpliciter sumptis, absque aliquo addito de futuro, vt, *Accipio te in meam*, verè contrahi matrimonium, vt constat ex cap. pænult. de Sponsalibus; quia illis verè significatur traditio corporum de presenti.

Est tamen difficultas, an illis, quando additur aliquid de futuro, vt, *Accipio te in meam ex crastino*, seu *in crastinum*, contrahatur matrimonium, an sponsalia.

Sancius.
Petr. Led.

Sancius lib. 1. disput. 18. & Petrus de Ledesma quæst. 45. artic. 3. dub. 1. docent, prædictis verbis contrahi sponsalia, non matrimonium; quia ratione prædicti additi efficiunt sensum de futuro.

Egidius.
Barth. Led.

Egidius verò disput. 21. nu. 37. & Bartholomæus de Ledesma 2. p. 4. qu. 47. art. 3. docent, dictis verbis contrahi matrimonium, & non sponsalia, & meritò, quia sensus illorum est: *Nunc volo*, seu *consentio*, vt *ex crastino die sis mea*; quo non promittitur matrimonium, sed traditur corpus pro crastino die, vt ex crastino die sit alterius; ac proinde fit matrimonium de presenti, quamuis eius effectus (nempe traditio) suspendatur vsque ad diem crastinum, ita vt adueniente crastino die, si sine nouo consensu fiat traditio; quia dictis verbis significatur consensus de presenti in traditionem crastina die ex vi illius solius: sicut his, *Do tibi librum in crastinum diem*, quæ distincta sunt ab his, *dabo tibi librum crastino die*; quia his promittitur consensus futuræ traditionis libri, prioribus verò significatur consensus præsens traditionis futuræ.

Circa verba verò de futuro simpliciter sumpta, absque addito, & non significantia executionem alicuius actus matrimonialis, vt, *Accipiam te in meam*, certum est, eis non contrahi matrimonium, vt patet; contrahi tamen sponsalia, non minùs quam verbis promissionis, quia communiter accipiuntur vt promissoria: quod etiam est verum, quamuis eis addatur aliquid de presenti, vt, *Ex nunc te accipiam in meam*; quia his verbis neque præsuppositiuè neque implicite significatur consensus de presenti, sed tantum de futuro.

Circa verba verò de futuro, quibus additur aliquid de presenti, & significantia executionem alicuius actus matrimonialis, vt, *Ex nunc tractabo te sicut uxorem*, aut *ex nunc habebo te in meam*, conueniunt Doctores, eis contrahi matrimonium, vt constat ex cap. *Ex parte. 9.* de Sponsalibus, quia eis fit tacite traditio; quia nequit ex tunc haberi & tractari tamquam vxor, nisi ex tunc fiat vxor, quæ antea non erat vxor.

52

Est tamen difficultas, an dictis verbis de futuro significantibus executionem, sumptis absque addito de presenti, vt, *Habebo te in meam*, aut *eris mea*, aut *tractabo te sicut uxorem*, contrahatur matrimonium, an sponsalia.

Siluester v. *Matrimonium. 2.* quæst. 9. Emanuel Rodriguez, & alij docent, eis contrahi matrimonium, quia eis significatur executio actus matrimonialis, nempe habitio seu possessio vxoris, quæ præsupponit traditionem corporum factam.

Siluester.
Ema. Rod.

Sancius verò, & Egidius vbi supra, & alij docent, illis contrahi sponsalia, & non matrimonium, & meritò: quia illis tantum significatur habitio de futuro, quæ quamuis supponat traditionem corporum de presenti, sed non tunc factam, quando proferuntur verba, sed postea faciendam.

53

Sancius.
Egidius.

Circa illa verba, *Volo tecum contrahere*, & *volo te habere in uxorem*, etiam est difficultas, quid eis fiat.

Cardinalis in c. *Ex literis. 7.* de Sponsalibus docet, eis fieri matrimonium. Sancius docet illis fieri sponsalia, quia ad eorum verborum veritatem sufficit, quòd proferens velit illam postea esse vxorem ipsius. Paludanus docet, illis, quæ solum significant initium actus, vt, *Volo tecum contrahere*, fieri sponsalia; illis verò, quæ significant executionem, vt, *Volo te habere in uxorem*, fieri matrimonium. Rebellus lib. 4. quæst. 3. & Egidius num. 26. docent, dictis verbis nihil fieri, quia ad eorum veritatem sufficit desiderium postea ducendi, aut habendi illam in vxorem, quo neque fit matrimonium, neque sponsalia.

Cardinal.
Sancius.

Paludanus

Rebellus.
Egidius.

Nos verò existimamus, dicta verba esse æquiuoca; quia illis potest significari consensus de presenti in corporum traditionem, & consensus de futuro, seu consensus in promissionem futuræ traditionis, quod idem est, & etiam nudum desiderium postea contrahendi: ac proinde dictis verbis potest pro voluntate contrahentium fieri aut matrimonium, aut sponsalia, aut nihil; quia si proferens velit significare consensum de presenti, & alter id intelligat, & econtrà, fiet matrimonium; & si velit alteri offerre fidem matrimonij, & alter id intelligat, & econtrà, fiet sponsalia; & si solum velit significare simplex desiderium postea contrahendi, nihil fiet.

54

In foro autem iudiciali, in quo non cognoscitur intentio, sed res ex verbis discernitur, ex prædictis verbis secundum se iudicabitur nihil fuisse factum; quia ad eorum veritatem sufficit desiderium postea contrahendi, quo nihil fit. Addidimus *secundum se*, quia ex dictis verbis, si proferantur quando post tractationem de matrimonio conuenitur ad illud contrahendum, iudicabitur à Iudice matrimonium factum; & iudicabitur facta fuisse sponsalia, si verba proferantur, quando post tractationem de sponsalibus conuenitur ad id.

Circa

55 Circa verba negatiua, quibus additur particula exceptiua, difficultas est, an eis, quando sunt de præfenti, vt, *Nullam duco nisi te*, fiat matrimonium; & quando sunt de futuro, vt, *Nullam ducam nisi te*, fiant sponsalia.

Paludan. Paludanus in 4. distinct. 27. quæst. 1. Adrianus, & alij docent, dictis verbis de præfenti fieri matrimonium, & de futuro fieri sponsalia; quia sensus eorum verborum est exceptiuus, id est, *Nullam aliam duco, & te duco*, quo contrahitur matrimonium; & *Nullam aliam ducam, & te ducam*, quo contrahuntur sponsalia.

Sancius. Sancius disp. 19. Ægidius num. 29. & alij docent, dictis verbis neque fieri matrimonium, neque sponsalia; quia sensus eorum est conditionalis, id est, *Si aliquam duco, te duco*, quo nihil fit, & *Si aliquam ducturus sum, te ducam*, quo tantum contrahitur obligatio non ducendi aliam, sed illam, si aliquam ducturus est.

Nos tamen existimamus, dictis verbis de præfenti fieri matrimonium, & verbis de futuro non fieri sponsalia.

56 Pro cuius declaratione supponendum est, particulas *nisi* & *præter*, & reliquas exceptiuas, aliquando efficere sensum non purè exceptiuum, sed quasi conditionalem; vt quando dicitur ab

August. Augustino allegato in Regula Peccatum, *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*, id est, non dimittitur peccatum, si non fiat restitutio; & quando dicitur, *Nullam ingrediar Religionem, nisi sancti Francisci*, id est, si aliquam ingressurus sum, illam ingrediar. Id autem regulariter contingit, quando verbum præcedens nequit commodè afficere rem positam post particulam *nisi*, vt in priori exemplo; aut si potest, vt in posteriori, quando res de qua agitur est incerta, aut dubia: aliquando verò (& non rarò) efficere sensum purè exceptiuum, vt quando Luc. 11. dicitur,

Luc. 11. *Signum non dabitur eis, nisi signum Iona Prophetæ;* & Matth. 14. *Leuantes oculos neminem viderunt, nisi solum Iesum;* & quando dicitur, *Nullus currit nisi Petrus*: & tunc, quando particula exceptiua adiungitur negationi, affirmat, vt in exemplis proximè dictis; quia tunc excipit sequentem terminum à dicta negatione, & consequenter affirmat; sicut quando adiungitur affirmationi, negat, vt quando dicitur, *Omnes currunt, præter Petrum*; quia tunc excipit terminum sequentem (nempe Petrum) à dicta affirmatione, & consequenter negat. Id autem regulariter contingit, quando agitur de re cuius communiter habemus scientiam, & non dubitationem; vt sunt res præteritæ & præfentes, præsertim à nobis aut à personis nobis notis factæ, & quam verbum præcedens commodè afficere potest.

57 Hoc ergo supposito, prior pars probatur, quia his verbis, *Nullam aliam duco nisi te*, nequit commodè effici sensus conditionalis, sicut neque his, *Nullam aliam ducam nisi te*; sed exceptiuus (quia verbum præcedens potest commodè afficere rem positam post particulam exceptiuam, & res de qua agitur, est cognita à proferente) & consequenter sensus est affirmatiuus respectu termini sequentis, ita vt sensus sit, *Nullam aliam duco, sed te*, quo fit matrimonium.

Posterior pars probatur, quia his verbis, *Nullam aliam ducam nisi te*, nequit commodè effici sensus exceptiuus, sed conditionalis, sicut neque

his, *Nullam Religionem ingrediar nisi S. Francisci;* & *Nullus curret, nisi Petrus*; quia sensus est, *Si aliquam ducturus sum, te ducam*, quibus verbis tantum contrahitur obligatio sub conditione ducendi illam, si aliquam ducturus est.

Est tamen aduertendum, quibuscumque verbis aut signis, quibus contrahentes ratione aliquarum circumstantiarum sibi exprimentur consensum de præfenti, aut de futuro, contrahi matrimonium aut sponsalia; etiam si verba aut signa id non significant ex communi impositione, neque ex consuetudine, neque ex præuia aliqua conuentione contrahentium; quia tunc verè reperitur exterior expressio consensus, quæ (quantum est ex se) sufficit ad contrahendum.

DIFFICULTAS XIV.

Qui possint Sponsalia contrahere.

59 Quamuis vsus perfectus rationis, qui ad valorem sponsalium requiritur, sufficiat Iure naturali ad eorum valorem, Iure tamen positiuo Ecclesiastico ad eorum valorem requiritur septennium completum, vt disponitur aut dispositum supponitur in c. *Literas* 4. & in c. *Accessit* 5. & in c. *Ad dissolucendum* 13. de Desponsat. impub. in Decretalibus, & in c. vnico eodem titul. in 6. Id autem sic fuit Iure Ecclesiastico dispositum, quia regulariter ante eam ætatem non est vsus rationis perfectus, qui Iure naturali requiritur ad valorem sponsalium, & cuiuscumque alterius contractus: & quia iste vsus Iure naturali requiritur, eo non existente, dicta ætas non sufficit ad valorem sponsalium.

Est tamen difficultas Primò, An ad valorem sponsalium requiratur septennium Mathematicè completum, an sufficiat esse completum moraliter, vt quando alicui deficiunt quindecim dies plus minùsve.

Sotus in 4. distinct. 27. ar. 2. & Rebellus lib. 4. quæst. 5. docent, sufficere septennium moraliter completum; quia quod parum distat, nihil distare videtur.

Sancius verò libro 1. disputat. 16. Ægidius disput. 21. num. 51. & Basilus lib. 12. cap. 5. docent, requiri septennium Mathematicè completum, & meritò: quia sicut pretium rei Iure præscriptum consistit in indiuisibili, ita etiam ætas Iure præscripta; quia idèd Iure præscribuntur, ne quisquam possit illa suo priuato iudicio mutare; posset autem, si illa, postquam Iure præscripta sunt, non consisterent in indiuisibili. Vnde Regula prædicta, *Quod parum distat, nihil distare videtur*, non habet locum in termino præscripto à Iure, quia eo ipso consistit in indiuisibili, & ad id præscribitur. Id verò quod ait Basilus, nempe sufficere vltimum diem septennij esse inceptum, falsum est; quia quousque completus sit, non est septennium Mathematicè completum, nec in indiuisibili consistens.

60 Secundò est difficultas, An in sponsalibus malitia suppleat ætatem. In præfenti autem materia malitia nihil aliud est, quàm discretio, seu vsus rationis perfectus. Est ergo difficultas, An quando ante septennium est vsus rationis perfectus, sponsalia fiant validè ante illud.

Sancius,

Sancius.
Sotus.
Ægidius.
Rebellus.

Sancius, Sotus, Ægidius, Rebellus, & Basilius partem affirmatiuam tumentur, quia in matrimonio malitia supplet ætatem Iure positiuo requisitam quatuordecim annorum in puero, & duodecim in puella; ergo etiam in sponsalibus, quæ sunt quadam matrimonij inchoatio.

61
Abbas.
Angelus.
Rosella.

Abbas verò in cap. *Iuuenis*. 3. de Sponsalibus, Angelus v. *Sponsalia*, num. 5. & Rosella v. *Impedimentum*, partem negatiuam tradunt quam etiam Vasquez interrogatus amplexus est, & meritò; quia aliàs dispositio Iuris, præscribens septennium, esset frustrà; quia ex vna parte, quando est vsus rationis perfectus ante septennium, validè fiunt sponsalia secundum aduersarios; & ex altera, quando non est talis vsus rationis, etiam post septennium completum, non fiunt validè: ergo ad nihil deseruit dicta dispositio, quia si malitia supplet ætatem, sponsalia eodem modo fiunt, aut non fiunt validè, siue ea dispositio extet siue non extet.

Ratio autem à priori est, quia quamuis pro matrimonio Iure ipso fiat exceptio malitiæ supplētis ætatem, non tamen pro sponsalibus; ergo absq; Iure, imò contra Ius ipsum absolutè absque exceptione requirens septennium ad valorem sponsalium, admittitur dicta exceptio, quæ non fuit facta à Iure; quia frustrà fuisset facta dicta præscriptio ætatis pro sponsalibus, quæ non fit frustrà in matrimonio: quia malitia supplens ætatem in matrimonio, non tantum est vsus rationis perfectus, vt est in sponsalibus, sed etiam potentia ad generandum expedita, quæ non solet esse expedita ante ætatem requisitam pro matrimonio; ac proinde, si ante eam est vsus rationis perfectus, & potentia expedita, validè fiet matrimonium, & post eam etiam validè fit, si sit vsus rationis perfectus, quamuis non sit potentia ad generandum expedita. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

62

Tertiò est difficultas, An qui ante septennium contrahunt sponsalia, peccent.

Nauarrus.
Rebellus.
Rosella.

Nauarrus cap. 22. n. 31. Rebellus & Rosella docent, peccare, & mortaliter, nisi id exigat bonum pacis; quia in cap. *Vbi*. 2. de Sponsat. impub. id prohibetur, nisi quando id exigat bonum pacis.

Sancius verò disp. 17. Ægidius num. 54. & Basilius docent, prædictos non peccare, adhuc venialiter, & meritò: quia quamuis supradictis Iuribus sponsalia ante septennium facta irritentur, nullibi tamen prohibentur, adhuc in dicto cap. 2. de Sponsat. impub. quia in eo tantum prohibetur fieri matrimonium ante ætatem Iure canonico requisitam, nisi vrgentissima necessitate interueniente, vt bono pacis, & non sponsalia; quia in eo tantum prohibetur, quòd aliqui coniungantur ante ætatem à Iure requisitam; sponsalia autem non coniungunt, sed tantum matrimonium, quia eo solo fiunt coniuges. Quòd autem sponsalia fiant ante ætatem requisitam ad eorum valorem, nihil refert vt fiat peccatum; quia in sic contrahendo contra nullam virtutem fit.

63
Rebellus.
Ægidius.

Est tamen peccatum mortale, vt contra Sancium docent Rebellus & Ægidius, ante ætatem Iure canonico requisitam matrimonium contrahere, nisi quando ex vrgentissima necessitate, vt boni pacis, toleratur (id est approbatur) ab Ordinario, quia id est quid graue, & in dicto cap. 2. prohibitum, nisi in dicta necessitate facta licentia ab Ordinario, de quo iterum Disp. XXI. Diffic. XI.

DIFFICULTAS XV.

Vtrum Sponsalia coacta, seu ex metu facta, sint nulla.

Sancius lib. 4. disp. 19. & Glossa in c. *Ex literis*. Sancius. de Sponsat. impuberum, docent, sponsalia, Glossa. metu graui iniusto facta, esse nulla; Henriquez verò 11. de Matrimonio c. 9. Ægidius disp. 28. nu. 7. Henriquez. docent, sponsalia sic facta esse valida. Ægidius.

Nos tamen existimamus, non esse valida ad obligandum ex fidelitate, esse tamen ad obligandum ex iustitia. Et in primis non esse valida ad obligandum ex fidelitate, seu non esse valida in ratione promissionis, probatur; quia fides extorta præfertim à promissario, non est necessariò seruanda. Esse verò valida ad obligandum ex iustitia, seu in ratione contractus, probatur; quia contractus sponsalitiùs sic factus, nõ est inualidus Iure positiuo, adhuc c. *Ex literis*. de Sponsat. impuberum, quamuis in eo supponatur, patienti coactionem, seu iniustitiam, liberum esse resilire ab eo contractu: neque est inualidus Iure naturali, seu ex natura rei; quia duo, quæ Iure naturali sufficiunt ad valorem cuiuscumq; contractus, nempe voluntarium simpliciter, & titulus, reperiuntur in dicto contractu; quia in primis in eo reperitur voluntarium simpliciter (quamuis admixtum cum inuoluntario secundum quid) quod, quantum est ex parte voluntarij, sufficiens est ex natura rei ad quemcumq; contractum; & etiam in eo reperitur titulus, quia in eo datur ius ad vnum corpus pro iure ad alterum.

64

Quòd si persona coacta ad promittendum, non acceptet ius oblatum ab altero, dictus contractus non erit validus ex defectu tituli, quia non fit pro iure in corpus alterius accepto, neque titulo liberalitatis; quia fit coactè: imò quamuis semel acceptet ius, & sic fiat validè contractus, potest tamen postea à persona coacta dissolui & distrahi, cedendo iuri acceptato ob iniustitiam grauem illatam, ad extorquendam promissionem (vt significatur in dicto c. *Ex literis*: sicut etiam ob iniustitiam grauem superuenientem sponsalibus iam factis, potest iniustitiam patiens sponsalia dissolueri, cedendo iuri sibi collato, & auferendo quod ipse contulit, ob facilitatem dissolutionis contractus sponsalitiij, cum sit contractus inchoatus, & non perfectus, tendens, quasi via, ad alium contractum.

65

Quomodo verò promissio matrimonij, ob coactionem nulla, obliget ratione iuramenti superadditi, obligatione religionis, dicemus Disp. VI. vbi etiam dicemus, ratione iuramenti quoad nullam obligationem validari.

66

DIFFICULTAS XVI.

Vtrum Sponsalia clandestina sint valida & licita.

Sponsalia dicuntur clandestina, quæ non fiunt coram Parocho & aliis duobus aut tribus testibus.

Circa prius Matienzo lib. 5. Recopilationis tituli. 1. Albornoz, & Menochius docent, esse nulla. Probari autem potest Primò ex L. *Oratio*. ff. De Sponsalibus; vbi dicitur: *Oratio, quæ quasdam nuptias Senatorum inhiuit, de sponsalibus nihil locuta est. rectè tamen dicitur, sponsalia in his casibus ip-*

Matienzo.
Albornoz.
Menoch.

fo iure nullius esse momenti, ergo eo ipso, quòd Tridentinum irritauit matrimonia clandestina, etiam censetur sponsalia clandestina irritasse. Secundò, quia inhabilis ad matrimonium, etiam est inhabilis ad sponsalia; sed post Tridentinum, ubi publicatum est, homines sunt inhabiles ad clandestinè contrahendum matrimonium, ergo etiam ad clandestinè contrahenda sponsalia.

Tridentin.

67
Sancius.
Congreg.
Cardinal.

Sancius verò disp. 12. & communiter Doctores docent, sponsalia clandestina esse valida: quod etiam sensit Congregatio Cardinalium apud Rebellum nu. 49. dum dicitur, *decretum Tridentini, quo statuit, ut matrimonium fiat coram Parocho & aliis testibus, non habere locum in sponsalibus.* Et ratione probatur, quia sponsalia clandestina non sunt irrita iure naturali, ut patet, neque aliquo iure positivo; quia si aliquo, maximè prædicto Tridentini; eo autem non irritatur, nisi matrimonium, ut patet; ergo.

Ad priorem ergo rationem aduersariorum, desumptam ex L. Oratio, respondemus, orationem, seu legem prohibentem matrimonium, etiam vitare promissionem efficiendi matrimonium, eo modo quo matrimonium prohibetur effici; quia eo ipso promissio est rei illicitæ seu prohibitæ, ac proinde promissio contrahendi clandestinè matrimonium est nulla (particula *clandestinè* cadente supra contrahere matrimonium, non supra promissionem:) quia contrahere clandestinè matrimonium, est prohibitum; promissio tamen clandestina contrahendi solèmniter & publicè matrimonium, non est nulla, sed valida. & in dicto sensu, qui est inhabilis ad matrimonium, etiam est inhabilis ad sponsalia, seu ad promissionem contrahendi matrimonium, eo modo quo contrahitur inualidè. Ex quo patet ad posteriorem rationem.

68

Paludan.
Silvester.

Circa posterius Paludanus in 4. dist. 28. q. 1. a. 2. Silvester & alij docent, sponsalia clandestina esse illicita (imo Caietanus in Summa, & Armilla v. *Sponsalia*, existimant esse peccatum mortale.) Et probari potest, quia matrimonium clandestinum prohibitum est in cap. finali, de Clandestina desponsat. & in Tridentino sess. 24. de Reformatione matrimonij, cap. 1. Ergo etiam censentur prohibita sponsalia clandestina, iuxta dictam L. Oratio; quia prohibito aliquo actu, censentur prohibita omnia quæ ad illum ordinantur.

Trident.

69
Sancius.
Salcedo.
Congregat.
Cardinal.

Sancius verò lib. 1. disp. 13. Salcedo, & plures alij docent, sponsalia clandestina non esse illicita (quod etiam declarauit Congregatio Cardinalium apud Rebellum nu. 56.) quia non sunt prohibita iure naturali, ut patet, neque iure aliquo positivo de ipsis specialiter lato, quia non extat. Ex eo autem quòd matrimonium clandestinum sit prohibitum, tantùm fit, sponsalia ordinata ad matrimonium clandestinũ, quamuis sint publica, esse prohibita, & id tantùm continetur in dicta L. Oratio.

De sponsalibus autem conditionatis, seu factis sub conditione, quæ & quando, & quomodo obligent, dicemus Disp. VII. ubi agemus de matrimonio conditionato.

DIFFICULTAS XVII.

Utrum, qui tenetur implere Sponsalia, & non vult, cogendus sit per Iudicem.

SUPponimus, sponsalia absque termino præfixo facta, implenda esse, quãdo alteruter ex sponsis

petat (si tunc commodè fieri possit) quod generale est omnibus contractibus. Et idè est, quando facta sunt præfixo aliquo termino, eo impleto. Quòd si neuter petat, differri potest impletio, nisi aliquis eorum ex timore aliquo, adhuc reuerentiali, aut ex obliuione, non petat; quia si ob timorem vel ob obliuionem non petit, ei sunt implenda, quia tunc non differt liberaliter solutionem sibi debiti.

70

Est ergo difficultas, An quando tempore debito alter non vult implere, altero petente, cogendus sit à iudice ad impletionem; quia in foro conscientie cogendus est à Confessario, ita ut absolendus nõ sit, quando sponsalia obligant ex iustitia, ut regulariter obligant; quia in non implendo peccat continuè mortaliter, quousque impleat.

Circa hanc difficultatem Doctores variè opinati sunt. Quia sunt qui absolutè docent, nolentem non esse cogendum à iudice. quod significari videtur in cap. *Requisiuit*. 17. de Sponsalibus, ubi de quadam femina, quæ iurata matrimonium promiserat, dicitur: *Cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius quàm cogenda; cum coactiones, difficiles soleant exitus frequenter habere.* Et sunt etiam, qui econtrà absolutè docent, nolentem implere sponsalia, cogendum esse à iudice. quod nonnulli limitant, ut tantùm sit verum, quando sponsalia sunt iurata, & significari videtur in c. *Ex literis*. 10. de Sponsalibus; ubi de quodam viro, qui iuratus matrimonium promiserat, dicitur: *Quia periculosum est contra iuramentum venire, mandamus ut eum moneas, & si monitus non acquieverit, censuris compellas, ut ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in uxorem ducat.*

71

Sancius verò lib. 1. disput. 29. Aegidius disp. 22. Sancius. Aegidius. dub. 2. & communiter Doctores docent, iniuste recusantem implere sponsalia, adhuc non iurata, per se cogendum esse à iudice; aliquando tamen per accidens non esse cogendum, quamuis sponsalia sint iurata, quando videlicet ex matrimonio prudenter timetur malus exitus.

Et in primis, quòd per se (id est secluso periculo mali exitus) cogendus sit, quando sponsalia sunt iurata, expressum est in dicto cap. *Ex literis*, & ratione constat: quia ad iudicem, præsertim Ecclesiasticum, maximè pertinet, cogere ad impletionem iuramenti, cum eius violatione maximè inhonoretur Deus. Et quòd etiam cogendus sit, quamuis sponsalia non sint iurata, etiam constat; quia ad iudicem pertinet, compellere ut unicuique petenti reddatur debitum, præsertim ex iustitia. Quòd autem in cap. *Ex literis*, prædictæ coactionis faciendæ non reddatur alia ratio, quàm iuramentum, non obstat, ut dicatur, non esse cogendum ad sponsalia non iurata implenda; quia in eo non negatur, obligationem ex sponsalibus, prout sponsalibus, ortam, non sufficere ut iudex compellat; sed adducitur solùm iuramentum pro causa; quia erat sufficiens, & maior quàm promissio ut promissio.

72

Quòd verò per accidens, quando timetur periculum mali exitus, non sit cogendus ad implenda sponsalia, adhuc iurata, expressum est in dicto c. *Requisiuit*; & non leuiter deducitur ex dicto c. *Ex literis*; in quo etiam est sermo de sponsalibus iuratis; quia in eo dicitur, nolentem esse compellendum, nisi rationabilis causa obstiterit: periculum autem mali exitus, est causa satis rationabilis, obstitens coactioni. Et ratione constat, quia iudex non debet, imò tenetur abstinere à coactione, quando ex

73

ea timetur grauius malum, quod possit Rempublicam turbare aut scandalizare; ergo quando ex matrimonio coacto timetur malum grauius, quam sit non implere sponsalia, vt quando timentur perpetuæ rixæ, aut fictio matrimonij, aut desertio vxoris, nolens non est cogendus.

Sancius. Aegidius. Vnde (vt optimè Sancius & Aegidius) quando iudex nolentem admonuit, & excommunicauit, non debet contra eum (si pertinax est) vltra procedere, sed eum absoluere; quia ex matrimonio sic coacto nequit non timeri grauius damnum: quod verum est, quidquid dicat Basilius; etiamsi dictum periculum, aut alia rationabilis causa, non deobliget nolentem.

Basilius. 74 Capitulum ergo *Requisiuit*, in quo dicitur, sponsam recusantem monendam esse potius, quam compellendam, intelligitur de compulsionem seu coactionem extraordinariam; quia ex matrimonio extraordinariè coacto, exitus difficiles frequenter eueniunt; ac proinde non aduersatur dicto *c. Ex literis*, vbi dicitur, nolentem compellendum esse, nisi rationabilis causa obsistat, qualis est prudens timor mali exitus.

DIFFICULTAS XVIII.

Vtrum possit apponi pœna iniuste resilienti à contractu sponsalicio.

75 **C**onueniunt communiter Doctores, pœnam appositam, etiam iniuste, resilienti ab sponsalibus, esse nullam, & non obligare, quod non tantum habetur in Iure ciuili in *L. Titia. 134. ff. De verborum obligationibus*, & in *L. Mulier. 5. C. De sponsalibus*, & in *L. 39. Castellæ, tit. 11. partit. 5.* sed etiam in Iure canonico, in *c. Gemma. 29. de Sponsalibus*; quod ius non solum habet locum in appositione pœnæ sponsalibus inualidis (vt vult Basilius *c. 19.*) sed etiam in appositione pœnæ sponsalibus validis; quia in dicto *c. Gemma*, etiamsi casus fuerit appositionis pœnæ sponsalibus inualidis, ex defectu ætatis; decisio tamen, & ratio decisionis absoluta est, & generalis.

Basilius. Prædicta autem dispositio non tantum habet locum in appositione pœnæ inter ipsos contrahentes, & etiam inter eorum parentes (in quo communiter conueniunt Doctores); sed etiam inter alios, qui iure propinquitatis sponfos attingunt, imò inter strictè sponforum amicos, & inter eos quibus sponsi subditi sunt, & inter eos à quibus sponsi pati possunt graue aliquod damnum, vt docent Sancius disp. 30. & alij; quia in dicto *c. Gemma*, generaliter reprobat pœna, qua contrahentium libertas impediri possit; pœna autem inter quoslibet, ex dictis, impedire potest libertatem contrahentium.

76 Prædicta dispositio etiam habet locum, quamuis pœna appositæ sit modica (vt contra Ioannem Andream, & alios docent Sancius disp. 30. & Couarr. 4. Decret. 2. par. c. 3. §. 7.) quia dictis Iuribus pœna absolutè reprobat; pœna autè, quamuis modica, est vera pœna, & aliquantulum impediens libertatem.

Sancius. Filliucius. Ochagauia. Addunt Sancius, Filliucius, & Ochagauia, iuramentum, additum appositioni pœnæ, non obligare ad ipsius pœnæ solutionem: quia eam soluere, sit approbare appositionem pœnæ prohibitam, seu illicitam. Immeritò tamen (vt optimè Lessius *c. 17. dub. 7.* & Aegidius disp. 22. n. 24.) quia, quamuis appositio pœnæ esset illicita seu prohibita (quod non probatur, quamuis sit nulla) solutio tamè pœnæ non est prohibita; quia non est prohibita ratio-

77

ne sui, vt patet, neque ex eo quòd sit solutio pœnæ quæ sit illicitè appositæ, etiamsi hoc admittamus: quia etiam solutio pecuniæ, oblata homicidæ, qua conductus est ad homicidium patrandum, est licita, quamuis conductio fuerit illicita, quia ex eo nõ approbatur conductio, sed satisfit obligationi, relicta ex conductione; iuramentum autem obligat, quoties licitè impleri potest, vt dicitur in *c. Debitores. 6.* & in *c. Si verò. 8. de Iureiurando*. Prædicti autem iuramenti impletio licita est, quia non est prohibita Iure aliquo positio, vt patet; neq; naturali, quia neque ex eo approbatur appositio pœnæ, neque impletio illius directè nocet bono publico, quamuis ei non sit expediens, quod non sufficit, vt iuramentum illius non obliget; sicut etiam non sufficit, vt iuramentum factum latroni inuadenti, dandi illi pecunias, non obliget. Pœnam tamen, solutam à nolente implere sponsalia, non poterit alter retinere (quidquid dicant Lessius & Aegidius) quia eam nullo titulo retinere potest, sicut neque usurarius, neque latro qui accepit pecunias sibi extortè promissas, quamuis cum iuramento.

In Nouella autem 18. Imperatoris Leonis, vbi dicitur, *Quod consuetudini placuit, vt in sponsaliorum reprobationibus pœna imminerent his qui reprobare instituerent, id in legis auctoritatem collocamus*, non tã est sermo de imminetia pœnæ appositæ, quam infligendæ à iudice ob violationem sponsalium, quia verè potest à iudice infligi violanti sponsalia.

79 **O**bseruandum est (vt optimè Sancius disp. 30. n. 15.) posse inter cõtrahentes conueniri, vt qui iniuste resilierit, recompenset alteri damnum quod ei emerferit; ex eo quòd facta sint sponsalia, & etiam luerum, ob eadem facta, ei cessans; quia hæc recompenratio non est pœna quæ Iure positio irritatur; sed recompenratio Iure naturali iustitiæ debita; non tamen, vt recompenset lucrum diuitiarum, quod ex matrimonio, cuius erat promissio, acquiescendum erat; quia ad istud lucrum non habet ius, nisi post factum matrimonium; ac proinde cõuentio recompensandi illud esset appositio pœnæ.

DIFFICULTAS XIX.

Vtrum in Sponsalibus possint tradi arrhæ amittendæ ab iniuste resiliente.

80 **A**rrhæ in præsentem sumuntur pro pignore, quod inter sponfos datur in signum implendi sponsalia, quod vulgò appellatur *senal*.

Circa difficultatem ergo conueniunt Doctores, posse in sponsalibus tradi arrhas, amittendas ab iniuste resiliente, & merito: quia nullo Iure impeditur, imò id approbatur Iure ciuili, *L. Arrhis*, & *L. final. C. De sponsalibus*, & *L. 1. Castellæ, tit. 11. par. 4.* Ratio congruentiæ, ob quam facta est lex irritans appositionem puræ pœnæ, & non traditionem arrharum, est, quia traditio arrhæ ex se & regulariter multò minus impedit libertatem, quam appositio pœnæ; quia, ceteris paribus, timor amittendi arrhas, vt pote iam traditas, & non soluendas, minor est, quam soluendi pœnam appositam, vt pote nondum traditam. Cui accedit, quòd regulariter arrhæ traditio, vt pote rei quæ de præsentem datur, est minor, quam appositio pœnæ, vt pote rei quæ promittitur in futurum.

81 Est tamen difficultas, Primò, an arrha possit validè constitui, & tradi in quacumq; quantitate. Rosella v. *Sponsalia* n. 17. Angelus & Siluester docent,

docent, non posse validè tradi in tam magna quantitate, vt (considerata conditione contrahentium) impediatur eorum libertas; quia tunc currit ratio legis, quæ pœnam irritat.

Bartolus. Bartolus ad L. *Tertia*, De verborum obligationibus (quæ nonnulli Iurisperiti sequuntur) docet, arrhas non posse validè constitui in quantitate excedente quantitatē dotis (id est donationis propter nuptias;) quia dissolvens matrimonium, apud Romanos tantum amittebat dotem; ergo æquum non est, vt sponsalia non implens, quæ sunt minoris momenti quàm matrimonium, incurrat maiorem amissionem.

Sancius. Sancius verò disp. 25. *Ægidius* disp. 22. n. 15. & *Couarruias* 4. *Decret.* 2. p. c. 3. n. 7. docent, arrhas posse validè constitui, & tradi in quacumq; quantitate, absq; limite, & merito: quia traditio arrharum, nullo Iure reprobata, imò Iure ciuili approbata, nullo Iure restringitur seu limitatur; ergo possunt validè in quacumq; quantitate tradi & constitui.

82. Quòd autem arrhæ in magna quantitate aliquomodo impediunt libertatem, non obstat, vt in ea possint validè constitui; quia quamuis hæc ratio mouerit ad statuendam legem irritantem puram pœnam, non tamen mouit ad irritandas arrhas, adhuc in magna quantitate; quia in hac rarè constituantur, ad quod non attendunt leges.

Quòd verò in sponsalibus (quando traduntur in quantitate excedente dotem) maior amissio incurratur, ob non impletionem eorum, quàm olim ob dissolutionem matrimonij, nō est contra æquitatem; quia tunc amissio dotis incurrebat, tamquam pœna, & lege præscripta; quod durius est, quàm incurere amissionem arrharum, etiam excedentiū dotem; quia harum amissio non incurritur tamquam pœna per legē inflicta, sed tamquam amissio rei propria sponte traditæ, & facta non per legem, sed ex propria voluntate. Addimus, Iure ciuili Castellæ arrhas non posse excedere decimam partem bonorum dantis illas, vt constat L. 1. tit. 2. lib. 3. fori, quæ approbatur L. 2. tit. 2. lib. 5. Nouæ Recopilationis, & habet vim in sponsalibus non baptizatorum.

83. Secundò est difficultas, An arrhæ tradi & constitui possint in re immobili, vt in fundo, sicut etiam in re mobili, vt in pecunia.

Bartolus. *Rosella.* Bartolus & Rosella vbi supra, partem negatiuam tuentur, Primò, quia L. final. C. De sponsalibus, approbans traditionem arrharum, loquitur de illis in quantitate numerata. Secundò, quia arrhæ aliquando duplicari debent ab accipiente illas, quod nequit fieri (saltem commodè) nisi in quantitate numerata.

Sancius. *Couarr.* *Ægidius.* Sancius verò, Couarruias & Ægidius vbi supra, partem affirmatiuam amplectuntur, & merito: quia arrharum traditio, in re immobili, nulla lege reprobatur; quamuis in dicta Lege tantum fiat mentio earum in quantitate numerata. Et duplicatio arrharum, quando necessaria sit, poterit fieri restituendo rem immobilē, & reddendo valorem illius.

84. Tertiò est difficultas, An arrhæ possint validè ab utroque contrahente constitui.

Bartolus. *Angelus.* *Rosella.* Bartolus, Angelus & Rosella partem negatiuam tradunt, quia quando traditio arrharum est mutua, videtur superflua; quia superflue datur id, cui æquiualens recipitur.

Sancius. *Couarr.* Sancius verò & Couarruias partem affirmatiuam tuentur, & merito: quia ex vna parte mutua

arrharum traditio, nullo Iure irritatur, & ex altera non est superflua; quia iniuste resiliens, amittit arrhas à se traditas, & tenetur sibi traditas restituere.

DIFFICULTAS XX.

Ad quem pertineant arrhæ.

85. *Honriquez.* Conueniunt Primò Doctores contra Henriquez, quando matrimonium promissum sit, arrhas traditas redire ad eum qui eas tradidit, quia arrhæ sunt quasi pignora, quæ non amittuntur, quando contractus (in cuius signum dantur) celebratur: & quando matrimonium promissum non fit ob culpam eius qui tradidit arrhas, illas amittere, & pertinere ad eum cui fuerunt traditæ, nō verò quando iuste resilit. Conueniunt Secundò, eum cui traditæ fuerunt (si iniuste resiliat) teneri illas restituere ei qui illas tradidit, vt patet; imò in L. final. C. De sponsalibus, decernitur, vt nō solum restituat arrhas, sed etiam reddat tantumdem de suo patrimonio; quod æquitati est conforme; vt sicut tradens arrhas exponitur amissioni earum (si iniuste resiliat) ita etiam, qui illas recipit, exponatur amissioni tantidem, præter ipsas arrhas acceptas. Et hæc videtur intentio contrahentium (saltem tacita) quia id est in vsu, orto ex dicta L. *Quamuis*, nō obligante vbique, nisi in terris Imperio subditis, & in sponsalibus non baptizatorum, in qua excipitur minor viginti quinque annorum, vt tantum teneatur restituere arrhas acceptas, & non reddere tantumdem; & ob id ea videtur intentio, tam minoris cui traduntur arrhæ, quàm contrahentis cū ipso minori.

Deinde in dicta L. final. decernitur, vt contrahentes possint inter se conuenire, quòd accipiens arrhas (nisi sit minor) si iniuste resiliat, reddat triplum; id est ipsas arrhas, & bis tantumdem; aut quòd reddat quadruplum, id est, arrhas, & ter tantumdem.

86. Circa quod decretum difficultas est, An facta conuentione dicta, si accipiens arrhas iniuste resiliat, teneatur in conscientia, ante iudicis sententiam, reddere, nō tantum arrhas, sed etiā reliquum.

Nauarrus. *Sancius.* Nauarrus cap. 23. n. 68. & Sancius disp. 37. partem negatiuam tuentur; quia intentio contrahentium videtur esse, vt dicta pœna conuentionalis, id est, ex conuentione appositæ, non obliget ante iudicis sententiam.

Couarr. *Ægidius.* *Basilus.* Couarruias verò 4. *Decret.* c. 6. §. 8. *Ægidius* disp. 22. dub. 4. & *Basilus* c. 19. partem affirmatiuam tradunt, & merito: quia ex vna parte, sola partium conuentione fieri potest, vt pœna debeatur ante iudicis sententiam, vt patet; & ex altera, intentio contrahentium est, vt pœna sit debita ante illam. Quod constat Primò, quia conueniunt de solutione pœnæ, nulla facta mentione sententiæ iudicis. Secundò, quia amissio arrharum est pœna conuentionalis, nō minùs, quàm redditio dupli, aut tripli præter arrhas; & tamen tam tradens quàm accipiens arrhas intendunt eas amitti, & relinquere accipienti, ante iudicis sententiam; ergo etiam quòd illud duplum aut triplum reddatur, quia id ad minùs intendit tradens arrhas; quia hic non minùs intendit accipientem obligari, quàm ipsemet obligatur; ac proinde etiam alter, si verè conueniunt, & conformantur.

87. Vnde non minùs accipiens arrhas, tenetur ante iudicis sententiam ad tantumdem æquiualens arrhis, præter restitutionem arrharum, vt contra Sancium docet *Ægidius*; quia illud tantumdem, etiam est pœna

pœna conuentionalis, saltem vbi non obligat dicta Lex; imò etiam vbi obligat, non est purè legalis, quæ non solet antè Iudicis sententiam obligare.

Sed an pœna conuentionalis, bis tantidem, aut ter tantidem, & etiam semel tantidem (si est conuentionalis, vt nos existimamus) debeat solui ante petitionem partis, sub controuersia est inter Auctores nostræ opinionis: quia Couarruias, Egidius & Molina docent, illam non deberi ante petitionem partis, sicut neque pœna legalis, id est per legem apposita.

Couarr.
Egidius.
Molina.

88
Paludan.
Nauarra.

Paludanus verò in 4. dist. 27. quæst. 1. & Petrus Nauarra lib. 3. de Restitut. cap. 2. dub. 10. docent, debere solui ante petitionem partis (nisi pars non petendo censeatur remittere) & meritò: quia debetur ex conuentione & contractu, ac proinde ex statim, sicut debitu ex aliis contractibus; & id est æquitati conforme, quia accipiens arrhas, ex statim acquirit ius in illas, & eas iustè retinet.

Obseruandum est, excepta appositione puræ pœnæ, quæ irritatur in cap. *Gemma*, de Sponsalibus, posse validè & licitè sponsalibus adiici alios contractus, quia nullibi reprobantur, vt contractum fideiussoris, pro maiori securitate matrimonij efficiendi, & etiam pignoris, pro securitate arrharum nondum traditarum, & etiam contractum habitandi in certo aliquo loco, cui cõtractui tenetur stare vir (nisi iusta causa mutandi locum superueniat) quòd si vir absq; iusta causa mutet locum, vxor nõ tenetur virum comitari, vt docet Sancius disp. 40.

DIFFICULTAS XXI.

*Quæ sint impedimenta, quibus impeditur
valor Sponsalium nondum factorum, ne
validè fiant.*

89

Conueniunt Doctores, non tantum defectum vsus rationis & ætatis, Iure ipso requisitæ, impedire ne validè fiant sponsalia, vt diximus Difficul. xi v. sed etiam omnia impedimenta, quibus personæ sunt inhabiles aut prohibitæ ad contrahendum matrimonium, quando sponsalia referuntur ad matrimonium faciendum, tempore inhabilitatis aut prohibitionis, vt quando promittitur matrimonium, faciendum ante legitimam ætatem, aut tempore impedimenti dirimentis, aut tantum prohibentis seu impediens; quia qui nequit validè contrahere, nequit validè promittere ipsum contrahere, tempore impedimenti ipsius contractus; & qui nequit licitè contrahere, nequit etiam validè promittere ipsum contrahere, tempore prohibitionis ipsius contractus, quia promissio rei impossibilis aut illicitæ nequit esse valida. At quando sponsalia referuntur ad matrimonium, faciendum tempore in quo non est futurum impedimentum, aut prohibitio matrimonij, erunt valida; quamuis ipsa fiant tempore impedimenti, aut prohibitionis matrimonij; vt quando quis ante pubertatem, septennio completo, promittit, se contracturum matrimonium post pubertatem; & quando quis durante voto castitatis promittit se contracturum matrimonium post cessationem voti.

90

Est tamen difficultas, An votum castitatis (& idem est de voto Religionis) ita se habeat ad sponsalia sequentia, quando facta sunt sub spe deflorationis virginis, cum effectu secutæ, vt qui sic promissit matrimonium, teneatur illam ducere; an potius teneatur voto ipso. Et procedit, quando

virgo ignara erat voti; quia si conscia esset, non esset obligatio illam ducendæ, imò neque refarciendi illi damnum; quia mala fide permisit sibi damnum illud inferri.

Sancius ergo disp. 45. & Rebellus lib. 4. qu. 8. sect. 7. docent, votum castitatis non impedire obligationem ducendi illam (intellige etiam cum animo consummandi) quod etiam sentiebat P. Vasquez. Et probari potest Primò, quia tunc facta est notabilis mutatio, qua impletio voti fit notabiliter durior, quia vouens post votum, intulit magnum damnum virgini ab ipso refarciendum; quòd si refarciat illam ducendo, erit facile; difficile verò & durum, si impleat votum, & damnum alia via refarciat; votum autem non obligat, quado fit similis mutatio. Secundò, quia votum non obligat cum damno notabili debiti alteri ex iustitia, ergo qui sub spe matrimonij deflorauit virginem ignaram, etiam post votum emissum, tenetur illam ducere, non obstante voto; quia hoc impletur cum dano notabili debiti virgini ex iustitia.

91
Sancius.
Rebellus.

Vasquez.

Nauarrus verò lib. 4. Consiliorum tit. de Sponsalibus, consil. 21. & Rodriguez tom. 1. Summæ c. 208. nu. 11. & Vivaldus 3 part. cap. 14. nu. 64. docent, votum castitatis impedire obligationem ducendi sic defloratam, ac proinde prædictum teneri voto, & meritò: quia prædictus non tenetur illam ducere ratione promissionis, quia fuit nulla, vt pote rei illicitæ, ratione voti præsuppositi; neque tenetur ratione damni illati, quia huic satisfieri potest constitutione dotis, aut aliter; ergo non tenetur illam ducere, sed tenetur implere votum, & etiam alia via satisfacere dicto damno, quando necessaria sit satisfactio.

Nauarrus.
Rodriguez.
Vivaldus.

Quòd si damno illato nequit alia via satisfieri, nisi eam ducendo (vt regulariter contingit, quando defloratione non cautè facta à viro, aut ab eo publicata, virgo est infamata) tenetur illam ducere, ob posteriorem rationem aduersariorum; quia scilicet votum non obligat cum damno notabili debiti alteri ex iustitia. Addidimus, *quando necessaria sit satisfactio*; quia non semper est, tunc scilicet, quando deflorata non est infamata à viro, & æquè benè nubit, ac si deflorata non esset. Quòd si ipsa absque rationabili causa id publicauit, & sic se ipsam infamauit, quo etiam non æquè benè nubit, nisi maiori dote; deflorator solum tenetur ad satisfactionem damni deflorationis sufficientem, vt deflorata possit æquè benè nubere, ac nuberet, si defloratio secreta esset; & facta nota ei cui nubit, vt absque fraude procedat, quia deflorata potest ei cui nubit id manifestare.

92

Ad priorem ergo rationem aduersariorum respondemus, tunc ob mutationem notabilem superuenientem, qua impletio voti fit notabiliter durior, cessare obligationem voti, quando ea mutatio non fuit voluntaria ei qui emisit votum, sed euenit inuicibiliter, quod non contingit in præfenti.

93

Ad posteriorem concedimus, votum non obligare, quando eius impletio futura est cum damno notabili debiti alteri ex iustitia. In præfenti autem casu impleri potest votum castitatis absq; damno defloratæ, quando alia via, quam ducendo illam, potest ei satisfieri (vt sæpè potest) quia quando non potest, nisi eam ducendo, erit obligatio eam ducendi; & tunc votum non obligabit quoad redditionem debiti coniugalis, etiam si quoad petitionem obliget, & quoad alios actus.

DISPUTATIO II.

De dissolutione Sponsalium.

DIFFICULTAS I.

Vtrum Sponsalia puberum solo eorum mutuo consensu dissolui possint.

PUBERES dicuntur pueri, qui decimumquartum annum attingunt, & puellæ quæ duodecimum annum.

Hoc ergo supposito, ratio difficultatis pro parte negatiua desumitur ex cap. 2. de Sponsalib. ubi dicitur, eos, qui de matrimonio contrahendo fidem dederunt, admonendos esse, ut præstitam fidem seruent; si autem se adinuicem admittere noluerint, ne forte inde deterius contingat, esse in patientia tolerandum. Vbi supponi videtur, dissolutionem sponsalium non posse licite fieri pro sola voluntate sponforum, cum dicatur, tolerandam seu permittendam esse, ne deterius aliquid contingat; & sponfos monendos esse, ut sibi fidem seruent.

Nihilominus Doctores conueniunt, sponsalia non tantum valide, sed etiam licite posse solo mutuo sponforum consensu dissolui. Et in primis posse valide dissolui, supponitur in dicto cap. 2. & ratione constat, quia, ut dicitur in cap. 1. de Regulis Iuris, Res omnis, per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur (subintellige, si dissolubilis est) sed sponsalia sunt dissolubilia, & solo mutuo sponforum consensu nascuntur, seu fiunt, ergo solo eorumdem mutuo consensu dissoluantur.

Quod verò id licite fieri possit, constat; quia nullo iure, neque positiuo neque naturali, prohibetur. Verum est, quod quando absque causa rationabili dissoluantur, non fit absque nota aliqua inconstantiæ, & absque occasione aliqua obloquiorum; eud quamuis non sit peccatum, expedit tamen euitari. Et ob id euitandum dicitur in dicto cap. 2. sponfos monendos esse, ut sibi fidem seruent; quod si nolint, dicitur esse tolerandum, seu permittendum, ne deterius aliquid contingat; quia minus inconueniens est, quando sic resistunt, non coniungi, ne contingat malus exitus. Ex quo constat ad rationem difficultatis pro parte negatiua.

Maior difficultas est, quando sponsalia sunt iurata. Supponimus, sponsalia, quando iurata sunt, posse solo sponforum consensu dissolui, quoad obligationem fidelitatis & iustitiæ; quia promissarius potest cedere iuri sibi promisso, & obligationi fidelitatis; est ergo difficultas, An possint dissolui quoad obligationem religionis ex iuramento ortam.

Circa quam Doctores communiter conueniunt, posse etiam dissolui quoad obligationem religionis, quando iuramentum factum est in fauorem partis; quia tunc solum fit in gratiam iuratarij, ac proinde ipsius remissione obligatio iuramenti cessare potest, siue iuramentum sit confirmatiuum obligationis sponsalium, siue tantum comitans illam. Est tamen difficultas, An quando sponsalia fiunt ab aliquo, intuitu

pietatis, ut ducendi pauperem, & iuramentum principaliter fit in honorem & quasi in gratiam Dei (quia eorum impletio est opus pietatis, & obsequium Dei) etiam possint dissolui quoad obligationem religionis voluntate promissarij.

Sorus 8. de Iustitia quæst. 1. artic. 9. Siluester & Angelus, & Rosella partem negatiuam tuentur, quia iuramentum faciendi aliquid, intuitu pietatis factum, & in honorem Dei, æquiualeat voto, cuius obligationem alter nequit relaxare seu extinguere, ac proinde promittens & iurans non manet liber ab obligatione iuramenti, quamuis alter remittat; sed tenetur ea obligatione ad contrahendum, quoties remittens velit, matrimonium, etiam post factam remissionem.

Sancius verò disp. 52. & Aegidius disput. 23. dubit. 1. Nauarrus & Henriquez partem affirmatiuam tradunt, & merito; non solum quando iuramentum factum est in confirmationem sponsalium, id est, quando cadit supra matrimonium, ut subest promissioni, seu quando iuramentum est implendi sponsalia (ut regulariter fit, quando iuramentum fit simul cum sponsalibus) etiam si iuramentum factum sit in honore & quasi in gratiam Dei; quia tunc consensu & remissione partis cessat materia iuramenti, quia cessant sponsalia, quorum materia, ut illis subest, erat materia iuramenti illius; sed etiam quando iuramentum non fuit factum in confirmationem sponsalium, & eis subordinatum, sed tantum comitatur illa, id est, quando iuramentum fuit ducendi pauperem, ut contingit, quando iuramentum fit ante sponsalia, & potest etiam contingere, quando fit post illa; imò & quando fit simul cum illis, quamuis iuramentum factum sit in honorem Dei, ad eius seruitium attendendo; quia etiam tunc, cum fiat in commodum partis, absque dubio fit saltem tacite sub ea conditione, si illa persona, in cuius commodum fit, non respuat; ergo persona illa respuente, cessat statim obligatio dicti iuramenti (quamuis æquiualeat voto) non directa relaxatione, quæ nequit fieri nisi à Deo, aut ab habente vicem illius, sed cessatione conditionis, sub qua fuit tacite factum; quia persona, in cuius commodum fit, id respuit & non vult. Non negamus, iuramentum posse fieri ducendi personam illam, quoties ipsa velit, etiam post quascumque nolitiones, & quasi remissiones, etiam si non fiat quasi in gratiam Dei: id tamen non intendit iurans, ex eo quod intuitu pietatis & in honorem Dei iuret; ac proinde quando id non expressè intendit, censendus est iurasse sub conditione, quod alter numquam respuat. Ex quo constat ad rationem pro aduersariis adductam.

DIFFICULTAS II.

Vtrum Sponsalia impuberum solo eorum mutuo consensu dissolui possint.

Conueniant Doctores, sponsalia impuberum (id est puerorum non attingentium decimumquartum annum, & puellarum non attingentium duodecimum) non posse eorum mutuo consensu

4
Sorus.
Siluester.
Angelus.
Rosella.

Sancius.
Aegidius.
Nauarrus.
Henriquez.

5

6

7

consensu dissolui, quamdiu impuberes sunt; non quia impediti sunt ad id Iure naturali, quia verè nō sunt, sicut neq; puberes; sed quia impediti sunt Iure positiuo, tradito in cap. *De illis* 7. de Desponsat. impub. Ratio huius dispositionis fuit, vt occurratur leuitati impuberum, qui ob eam sæpius contraherent sponsalia, & dissoluerent. Nihilominus statim atq; ad pubertatem perueniunt, quilibet potest sponsalibus renuntiare, vt dicitur in dicto cap. Ratio autem huius dispositionis fuit, vt immaturitati iudicij, quo impuberes contraxerunt, subueniatur, vt si fortè minùs prudenter se obligarunt, possint, quando ad maturiorè ætatem perueniunt, obligationem illam excutere; & quamuis impubes, qui contraxit cum pubere, possit, quando fit pubes, resilire, non tamen ipse pubes cum quo contraxit.

Est tamen difficultas Primò, An ex duobus impuberibus, qui contraxerunt sponsalia, possit, qui priùs ad pubertatem peruenit, altero impubere permanente, resilire.

8 *Cardinal.* Doctores contra Cardinalem partem affirmatiuam tradunt, quæ non leuiter deducitur ex dicto cap. *De illis*, & exprimitur L. 8. Castellæ, tit. 1. p. 4. & ratione constat, quia ex vna parte nullo Iure requiritur quòd expectet pubertatem alterius, & ex altera puberi conceditur licentia, vel potiùs auferitur impedimentum resiliendi; ergo statim, ac fit pubes, resilire potest ante pubertatem alterius.

Sancius. Addunt Doctores, quos sequitur Sancius disp. 51. necessarium esse, eum qui ad pubertatem peruenit, statim ac illam adeptus est, reclamare (aliàs censetur contractum approbare) quod insinuat in dicto cap. *De illis*, dum dicitur: *Si cum ad annos pubertatis peruenerint, reclamauerint.* Iuxta phrasim autem Iuris id dicitur statim fieri, quod fit intra triduum, L. final. C. De errore Aduocat. & L. final. C. De iudiciis.

Secundò est difficultas, An qui factus est pubes, possit ab sponsalibus ante pubertatem contractis resilire, si iurata fuerint.

Paludan. Cardinal. Henrig. Paludanus in 4. dist. 27. q. 1. ar. 3. Cardinalis & Henriquez partem affirmatiuam tuentur, quia iuramentum, additum contractui, fortitur eandem conditionem contractus, cum in eius confirmationem fiat, sed sponsalia impuberum Iure positiuo includunt tacitè eam conditionem, nisi facti puberes resiliant, ergo etiam iuramentum illis additū.

9 *Sancius. Aegidius.* Sancius verò & Aegidius partem negatiuam tradunt, & meritò: quia id definitur in cap. *Ex literis* 10. de Sponsalibus, dum dicitur, eos impuberes, qui sponsalia contraxerunt, & iuramento confirmarunt, cogendos esse ad contrahendum matrimonium. Id verò quod aduersarij respondent, nempe, dispositionem huius cap. intelligendam esse, quando non reclamant tempore debito, dicitur absque fundamento, imò & contra rationem; quia quando tempore debito non reclamant, quamuis non iurauerint, cogendi sunt ratione obligationis fidelitatis & iustitiæ.

Ad rationem ergo aduersariorum concedimus, iuramentum, additum contractui, fortiri conditiones illas; negamus tamen, sponsalia impuberum iurata includere supradictam conditionem, quamuis eam includant quando non iurantur, quia dispositione dicti cap. *Ex literis* negatur impuberibus licentia resiliendi ab sponsalibus iuratis, quæ conceditur in cap. dicto *De illis*, quando non sunt iurata.

DIFFICULTAS III.

Vtrum Sponsalia, priùs facta, dissoluantur per votum simplex castitatis subsequens.

10 *C*onueniunt Doctores, quando vnus ex sponsis vouet castitatem, alterum manere liberum ab sponsalibus, seu ex parte illius dissolui sponsalia; quia vouens suo voto censetur renuntiare obligationi alterius; quia intendit se obligare ad id quod est impossibile cum matrimonio sibi promisso; & in sponso etiam est alia peculiaris ratio, ob quam sponsa potest dissoluere sponsalia, quia scilicet eo voto fit notabiliter deterior sponsa, quia sponsa cogitur non vacare actibus conjugialibus, nisi ipsa petat, quod ipsi est graue onus.

Est tamen difficultas, An vouens suo voto maneat liber ab sponsalibus factis, & eo ipso ea dissoluat.

Sorus in 4. dist. 16. q. 2. ar. 9. Henriquez 11. de Matrimonio, cap. 14. & Basilius cap. 12. partem affirmatiuam tuentur, quia in sponsalibus semper inest tacita seu implicita conditio, nempe, nisi uoluerit ad meliorem statum transire; quia nemo promittens matrimonium, censetur uelle statui perfectiori renuntiare: ergo votum castitatis, quamuis subsequens, etiam dissoluit sponsalia ex parte vouentis, utpote emissa sub tacita conditione, nisi uoluerit statum continentia eligere. Et confirmatur, quia vt dicitur in cap. *Peruenit* 3. De iureiurando, *promissum non infringit, qui illud in melius commutat;* Ergo non infringit fidem sponsalium, qui post illa vouet castitatem, quæ melior est statu matrimonij.

Sancius verò disp. 46. & Aegidius disp. 23. n. 25. partem negatiuam tradunt, & meritò; quia supradicta conditio nullo Iure inest sponsalibus, ergo non dissoluantur ex parte vouentis. Antecedens probatur, quia non Iure aliquo positiuo, vt patet, neque Iure naturali, seu ex natura sponsalium, quamuis cælibatus sit perfectior statu matrimonij; aliàs qui promisit Petro diuiti rem aliquam, posset illam pauperibus erogare, quia hoc etiam est melius, quod est absurdum. Ex quibus constat ad rationem aduersariorum.

Et ad confirmationem, desumptam ex cap. *Peruenit*, respondemus, in eo sermonem esse de voto facto Deo, cui non infringitur fides, quando ei redditur melius, quia semper acceptat rem meliorem loco minoris; homini verò, qui aliquando non acceptat rem meliorem, infringitur fides, quando non redditur res promissa, præsertim quando id melius, quod reddit aut efficit promittens, est melius ipsi promittenti, aut Deo, & non homini promissario, vt contingit sponso vouenti castitatem respectu alterius.

12 *O*bseruandum tamen est, eum, qui post sponsalia emisit votum castitatis, quamuis altera pars nolit remittere obligationem sponsalitiã, non teneri ingredi Religionem, quamuis hoc medio excusaretur ab sponsalibus, & posset implere votum, vt contra non paucos aduertunt Sancius & Aegidius, & insinuat in Extrauagante antiqua de voto; quia nemo tenetur medio tam duro & difficili ad voti castitatis impletionem, præsertim multò difficiliore, quàm sit impletio ipsius voti: quod verum existimamus, nisi vouens castitatem tunc aduertat, non esse aliud medium licitum ad implendum votum castitatis, nisi ingressum Religionis; quia quando id aduertit, implicitè vouet ingressum

sum Religionis: tenebitur tamen vouens castitatem post sponsalia debitum coniugale non petere (quamuis alteri petenti teneatur reddere) & altera parte mortua amplius non contrahere.

DIFFICULTAS IV.

Vtrum Sponsalia dissoluantur per votum subsequens suscipiendi Ordinem sacrum.

Conueniunt Doctores, susceptionem Ordinis sacri, utpote inhabilitantis ad matrimonium, dissoluere sponsalia prius facta; imò ob votum suscipiendi illum, sponsam manere liberam ab sponsalibus, seu ex parte ipsius dissolui sponsalia; quia eo voto sponsus censetur renuntiare suo iuri, & obligationi sponsæ. Est tamen difficultas, An ob dictum votum dissoluantur etiam ex parte sponsi vouentis, & liber maneat ab ipsis.

14
Sotus.
Henriq.
Basilius.

Sotus 7. de Iustitia, quæst. 1. ar. 3. Henriquez 11. de Matrimonio, c. 14. & Basilius c. 12. partem affirmatiuam tuentur; quia in sponsalibus tacite insit ea conditio, nisi voluerit ad statum perfectiorē transire, & status Ordinis sacri sit perfectior matrimoniali.

Sancius.
Ægidius.

Sancius verò disp. 47. & Ægidius disp. 23. dub. 3. partem negatiuam tradunt, & merito: quia supradicta conditio nullo Iure inest sponsalibus. Quia non positiuo, ut patet; neque naturali sponsalium, quauis status Ordinis sacri sit perfectior matrimoniali; aliàs qui diuiti rem aliquam promittit, poterit eandem pauperi promittere & largiri, quod est falsum. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Nihilominus sponsus, qui id vouit, quamuis sponsa non remittat, non tenebitur Religionem ingredi ut votum adimpleat, nisi aduertens, ingressum Religionis esse vnicum medium ad impletionem voti, id vouerit; tenebitur tamen mortua uxore Ordinem sacrum suscipere.

DIFFICULTAS V.

Vtrum quilibet sponsus sit liber ad ingrediendum Religionem, non contracto Matrimonio, quamuis Sponsalia sint iurata.

15
Supponimus, quemlibet sponsum, non obstantibus sponsalibus non iuratis, liberum esse per se ad ingrediendum Religionem, non contracto prius matrimonio, ut supponitur in cap. *Commissum*, 16. de Sponsalibus. Et in primis sunt per se liberi ad ingrediendum; quia post contractum matrimonium ante consummationem sunt liberi ad id ex priuilegio Ecclesiæ, ut constat ex c. *Ex publico*, 7. de Conuersione coniugat. Ergo sunt liberi ad ingrediendum ante contractum matrimonij; quia si ingressus futurus est, contractus matrimonij per se est inutilis. Addidimus, matrimonium per se esse inutile, quando futurus est ingressus, & sponsos per se esse liberos; quia per accidens, matrimonium potest aliquando esse maximè utile ad prospiciendum famæ sponsæ, & ad legitimandam prolem prius conceptam, & ad alia; & tunc sponsi non sunt liberi ad ingrediendum Religionem ante contractum matrimonij, quia tunc alter rationabiliter & utiliter petit sibi impleri promissionem matrimonij (quod multò verius est, quando sponsalia sunt iurata:) imò si sponsus sub spe matrimonij deflorauit virginem, aut cognouit viduam honestam, & damno illato (si etiam viduæ

16

illatum est) nequit aliter satisfieri, nisi ducendo illam, & consummando, non erit liber ad ingrediendum, etiam post contractum matrimonium; quia tenetur illud consummare.

Est tamen difficultas, An quando sponsalia sunt iurata, quilibet sponsus teneatur per se prius contrahere matrimonium quam ingredi Religionem.

Ledesma 2. par. quarti, q. 45. a. 3. Vega in Summa, cas. 389. Nauarrus & Angelus, partē affirmatiuam tuentur; quod significari videtur in dicto c. *Commissum*, ubi de quodam sponso, qui sponsalia iurauerat, & voluit Religionem ingredi, dicitur tutius esse ei, religione iuramenti seruata, prius contrahere, & postea ingredi. Et ratione probatur, quia licitum est prius contrahere, non minus quam soluere vsuras iuratas; ergo quando iuratur, obseruandum est non minus quam soluere vsuras iuratas.

Ledesma.
Vega.
Nauarrus.
Angelus.

Sancius verò disp. 43. Ægidius disp. 23. dub. 2. Henriquez, & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & merito; quod significatur in dicto c. *Commissum*, dum dicitur, *tutius esse ei prius contrahere*; quia supponitur, tutum esse, non contracto matrimonio Religionem ingredi. Et ratione constat, quia iuramentum istud fit in confirmatione sponsalium, ut supponimus in casu Difficultatis; quia sic fit regulariter; ergo cessante obligatione sponsalium, ut verè cessat, etiam cessat obligatio iuramenti, quamuis eius impletio sit licita, quia iuramento deficit materia; & non cessaret, si iuramentum non fieret in confirmationem, sed comitanter, ut fit iuramentum soluendi vsuras; quia hoc iuramentum soluendi vsuras cadit supra id ad quod à principio nulla est obligatio ex vi promissionis: quia non obligat ex fidelitate, quia extorquenti fidem, ut extorquet vsurarius, non est necessariò seruanda; neque ex iustitia, quia promissio est nulla ad conferendum ius iustitiæ, utpote facta absque titulo, ob quod obligatio istius iuramenti non cessat, sed durat (sicut à principio obligabat) & obseruandum est, nisi vsurarius, in cuius gratiam fit, nolit solutionem vsurarum; quia tunc non obligat, quia sub ea conditione tacite fit.

17
Sancius.
Ægidius.
Henriq.

18
Oseruandum tamen est, quòd quamuis quilibet ex sponsis habeat ius ingrediendi Religionem, etiam post contractum matrimonij factum nondum consummatum, ac proinde non irroget iniustitiam alteri parti ingrediendo Religionem, etiam post factum matrimonium, quamuis factum animo ingrediendi Religionem, & altera parte non admonita de eo animo, quia ob salutem animæ habet ius concessum ab Ecclesia ad id. Nihilominus contrahens matrimonium eo animo, si partem non admonet de illo, peccat contra charitatem aut misericordiam, non peccato commissionis contrahendo, sed omissionis, non admonendo partem, si ea commissione pars exponatur periculo suspicionis alicuius grauis defectus, aut sumptibus magnis faciendis in nuptiis, aut alij graui incommodo, nisi habeat rationabilem causam tacendi, seu non admonendi; ut si ex admonitione de eo animo timeat damnum alicuius considerationis. Quando ergo in dicto cap. *Commissum*, dicitur, ei qui iurauerat, tutius esse prius contrahere, intelligitur, seruatis seruandis ante contractum. Dicitur autem *tutius*, non quia sit sub præcepto, neque sit melius, sed quia, seruatis seruandis, certius est in prius contrahendo nullum esse peccatum.

19

DIFFICULTAS VI.

Utrum Sponsalia facta dissoluantur per ipsum ingressum Religionis factum absque iniuria partis.

Supponimus, sponsalia præcedentia dissolui ex parte vtriusque per professionem solemnem cuiuslibet, & etiam per vota simplicia post biennium emissa in nostra Societate; quia per hæc & per illam redditur quis substantialiter Religiosus, & inhabilis ad matrimonium. Est tamen difficultas, An dissoluantur per ingressum ipsum Religionis.

Paludanus in 4. disp. 27. q. 1. art. 3. & Viguierius cap. 16. §. 7. docent, sponsalia ex neutrius parte, adhuc manentis in sæculo, dissolui seu dirimi, & neutrum manere liberum ab illis, quia si aliquis maneret liber, maximè manens in sæculo: iste autem non manet liber, nisi subsecuta professione, cum ante eam ille tantum sit in Religione, ut experietur an sibi expediat.

Sancius disp. 42. & Siluester v. *Sponsalia*, qu. 10. docent, sponsalia præcedentia ex parte vtriusque dissolui per ingressum Religionis, etiam ex parte ingredientis: quia sicut se habent sponsalia & matrimonium, ita etiam ingressus Religionis, seu nouitiatus, & professio; sed professio dissoluit matrimonium ratum ex parte vtriusque, ergo etiam ingressus Religionis dirimit sponsalia ex parte vtriusque.

Henriquez verò 11. de Matrimonio cap. 14. & Ægidius disp. 23. dub. 3. docent, & benè, sponsalia præcedentia per ingressum Religionis dissolui posse ex parte manentis in sæculo, & non ex parte ingredientis. Et in primis manentem in sæculo liberum manere, ut dissoluat sponsalia, & ut resiliat, probatur; non quia ingrediens censetur renuntiare obligationi alterius (quo ea de facto dissolueret ex parte alterius;) quia non semper censetur, nisi quando ingreditur animo firmo profitendi, sed quia eo ingressu fit notabilis mutatio, qua manens in sæculo cogitur expectare an alter profiteatur, quod est onus graue; & qua ingrediens fit naturaliter minus aptus ad nuptias, quia iam tantum est aptus post desertionem Religionis, quæ communiter non leui probro ducitur. Contractus autè sponsalitiuus (quamuis mutuus) ob eius imperfectiorem est facilis dissolutus: & quamuis simpliciter fiat, habet tamen tacite pro modo, aut conuentione, quòd non fiat notabilis mutatio, aut qua res, pro qua facta est promissio, fiat notabiliter deterior, aut qua impletio fiat notabiliter durior, quorum vtrumque contingit in casu nostræ Difficultatis; ob quòd manens in sæculo potest ea dissoluere, quamuis de facto non maneat dissoluta, iuxta ea quæ dicemus Difficult. xv. Ex quo constat ad rationem pro Paludano & Viguero adductam. Unde id est verum, etiam si sponsalia sint iurata, iuramento facto in confirmationem sponsalium, ut regulariter fit; quia posita potestate, seu libertate resiliendi ab sponsalibus, ob dictam mutationem, etiam ponitur libertas non implendi iuramentum; quia hoc, utpote confirmatorium sponsalium, sequitur eorum conditionem.

Quòd verò ingrediens Religionem non maneat liber ad resiliendum, probatur; quia non fit liber iure aliquo positiuo, quia nullum extat; neque ingressu ipso, quia iste non est impossibilis cum

matrimonio, cum ingrediens possit postea egredi; ergo si egrediatur, & alter velit, tenetur stare promissis.

Ad rationem verò pro Sancio & Siluestro respondemus, negando, ita se habere ingressum Religionis & professionem, sicut sponsalia & matrimonium, sed sicut vorum seu promissionem profitendi, & professionem; imò tantum quoad hoc, quòd sicut sponsalia sunt promissio & inchoatio matrimonij, ita etiam promissio profitendi, ipsius professionis.

Ex dictis ergo in hac & præcedenti Difficultate deduci potest, sponsalia per votum subsequens profitendi dissolui, non tantum ex parte alterius, ut patet, quia eo ipso vouens censetur cedere iuri suo, & obligationi alterius; sed etiam ex parte vouentis, quia non solum alter est liber ab obligatione sponsalitia cessione vouentis, sed etiam ipse vouens; quia huic est liberum profiteri, imò & necessarium, cum quo nequit esse obligatio contrahendi matrimonium, nisi fortè per accidens, si ex parte alterius occurrat aliqua rationabilis causa, ut fiat matrimonium ante ingressum Religionis. Per votum tamen ingrediendi Religionem, quòd non fit votum profitendi, quamuis alter maneat liber ab sponsalibus ob cessationem, qua vouens cedit iuri suo, quando vouet animo firmo profitendi, sicut per ingressum ipsum factum eo animo, & maneat liber ut possit illa dissoluere, quando vouens tantum vouet animo experiendi & probandi Religionem, sicut per ingressum factum simili animo; ipse tamen vouens nullo modo manet liber, sicut neque ingressu ipso, quia post ingressum, quo impleuit votum, potest egredi, & erit obligatus ad contrahendum matrimonium.

DIFFICULTAS VII.

Utrum Sponsalia dissoluantur per Matrimonium subsequens factum cum alia persona.

Conueniunt Doctores, sponsalia dissolui per matrimonium subsequens cum alia persona contractum. Quòd definitum est in cap. 1. de Sponsalia duorum, & in cap. *Si inter*. 31. de Sponsalibus; quòd verum est, non solum ex parte alterius relictae (quia sic contrahens eo ipso renuntiat promissioni sibi à relicta facta; imò etiam sufficientissimam causam offert relictae, ut relicta possit dissoluere sponsalia ex parte sui, quamuis dicta cessione non fuissent dissoluta;) sed etiam est verum ex parte contrahentis matrimonium, saltem quamdiu durat matrimonium; quia tamdiu est ipsi impossibile implere promissionem relictae factam.

Est tamen difficultas, An, qui cum secunda contraxit, teneatur, matrimonio dissoluto, siue morte siue professione secundæ, contrahere cum prima seu relicta, ipsa volente.

Sancius disp. 48. & Henriquez 11. de Matrimonio, cap. 14. partem negatiuam tuentur, quia matrimonium superueniens est vinculum fortius vinculo sponsalium præcedentium, & eiusdem rationis cum illo, & cum eo impossibile, ergo extinguit illud: sicut etiam, qui vouit profiteri in strictiori Religione, liberatur omnino ab eo voto per professionem factam in Religione laxiore.

Adrianus verò in 4. quæst. 2. de Matrimonio, &

20
Paludan.
Viguierius.

21
Henriq.
Ægidius.

22

23

24

25

26

Sancius.
Henriquez.

&

Aegidius. & Aegidius disp. 23. n. 32. partē affirmatiuam tradunt, & merito: quia vinculum matrimonij cum secūda, ex vna parte est defectibile morte aut professione secūda, & ex altera non est impossibile cum obligatione sponsalitia respectu primæ; etiam si, quamdiu durat, impediatur impletionem illius, & sit impossibile cum ipsa impletione: ergo quamuis, quamdiu durat vinculum illud, sopita sit obligatio sponsalitia respectu primæ, non tamen extinguitur (sicut etiam matrimonium consummatum post votum ingrediendi Religionem non est impossibile cum obligatione voti, quāuis eius impletionem impediatur) ac proinde deficiente vinculo matrimonij cum secūda, quasi reuiscit & euigilat obligatio sponsalitia cum primæ, ad contrahendum matrimonium cum ipsa.

27 Ad rationem ergo aduersariorum constat, quod quamuis vinculum matrimonij sit fortius obligatio sponsalitia, & sit eiusdem rationis cum illa, quia tamen non est impossibile cum ea, vt relata ad tempus cessationis ipsius vinculi, idē non tollit illam; quamuis, quamdiu durat, eius impletionem impediatur. Quod si professione in Religione laxiori extinguitur votum ingrediendi strictiorem, & in ea profitendi, est, quia votum illud in eam professionem commutatur, aut ex priuilegio Ecclesiæ, aut ab ipso profitente, quia professio, quamuis in Religione laxiori, est manifestē melior voto profitendi in strictiori.

DIFFICULTAS VIII.

Vtrum Sponsalia priora dissoluantur per posteriora, quibus accessit iuramentum aut copula.

28 **S**upponimus (in quo Doctores conueniunt) sponsalia posteriora absque iuramento & absque copula, non dissoluere priora ex parte contrahentis posteriora; quia sunt æqualia, ac proinde posteriora nequeunt contra priora præualere: posterior enim promissio, vtpote rei illicitæ, quia iam alteri promissæ, nulla est, saltem relata ad tempus iuris prioris promissarij. Vnde qui posteriora sponsalia contraxit, tenetur prioribus: alter tamen, cum quo priora contraxit, liber manet ab sponsalibus; quia qui posteriora contraxit, eo ipso renuntiavit obligationi alterius, tam fidelitatis quam iustitiæ. Et quāuis non renuntiasset, dedit illi sufficientem occasionē vt resilire possit; quia frangenti fidem, aut ad id conanti, non est necessariō seruanda promissio.

Hoc ergo supposito, circa prius conueniunt Doctores contra Innocentium, sponsalia posteriora, quamuis eis accesserit iuramentum, non præualere contra priora, sed e contra: quia posterior promissio, vtpote rei illicitæ, quia iam alteri promissæ, est nulla; & iuramentum etiam, vtpote rei illicitæ, non obligat, saltem si referantur ad tempus iuris alterius. Nihilominus, vt contra Sancium disp. 50. & contra Aegidium & Basilium optimē Couarruias 4. Decretal. p. 1. c. 4. §. 1. nu. 10. & Rebellus lib. 4. q. 8. sect. 8. si priora sponsalia dissoluantur, siue morte siue ingressu Religionis, siue renuntiatione alterius, is qui posteriora contraxit, tenetur ad matrimonium cum posteriori sponso: quia quamuis posterior promissio, quatenus relata ad impletionem faciendam, tempore iuris alterius fuerit rei illicitæ, & nulla; fuit tamen valida, etiam à principio, quatenus relata ad impletionem faciendam

tempore cessationis iuris alterius, ad quod tempus etiam extenditur obligatio illius, vtpote facta absolute & absque limitatione, & facta tempore quo erat habilis ad id promittendum pro tempore dicto cessationis.

Circa posterius Rebellus lib. 4. q. 8. sect. 8. Aegidius disp. 23. n. 34. & Basilus c. 14. docent, priora sponsalia dissolui per posteriora, copula subsequuta cum posteriori sponsa, ignara priorum, & carnaliter cognita sub spe matrimonij (quod etiam docebat Vaquez) quia contra æquitatem naturalem videtur cum tanto damno alieno implere priorem contractum, & ex cuius dissolutione, seu non-impletione pars altera nullum aliud damnum patitur, quam quod non fiat contractus, in quo ipsa est collatura tantum quantum receptura.

Sancius verò disp. 49. Henriquez 11. de Matrim. cap. 57. Sotus & Nauarrus docent, non dissolui priora sponsalia per posteriora, adhuc copulā subsequuta cum posteriori, quamuis ignarā priorum, & merito: quia qui contraxit posteriora, non tenetur ratione promissionis, cum sit nulla, vt relata ad tempus iuris alterius, quia est rei illicitæ, præsuppositis prioribus sponsalibus; neque ratione damni illati posteriori sponsæ, quia huic damno satisfieri potest constitutione dotis, aut alia via. Et confirmatur, quia qui vi aut fraude cognouit feminam, nō promissis nuptiis, non tenetur illam ducere, si alia via possit damno illato satisfacere. In presenti autem casu ita contingit: quia perinde est, non esse promissionem, & eam esse nullam, vt est in casu dicto; ergo non tenetur illam ducere, sed priorem, & posteriori damnum alia via satisfacere. Quod si aliquando non possit nisi eam ducendo, ad id tenetur ob rationem aduersariorum, quæ id probat, & non amplius. In hoc tamen casu, cessante matrimonio inito cum hac posteriori, tenetur postea contrahere cum priori, si ipsa velit.

DIFFICULTAS IX.

Vtrum Sponsalia transacto termino in eis assignato dissoluantur.

29 **S**upponimus, terminum in sponsalibus pro contrahendo matrimonio præfixum, posse (sicut in aliis contractibus & rebus) dupliciter præfigi seu assignari: vno modo, sed rarō, tamquam terminum finientem obligationem, vltra quem promittentes nolunt obligari; altero modo, & regulariter, tamquam terminum finientem licentiam differendi impletionem, sed non finientem obligationem, ita vt non liceat vltra illum terminum differre impletionem, quamuis eo transacto perseueret obligatio.

Circa difficultatem ergo conueniunt cōmuniter Doctores, transacto termino in sponsalibus præfixo ad finiendum obligationem contrahendi, dissolui sponsalia ex parte eius per quem non stetit. Ita Sancius disp. 53. & Aegidius disp. 23. n. 46. Ratio est, quia prædictus terminus assignatus fuit ad id, vt eo transacto finiatur obligatio; ergo is per quem nō stetit, liber manet ab obligatione, quia tantum voluit obligari vsque ad terminum assignatum, & non vltra. E de termino sic præfixo sermo est in cap. Sicut. 22. de Sponsalibus, quia in eo supponitur, eum qui præfixit terminum in sponsalibus, & per eum non stetit, illo transacto non teneri.

Addidimus, eum, per quem non stetit, liberum manere; quia alter, per quem stetit, nō manet liber,

*Rebellus.
Aegidius.
Basilus.*

Vaquez.

30
*Sancius.
Henriquez.
Sotus.
Nauarrus.*

31

*Sancius.
Aegidius.*

32

vt

*Couarr.
Rebellus.*

29

vt supponitur in dicto cap. *Sicut*; quia tunc, quamuis finita fuerit obligatio orta per se ex dictis sponsalibus, obligatur tamen per accidens, vt reddat quod debuit ex iustitia reddere. Quod intelligimus verum, quamuis transactio termini, seu mora contrahendi, sit inculpabilis; quia iste non tenetur ratione damnificationis (quæ deberet esse culpabilis) sed ratione rei retentæ, & quasi acceptæ; quia retinet rem quam debuit reddere. Quod si per vtrumque culpabiliter steterit, vterque manet liber: quia vterque censetur renuntiasse iuri suo, & mutuo consensu illa dissoluisse. Et si per vtrumque inculpabiliter stetit, vterque manet obligatus, non per se, vt patet, sed per accidens, vt quilibet reddat alteri quod debuit ex iustitia reddere. Et si per vnum stetit culpabiliter, & per alterum inculpabiliter, is, per quem culpabiliter stetit, manet obligatus, & alter liber; quia is per quem culpabiliter stetit, censetur renuntiasse iuri suo, & alter non.

At quando terminus præfixus sponsalibus, præfigitur non ad finiendam obligationem, sed ad finiendam licentiam differendi; transacto eo termino, non eo ipso dissoluuntur sponsalia, adhuc ex parte illius per quem non stetit (vt docent Sancius & Aegidius) quia tunc terminus non fuit præfixus ad finiendam obligationem; ac proinde eo finito & transacto, non eo ipso finitur obligatio. Et de termino sic præfixo sermo est in *L. Celsus. ff. De rebus arbitris*, dum dicitur, eum, qui iussus est dare pecuniam intra Kalendas, non liberari ab obligatione, etiam si per creditorem steterit vt intra Kalendas non fuerit data.

Et quamuis regulariter terminus in sponsalibus assignetur hoc posteriori modo, nempe ad finiendam tantum licentiam differendi; quia tamen etiam potest assignari priori modo, nempe ad finiendam obligationem, quia ex intentione contrahentium pendet vno aut altero modo terminum assignare, ad discernendum an priori an posteriori modo assignetur, quando de intentione contrahentium (ex qua pendet) non constat; recurrendum est ad causas & motiua assignandi terminum, & ad alias circumstantias, & ex eis arbitrio prudentis discernendum.

Obseruandum est, vt bene Aegidius, quod quamuis ex dilatione vnus alter non liberetur per se ab obligatione, quando terminus non est assignatus ad finiendam obligationem; potest tamen per accidens liberari, tunc videlicet, quando dilatio est tanta, vt vel censetur renuntiasse sponsalibus, vel grauiter fregisse fidem; quia frangenti grauiter fidem, non est necessarium fides seruanda. Quod etiam est verum, quando sponsalia facta sunt nullo assignato termino, quod scilicet, quando alter est in tanta mora, vt censetur sponsalibus renuntiasse, liberet alterum ab obligatione; aut quando mora est tanta vt alter non censetur se vsque ad tantam obligasse, quæ arbitrio prudentis discernenda sunt.

DIFFICULTAS X.

Vtrum, quando vnus ex sponsis discedit in remotissimum locum absq; consensu alterius, dissoluantur Sponsalia ex parte relicti.

Conueniunt Doctores, quando sponsus dimittit terram, se in remotas Prouincias transferens absq; consensu sponsæ, tunc sponsam liberam manere ab sponsalibus (vt absolute exprimitur in *c. De illis. 5. de Sponsalibus*;) quia qui ita dis-

cedit, censetur renuntiare iuri suo, & obligationi alterius erga ipsum discedentem; imò suo discessu etiam confert sponsæ sufficientissimam causam, vt possit sponsalia ex parte sui dissoluere, quamuis non fuissent dicta renuntiatione dissoluta. Dicitur autem quis absolute dimittere terram, quando dimittit domicilium, seu recedit animo non redeundi; non verò qui animo redeundi, etiam si per longum tempus: quia iste tantum dicitur eam dimittere secundum quid, & cum addito, ad tempus, non absolute. Est autem prædicta doctrina vera, etiam si sponsalia iurata sint, vt supponitur in dicto cap. quia iuramentum, vt supponimus, & vt regulariter fit, tantum additur in confirmationem sponsalium; ac proinde his dissolutis, etiam cessat obligatio iuramenti. Ita tamen dicto discessu sponsi liberatur sponsa ab obligatione sponsalitia, vt statim ac sic discedit sponsus, libera maneat, absq; eo quod necessarium sit sponsæ expectare biennium Iure ciuili communi requisitum pro absentia sponsi in eadem Prouincia; nec triennium eodẽ Iure requisitum pro absentia sponsi in alia Prouincia; & etiam requisitum Iure ciuili Castellæ *L. 8. tit. 1. part. 4.* quando ignoratur vbi sponsus sit, siue sit in eadem Prouincia siue non: quia quamuis designatio dicti temporis facta Iure ciuili, facta fuisset pro absentia deferendo domicilium, diceretur correctæ Iure canonico dicti *c. De illis*, vbi absolute, absque vlla temporis expectatione, dicitur sponsa libera manere, præsertim quod nec facta fuit pro dicta absentia, nec habet locum in sponsalibus baptizatorum, vt dicemus in fine Difficultatis.

Et non solum sponsa ex tunc manet libera ob dictam discessionem seu absentiam sponsi, sed etiam sponsus ex tunc manet liber ob similem absentiam sponsæ, non Iure Ecclesiastico dicti *c. De illis*, quia in eo tantum est sermo de absentia sponsi; sed Iure naturali; tum quia simili absentia sponsa censetur cedere iuri suo, & obligationi sponsi; quo ex parte sponsi dissoluuntur: tum etiam, quia eã absentia fit notabiliter difficilior & onerosior, vt patet; quo sponsus potest illa dissoluere.

Est tamen difficultas, An quando sponsus absque consensu sponsæ discedit in terras remotas animo redeundi, sed absque spe celeris reditus, sponsa maneat libera.

Paludanus in *4. dist. 27. q. 1. ar. 3.* Antoninus *3. p. tit. 1. c. 18.* Siluester v. *Sponsalia*, nu. 8. & Canisius in dictum *c. De illis*, docent, quod si sponsus non discedat extra Prouinciam, teneatur expectare per biennium; & si extra Prouinciam, teneatur expectare per triennium: & eo biennio aut triennio transacto, liberam manere, & non antea; quia sic decernitur Iure ciuili *l. 2. C. De repud.*

Sancius lib. 1. disp. 54. Henriquez *11. de Matrimon. c. 14.* & Toletus lib. 7. cap. 21. docent, quod si sponsus discedit in terras remotas, siue extra Prouinciam siue non, & absq; spe celeris reditus, quamuis animo redeundi, ex tunc sponsa libera maneat ad contrahendum cum alio; imò existimant id disponi in dicto cap. *De illis*, quod nos existimamus falsum: quia credimus, in eo tantum esse sermonem de discessu in terras remotas, deferendo terram & domicilium.

Nos ergo existimamus, rem hanc discernendam esse, iuxta ea quæ diximus Difficult. præcedenti, nempe, quod si sponsus absens perseveret absens post

33

Sancius.
Aegidius.

34

Aegidius.

35

36

37

Paludan.
Antonin.
Siluester.
Canisius.

38

Sancius.
Henriquez.
Toletus.

39 post terminum præfixum ad finiendam obligationem, ex tunc sponsa libera maneat; & quod, quando post terminum, præfixum tantum ad finiendam licentiam differendi, ita notabiliter moratur & perseuerat absens, ut videatur renuntiasse sponsalibus, aut notabiliter fregisse fidem, etiam ex tunc libera maneat; & quod quando, nullo expressè assignato termino sponsalibus, ita moratur, ut moraliter censetur renuntiasse sponsalibus, aut sponsa non censetur se obligasse usque ad tantam moram (quæ arbitrio prudentis discernenda sunt) etiam ex tunc sponsa libera maneat. Vnde in dictis casibus sponsa tenetur expectare dictum terminum, aut dictam moram; nisi quando ante dictum terminum, aut ante dictam moram prudenter creditur id euenturum, quia quando id antea prudenter creditur euenturum, ex tunc potest se ut liberam gerere; quia in eo casu moraliter frustra expectabit. Et idem, ob eandem rationem, dicendum est de sponso, quando sponsa dicto modo discedit & moratur. Prædicta autem sunt vera, etiam si sponsalia sint iuramento confirmata, ob rationem sæpè repetitam.

40 Prædicta autem dispositio Iuris ciuilibus, expectandi biennium pro absentia intra Prouinciam, & triennium pro discessu extra eam, quamuis non sit correctæ per dictum c. *De illis*, quia in hoc est sermo de discessu deserendo domicilium, & in Iure ciuili de discessu, absq; desertione domicilij, quando fit animo redeundi; nihilominus non habet locum in sponsalibus baptizatorum, quia sunt contractus, habens pro materia & obiecto contractum matrimonij eleuatum ad esse Sacramenti.

DIFFICULTAS XI.

Vtrum ob fornicationem, post Sponsalia factam, dissoluantur ex parte innocentis.

41 **C**onueniunt Doctores, ob fornicationem sponsæ dissolui posse sponsalia ex parte sponsi (ut exprimitur in cap. *Quemadmodum*. 25. de Iureiurando) non solum quia per fornicationem sponsa fit notabiliter vilior, ob quod impletio sponsalium fit spõso notabiliter difficilior, sed etiam, quia fornicando frangit notabiliter fidem, & ius; quia desponsatione contulit fidem, & ius in corpus, ut erat quando illud promisit; quod est verum, etiam si sponsalia sint iuramento confirmata, ut dicitur in eodem cap. ob rationem sæpè repetitam; & propter fornicationem sponsi etiam dissolui possunt sponsalia ex parte sponsæ, ut docent communiter Doctores, ob supradictam posteriorem rationem; quia scilicet sponsus fornicado frangit notabiliter fidem.

42 **A**ddimus contra Tabidnam & Armillam, ut optimè Sancius disp. 55. Henriquez lib. 11. c. 14. Ægidius disp. 23. dub. 7. & communiter Doctores, ob fornicationem sponsæ, quamuis vi & coactione factam, dissolui posse sponsalia ex parte sponsi, ut dicitur in Can. *Raptor*. 26. q. 2. quia ea fornicatione sponsa fit notabiliter vilior in ordine ad matrimonium. Et ob eandem rationem dissolui possunt, si permittat se turpiter tangi; quia scilicet eo habetur omnino impudica, ac proinde vilior, & etiam quia frangit notabiliter seu iure graui legem sponsalium, seu fidem. Ob fornicationem tamen sponsi, vi sibi illata factam, non possunt dissolui sponsalia ex parte sponsæ, ut docent Sancius & Ægidius; quia non frangit fidem sponsalium, neque fit notabiliter vilior in ordine ad matrimonium, ob tactus tamen il-

lius impudicos dissolui possunt (ut contra non patet aduertit Ochagua quaest. 23.) quia quamuis eis non fiat notabiliter vilior, frangit tamen notabiliter seu in re graui legem sponsalium, seu fidem. Vnde existimamus, non tantum fornicationem sponsæ aut sponsi cum alia persona, sed etiam tactus impudicos, præter malitiam grauem luxuriæ, etiam habere nouam malitiam grauem iniustitiæ contra ius, quod habet in corpus alterius futurum illasum, & tertiam malitiam leuem infidelitatis. Imò in sponsa addit quartam malitiam iniustitiæ, & grauem, quando tactus impudicus est publicus, & eo infamatur sponsus, ut de fornicatione diximus Disp. 1. Difficult. 11.

43 **O**bservandum est, ut contra Ochaguiam q. 23. docent Henriquez & Ægidius, utroque sponso post sponsalia fornicante & delinquente, sponsum resilire posse, & non sponsam; quia quamuis quoad fidei & iuris fractionem facta sit æqualis compensatio, non tamen quoad vilitatem; quia sponsa fit notabiliter vilior, non verò sponsus.

Sed superest difficultas, An ob fornicationem ab sponsa, existimata virgine, ante sponsalia commissam, & post sponsalia ab sponso cognitam, possint sponsalia ex parte sponsi dissolui.

44 **P**aludanus in 4. disp. 27. qu. 1. art. 3. & Supplementum Gabrielis dub. 4. partem negatiuam tuentur; quod exprimi videtur in dicto c. *Quemadmodum*, dum dicitur, sponsum non posse obicere sponsæ fornicationem præcedentem.

Sancius verò disp. 63. Ægidius, & communiter Doctores partem affirmatiuam tradunt, & merito, non quia sponsa fregerit fidem, aut quia reddatur in posterum suspecta; sed quia illa fornicatione est notabiliter vilior quam existimabatur. Et ob eandem rationem propter fornicationem præcedentem viduæ, existimatæ honestæ, ante sponsalia commissam, & postea cognitam potest sponsus ab sponsalibus resilire, ut optimè Sancius; quia scilicet illa fornicatione est notabiliter vilior quam apparebat, quamuis non tam vilis ac putata virgo. In prædicto verò c. *Quemadmodum*, ubi dicitur, non posse obici sponsæ fornicationem præcedentem, tantum est sermo de fornicatione præcedente, cognita ante sponsalia, ut exponunt Glossa, & communiter Doctores.

Sponsa tamen non potest resilire ob fornicationem præcedentem sponsi, quamuis ignoratam, & postea cognitam, ut docent Sancius & Ægidius, quia sponsus ob illam non est notabiliter vilior in ordine ad matrimonium.

Aduertunt non pauci, ob hæresim sponsalibus superuenientem posse sponsalia dissolui ex parte innocentis: quod nos verum existimamus, quando cohabitatio redditur periculosa innocenti, aut quando id contingit in Prouinciis, in quibus (ut in nostra, dedecori ducitur hæresis.

DIFFICULTAS XII.

Vtrum Sponsalia dissolui possint ob impedimentum dirimens superueniens.

45 **C**onueniunt Doctores, ob impedimenta dirimentia, nempe ob affinitatem, & cognationem, & alia sponsalibus superuenientia, dissolui posse sponsalia ex parte alterius qui non fuit causa impedimenti, quia impedimento dirimente matrimonium

monium fit impossibile, absque dispensatione facta, quam non tenetur alter acceptare, etiamsi ei liberaliter offeratur.

Est tamen difficultas, An is, cuius causa impedimentum contractum est, teneatur dispensationem procurare, altero id exigente.

Petr. Led.
Ochagan.

Petrus Ledesina quæst. 43. art. 3. & Ochagania quæst. 23. absolute & absque limitatione docent, teneri; quia contra ius alterius opposuit liberè impedimentum, ac proinde ex iustitia tenetur ad illud auferendum. Quod etiam docent Sancius disput. 56. & Ægidius disput. 23. dub. 5. excepto, quando dispensatio nequit absque notabili incommodo obtineri, ut non absque magnis sumptibus; quia non videtur se ad impletionem sponsalium medio extraordinario & difficili obligasse, nisi quando pars innocens notabilem iacturam patitur ex non impletione sponsalium. Filiucius c. 8. quæsto 8. docet, illum non teneri, nisi quando altera pars notabilem iacturam patitur ex non impletione sponsalium.

46
Sancius.
Ægidius.

Nos tamen existimamus, eum, qui fuit causa impedimenti, teneri ad procurandam dispensationem, quando dans causam impedimenti advertebat impedimentum contrahi; quia tunc liberè dedit causam damno impedimenti, damnificationi autem liberæ & humane satisfaciendum est. At quando tunc non advertebat impedimentum contrahi, non teneri, quia tunc liberè non damnificauit; damnificationi autem, quando non liberè fit, non est necessariò satisfaciendum. Quando autem dicta damnificatio liberè facta est, ei satisfaciendum est, procurando dispensationem, si possit absque magnis sumptibus, aut absque alio notabili incommodo, quia si non possit nisi sic, non est necessariò procuranda, nisi id sit necessarium ad satisfaciendum alicui alij damno deflorationis, aut famæ.

47
Quomodo verò voto Religionis, aut castitatis, aut cælibatus, quod solum ex pluribus impedimentis tantum impediuntibus, & non dirimentibus, quæ olim erant, remansit, superueniente sponsalibus, possint sponsalia dissolui, diximus Difficultate III. & aliis sequentibus.

DIFFICULTAS XIII.

Vtrum Sponsalia dissolui possint ob notabilem defectum corporis superuenientem.

48
Conueniunt Doctores, ob notabilem corporis defectum post sponsalia superuenientem sponsa, ut ob paralytim, lepram, amissionem oculorum, aut nasi, & ob aliquem alium turpiorem defectum, dissolui posse sponsalia ex parte sponsi, quamuis iuramento confirmata, ut exprimitur in dicto cap. *Quemadmodum*. 25. de Iureiurando; quia contractus sponsalium (& consequenter etiam iuramentum in confirmationem illius factum) tacite fit addita conventionione, aut quasi conditione. Quod si adsit notabilis mutatio, ob quam impletio sponsalium fiat notabiliter onerosior, is cui fit talis, resilire possit. Et ob eandem rationem, quando defectus sponso superueniens est ei notabilis, quales sunt omnes prædicti, dissolui possunt sponsalia ex parte sponsæ, ut docent communiter Doctores. Sufficit autem ad dissolutionem sponsalium ex parte illius, amissio vnius oculi, siue in

sponsa, siue in sponso, ut contra Paludanum, requirentem amissionem vtriusque, docet Sancius *Sancius*. disp. 27. & communiter Doctores.

Et ob prædictam rationem morbus Gallicus, & quicumque alius contagiosus, & quicumque alius notabilis incurabilis superueniens, est sufficiens ad dissolutionem sponsalium ex parte illius, in quo etiam conueniunt communiter Doctores. Quod etiam Sancius extendit ad notabilem oris fetorem: & à fortiori extenditur communiter ad defectum notabilem in fama aut in honore superuenientem; quia ob quemlibet ex dictis impletio sponsalium fit notabiliter onerosior illaso.

Sancius.

49
Et ob defectum notabilem in pulchritudine superuenientem sponsæ, dissolui possunt sponsalia ex parte sponsi, ut contra Couarruiam 4. Decret. p. 1. cap. 5. docet Sancius disp. 13. quia ob dictum defectum impletio sponsalium fit sponso notabiliter durior, aut notabiliter minus grata: & etiam dissolui possunt ex parte sponsæ ob notabilem deformitatem superuenientem sponso, ob eandem rationem, quamuis ad id maior defectus requiratur in sponso quam in sponsa. Quod autem in dicto cap. *Quemadmodum*. tantum fiat mentio deformitatis prouenientis ex amissione oculorum, aut nasi, non obstat, quia in eo non negatur, posse ob alias deformitates dissolui, & hæc deformitas & alij defectus, qui à nobis adduntur, sicut & illi qui in eo cap. assignantur, Iure naturali sufficiunt ad dissolutionem sponsalium.

Sancius.

DIFFICULTAS XIV.

Ob quasnam alias causas dissolui possint Sponsalia.

50
Conueniunt Primò Doctores, ob notabilem alterius asperitatem & seuitiam aduenientem aut cognitam post sponsalia, ea posse dissolui ex parte alterius. Ita Sancius disp. 58. & Ægidius disp. 23. num. 67. Quod constat Primò, quia ob illam impletio sponsalium fit alteri notabiliter durior. Secundò, quia ob illam etiam fieri potest diuortium, ut patet ex cap. *Literas*. 13. de Restitut. spoliatorum: ergo à fortiori dissolui possunt sponsalia. Quo argumento vitur textus in cap. *Quemadmodum*. 25. de Iureiurando, ad probandum, ob fornicationem dissolui posse sponsalia; quia videlicet est iusta causa diuortij. In c. autem *Veniens*. 5. Qui Clerici vel vouentes, in quo mulier dicitur violasse fidem, non dicitur, quia resilierit ab sponsalibus ob seueritatem quam audierat de sponso, sed quia violauit votum castitatis, quod emisit in manibus cuiusdam Eremitæ, ut deducitur ex contextu; aut si dicitur violasse fidem, quia resilierit ob seueritatem sponsi, non est quia seueritas non fit sufficiens causa, sed quia mulier illa absque sufficienti notitia seueritatis sponsi eum reculauit.

Sancius.
Ægidius.

51
Secundò conueniunt Doctores, ob graues inimicitias ortas inter sponso, dissolui posse sponsalia ex parte vtriusque: & quia tunc impletio sponsalium fit vtrique notabiliter grauior, & quia ex eorum impletione potest malus exitus prudenter timeri.

Dissolui quoque possunt ex parte vtriusque, ob obstinatam parentum contradictionem, quando ex ea prudenter timetur aliquis malus exitus, ut aduertit Ægidius nu. 68. quia etiam tunc impletio sponsalium fit vtrique notabiliter grauior.

Tertiò contra Baldum & Alexandrum de Neuo, conueniunt Doctores, ob paupertatem superuenientem, quando ob eam non potest solui dos promissa, dissolui posse sponsalia ex parte alterius; quia tunc censentur celebrata sub conventionione aut quasi conditione dotis, vt constat ex cap. *De illis*. 3. de Conditionibus appositis; quod est verum, etiam si paupertas absque culpa contingat. Imò quãdo, nulla facta promissione dotis, superuenit paupertas, etiam possunt dissolui ex parte alterius, vt contra Couarruiam 4. Decretal. p. 1. cap. 5. docent Sancius disp. 99. & Henriquez 11. de Matrimonio cap. 14. quia ob illam impletio fit alteri notabiliter onerosior, & quæ à principio existens, etiam prudentem ab sponsalibus retraheret.

52
Sancius.
Henriquez

Sancius.
Ægidius.

Observant Sancius & Ægidius, quòd quamuis alteri ex sponsis ingentissima diuitiarum copia superueniat, altero in eodem statu permanente, non possunt dissolui sponsalia: quod nos difficile existimamus, quia dicta mutatio est ita notabilis, vt ex se efficiat impletionem notabiliter grauiorem factò diuori, & quæ à principio existens, etiam prudentem ab sponsalibus retraheret.

Sancius.
Henriquez
Ægidius.

Tandem concludimus, vt aduertunt Sancius, Henriquez & Ægidius, quaecumque notabilem mutationem sponsalibus superuenientem, quæ eorum impletionem reddat notabiliter difficiliorem, esse sufficientem ad eorum dissolutionem ex parte illius cui redditur difficilior; quia contractus sponsalitijs (vrpote non perfectus, sed inchoatus, non conferens dominium, sed ius ad rem, & factus pro re non accepta, sed accipienda, & quæ non accipietur, si dissoluatur) tacite fit addita conventionione, aut quasi conditione, Quòd si adsit notabilis mutatio, ob quã impletio sponsalium fiat notabiliter onerosior, resilire possit is cui fit talis.

53

Sancius.
Ægidius.

Observandum est, vt optimè Sancius & Ægidius, in omnibus dictis casibus, in quibus diximus dissolui posse sponsalia, id esse verum, quamuis sint iuramento confirmata, ob rationem sæpe repetitam.

DIFFICULTAS XV.

Vtrum causæ, quæ quando superueniunt sponsalibus, sufficiunt ad eorum dissolutionem, etiam sufficiant, quando præcesserunt, & tunc fuerunt ignoratæ.

54

Conueniunt Doctores, causas dictas, quando fuerunt ante sponsalia, & ante ipsa fuerunt cognitæ, non sufficere ad dissolutionem sponsalium, vt patet. Est tamen difficultas, An etiam sufficiant, quando fuerunt ignoratæ.

Paludan.

Sup. Gab.

Paludanus in 4. distinct. 27. quæst. 1. art. 3. partem negatiuam tuetur, quam etiam probabilem censet Supplementum Gabrielis quæst. 2. artic. 3. dub. 9. & deduci videtur ex c. *Quemadmodum*. 25. de Iureiurando, dum absolutè dicitur, ob fornicationem præcedentem non posse dissolui sponsalia.

Sancius.
Henriquez
Basilus.

Sancius verò disp. 63. Henriquez 11. de Matrimonio c. 4. & Basilus l. 12. c. 18. partem affirmatiuam tradunt, quam supponunt communiter Doctores, & merito; quia ob causas præcedentes, aliàs sufficientes, quamuis ignoratas, impletio sponsalium verè est difficilior, quàm apparet quando ignorantur, non minùs ac ob ipsas quando superueniunt: ergo quando præcedunt & ignorantur, suf-

ficiunt ad dissolutionem sponsalium, sicut quando superueniunt.

Est ergo hæc doctrina vera solùm, quando ignorantia aut error causæ aliàs sufficientis fuit causa sponsalium, id est, quando sponsalia non fierent, si quando fiunt, esset notitia dictæ causæ; non verò quando ignorantia, aut error non fuit causa sponsalium, id est, quando etiam fierent sponsalia, quãuis à principio esset notitia dictæ causæ; quia in hoc casu impletio sponsalium non esset difficilior, quàm ea ad quam etiam obligaretur, si esset notitia causæ.

Cap. autem *Quemadmodum*, quod nobis videtur aduersari, dum in eo dicitur, ob fornicationem præcedentem non posse sponsalia dissolui, exponitur communiter & benè, quando etiam præcessit notitia fornicationis.

Observandum est, causam aliàs sufficientem, quando præcessit, & ignorata fuit ignorantia, quæ fuit causa contractus sponsalitijs, ita sufficere ad dissolutionem illius, vt verè fiat validus (quidquid dicat Basilus) quia tunc adest cõsensus simpliciter circa materiam substantialè, nempe circa personam, & etiam adest titulus. Et quamuis cõtractui sponsalitijs ob eius imperfectionem tacite insit conuentionio, & quasi cõditio, quòd non adsit notabilis mutatio; hæc tamen conventionione, aut quasi conditione contractus sponsalitijs non fit verè conditionatus, & eius valor non ita ab illa dependet, vt si causa præcedat, non fiat à principio validus, & semper fuerit nullus; & quando causa non præcedit, valor contractus fit suspensus vsq; ad euentum, aut non euentum causæ, quæ ponitur quasi pro cõditione, vt si eueniat, ex tunc absolutè sit non validus, & dum non euenit, sit suspensus; quia verè non est hoc modo conditionatus, sed verè absolutus; quia quando dicta causa præcedit, quamuis ignoretur, & ignorantia sit causa contractus, fit validè ob rationem dictam, & quando post factum cõtractum euenit, verè valuit absolutè; & verè validus perseverat, vt supponitur in d. c. *Quemadmodum*, dum dicitur, sponsam post sponsalia fornicantem, frangere fidem desponsationis. Aliàs ex sponsalibus factis absque aliqua expressa conditione, vt regulariter fiunt, non oritur impedimētum publicæ honestatis, quia non oritur nisi ex sponsalibus absolutis; ex quibus etiam oritur, quamuis post ipsa facta eueniat causa aliàs sufficiens, si neuter resilierit. Cõditio ergo, aut potius cõuentio, aut quasi cõditio, quæ tacite inest cõtractui sponsalitijs, vt aduertit Sancius disp. 68. num. 11. hæc est, nempe,

Quòd si adsit aliquid notabile, quod ignoratur in principio, ignorantia quæ est causa contractus, & ratione cuius, quando postea apparet, impletio cõtractus apparet notabiliter difficilior, aut quòd si aliquid notabile postea eueniat, ratione cuius impletio ipsius contractus fiat notabiliter difficilior, possit is cui fit, aut cui apparet difficilior, resilire ab sponsalibus. Quod non est strictè cõditio, à cuius existentia dependeat valor, sed potius est modus additus, aut cõuentio addita ipsi cõtractui, eius valorem absolutum supponens. Et hic modus, aut improprie cõditio, est satis cõformis intentioni contrahentium, non tantum intentioni expressæ, qua intendunt obligari, nullam apponendo conditionem, sed etiam intentioni tacitæ: quia quilibet potius vult ita promittere & obligari, vt si eueniat notabilis mutatio, aut præcedat ignorata, ob quam sibi fit,

55

56

57

Sancius.

58

aut

58 aut appareat difficilior impletio, alter etiam sit obligatus, & ipse possit pro sua voluntate efficere quòd fiat aut non fiat contractus; & hac tacita appositione quasi conditionis & conuentionis, fit, quòd ipse liber maneat ad resiliendum ab sponsalibus (quia potest resiliere, cedendo iuri quod accepit, pro iure ab ipso alteri collato, & auferendo quod ipse alteri contulit) & quòd alter maneat obligatus; quia verè non maneret, nisi qui potest resiliere ab sponsalibus, absolute acquireret, & haberet, & retineret ius acceptum. Quod non tollit, aliquando contractum sponsalium eo ipso distrahi, dissolui, & irritari, quamuis neuter resiliat, tunc videlicet, quando eo quod aduenit, fit illicita impletio sponsalium.

DIFFICULTAS XVI.

Vtrum sponsus, conscius causæ sufficientis ad dissolutionem Sponsalium, amittat ius resiliendi, si accedat ad sponsam.

59 **C**onueniunt communiter Doctores, sponsum consciuum causæ sufficientis, amittere ius resiliendi, si accedat ad sponsam. Ita Sancius disputat. 66. & Ægidius disputat. 23. dub. 10. quia eo accessu, utpote facto sub spe matrimonij, satis ostendit se cedere iuri resiliendi, & in priori consensu permanere.

Sancius.
Ægidius.

Quod etiam nos verum existimamus, non solum in foro exteriori, quia in eo absque dubio ita iudicabitur, quia dictus accessus est vehemens indicium remissionis defectus, & cessionis iuris resiliendi, sed etiam in foro interiori conscientia, quando accedit animo implendi sponsalia; non verò quando absque eo accedit, quia absque eo animo accedens non censetur verè remittere; ac proinde quando absque eo animo accessit, poterit resiliere, si alia via, quam ducendo sponsam, possit damno illato satisfacere, si eo accessu aliquod intulit, & liberè. Dicitur autem damnum inferre, quando eo accessu, facto sub spe matrimonij, sponsa redditur minus apta ad nubendum alteri sibi æquali; & dicitur liberè illud inferre, quando sciens se posse resiliere accedit; quia tunc accedit aduertendo id posse nocere sponsa.

Sed an sponsalia, à principio nulla, fiant valida copulâ subsecutâ, dicemus Disputatione III. vbi idem examinabimus de matrimonio à principio nullo.

DIFFICULTAS XVII.

Vtrum laborans occulto defectu, ob quem potest alter resiliere, possit alterum ignarum illius defectus ad Matrimonium contrahendum compellere.

61 **S**upponimus, in quo contra Ochagauiam q. 23. conueniunt Sancius disputat. 68. Ægidius disputat. 23. dub. 12. & Filiucius c. 9. laborantem occulto defectu, sufficiente ad dissolutionem sponsalium, alteri non pernicioso, posse licitè contrahere cum ignaro defectus. Quia si id esset illicitum & peccatum, maximè contra iustitiam: contra hanc autem

Sancius.
Ægidius.
Filiucius.

non est; quia quæcumque alia inæqualitas, præter corporum habilitatem ad commixtionem carnalem, qua consummatur & perficitur matrimonium, & quicumque alius defectus, qui non est defectus ad commixtionem carnalem, non attinet ad iniustitiam; quæ in hoc contractu committi potest; quia in eo nihil aliud traditur, quam corpus habile ad commixtionem carnalem pro altero simili corpore, absque eo quòd necessarium sit esse habile ad alia, & ad id tantum exigitur societas coniugalitatis, quamuis utilis sit ad alia, ut ad mutua obsequia, quæ fieri debent quando fieri possunt. Et ob hanc rationem id etiam est verum, quamuis defectus, quo laborat, sit alteri grauiter perniciosus, ut morbus Gallicus, & grauis lepra, ut contra Ochagauiam & Ægidium supponunt Sancius & Filiucius, dum absolute & absque distinctione aliqua defectus, supponunt id esse licitum; imò Sancius, dum id supponit, exemplificat in morbo Gallico.

62

Sancius.
Filiucius.

Laborans ergo quocumque defectu, potest licitè contrahere cum ignaro defectus, dum eum non decipiat positivè, simulans seu fingens oppositam; poterit tamen dissimulare, seu tegere defectum, quia non tenetur eum manifestare: ac proinde corrupta, concedens vsuram sui corporis non solum iam coniugi, sed etiam non coniugi promittenti sibi nuptias, potest licitè defectum corruptionis artificioso aliquo occultare, ut aduertit Ægidius num. 49. quia tunc non tam fingit se esse virginem, quam tegit & dissimulat corruptionem. Imò si interrogata, an sit corrupta, neget, mentaliter restringendo seu subintelligendo, in communi existimatione, aut ad dicendum tibi, non peccat, quia non tenetur ad interrogationem tam duram vniuocè respondere: imò si interrogata an sit virgo, affirmatiuè respondeat, mentaliter subintelligendo, in communi existimatione, non peccabit saltem mortaliter, ob eandem rationem.

Ægidius.

Est tamen difficultas, An laborans occulto defectu, sufficiente ad sponsalium dissolutionem, quando licitè potest cum ignaro defectus matrimonium contrahere, possit ad id cogere ignarum, siue per iudicem, siue priuatim exigendo tamquam debitum.

63

Circa quam Sancius, Ægidius, Filiucius, Ochagauia, & communiter Doctores existimant, posse cogere; & meritò: quia quamuis ignarus defectus habeat ius dissoluendi sponsalia ex parte sui, tamen ea non dissoluit ex eo, quòd nolit contrahere cum eo qui laborat defectu; quia quamuis eo ipso quòd non vult contrahere, dissoluat sponsalia ex parte alterius, quia eo ipso cedit iuri suo, & obligationi alterius; non tamen aufert sibi obligationem, qua obligatus est laboranti defectu, ac proinde laborans defectu potest alterum ignarum defectus cogere seu compellere, ut secum contrahat matrimonium, ut satisfaciat obligationi, quam adhuc retinet contrahendi. Secus est de adultero adhuc occulto, quia iste adulterio amittit ius proximum petendi ab altero debitum tamquam debitum; ac proinde non potest illud petere ab altero coniuge innocente, ignaro adulterij.

DIFFICULTAS XVIII.

Vtrum ad dissoluenda Sponsalia sit necessaria Iudicis auctoritas.

64 **C**onueniunt communiter Doctores, quando est moralis certitudo seu probabilitas, quod est causa ad dissolutionem sponsalium, & quod sit ad eam sufficiens, non esse necessariam Iudicis auctoritatem, id est, sententiam ad eorum dissolutionem, sed posse propria auctoritate dissolui. Ita Sancius disp. 56. Valentia disp. 10. q. 2. puncto 5. Aegidius disp. 23. & Rebellus l. 4. q. 8. sect. 9. & merito: quia ex vna parte nullo Iure positio disponitur expectandam esse sententiam Iudicis ad id, & ex altera dissoluens sponsalia utitur iure suo resiliendi ab sponsalibus, absque perturbatione Reipublicæ.

Sancius.
Valentia.
Aegidius.
Rebellus.

65 Addunt tamen prædicti, aliquando necessariam esse sententiam & auctoritatem Iudicis, quando scilicet absque ea ex dissolutione priuata sponsalium oriatur scandalum, id est, quando ea inducatur aliquis etiam ad dissoluenda sponsalia absque causa sufficiente.

Vnde quando sponsalia sunt secreta, quamuis causa sufficiens sit secreta, non erit necessaria Iudicis auctoritas, quia tunc nullum potest oriri scandalum ex dissolutione sponsalium, facta propria auctoritate: neque erit necessaria, quando causa dissolutionis, & eius sufficientia sit publica, quamuis sponsalia publica sint; quia etiam tunc nullum potest prudenter timeri scandalum. Poterit tamen esse necessaria, quando sponsalia sunt publica, & causa secreta; quia tunc ex dissolutione facta propria auctoritate, poterit oriri dictum scandalum, cum videatur sponsalia dissolui, & non videatur causa. Erit autem tunc necessaria, quando prudenter timeatur, aliquem ad id esse scandalizandum, seu inducendum: euitabitur tamen scandalum, & consequenter necessitas Iudicis, si pars defectu occulto laborans, comminatione publicationis sui defectus admonita ut desistat, non desistit, ita publicando defectum, ut verisimile fiat resilientem habere causam sufficientem.

66 Addidimus, quando est moraliter certum, seu probabile, esse causam, & esse sufficientem; quia in dubio puro nequeunt sponsalia dissolui propria auctoritate, imò nec auctoritate Iudicis, si post iuridicam & sufficientem discussionem maneat purum dubium existentia causa, & eius sufficientia; aliàs fieret contra ius partis, aliàs certum, ortum ex sponsalibus certis.

DIFFICULTAS XIX.

Qualis probatio requiratur, ut Iudex dissoluat Sponsalia.

67 **C**onueniunt Doctores, ut Iudex dissoluat sponsalia ob impedimentum aliquod matrimonij, quamuis tantum impediens, sufficere vnum testem, ut significatur in c. *Super eo*. 22. de Testibus, & in c. *Præterea*. 12. de Sponsalibus: quia tunc agitur de vitando peccato, quod sponsi impediti committerent, si contraherent, quod debet esse maximè favorabile. Requiritur tamen quod sit iuratus, ut aduertunt Sancius l. 1. disp. 71. & Aegidius disp. 23. nu. 78. quia tunc ita agitur de vitando peccato, ut etiam agatur de præiudicio tertij, cum quo nullus

Sancius.
Aegidius.

creditor absque iuramento: & requiritur quod deponat se id scire certò, & non sufficit quod deponat se audiuisse, nisi ad probandam consanguinitatem, quia tunc sufficit quod deponat se id audiuisse à duobus suis maioribus fide dignis, & quod distinguat clarè gradus consanguinitatis, ut docent Sancius & Aegidius, & deducitur ex cap. *Licet ex quadam*. 47. de Testibus; sed non requiritur quod nomen testis publicetur, ut supponitur in dicto cap. *Præterea*, nisi quando sponsalia sunt iurata, ob fortiorem obligationem sponsalium iuratorum.

Sufficit autem vnus testis iuratus ad dissoluenda sponsalia, quamuis sint iurata, ut contra Paludanum in 4. dist. 27. q. 1. ar. 3. & contra Gregorium Lopez l. 18. tit. 9. p. 4. docent Sancius vbi supra, & Couarruias 4. Decret. 2. p. c. 6. §. 10 quia in d. c. *Super eo*. absolute significatur sufficere vnum testem ad dissoluenda sponsalia, nulla facta mentione iuramenti, nec posita limitatione ad sponsalia non iurata. Quod si in d. c. *Præterea*. significatur sufficere vnum testem ad dissoluenda sponsalia, nisi sint iurata, hoc additur, quia ibi est sermo de teste, cuius nomen non fuit publicatum ob timorè, qui absque publicatione non sufficit, quando sponsalia sunt iurata.

Addimus (in quo conueniunt Doctores) quod sicut ad dissoluenda sponsalia sufficit vnus testis, etiam sufficit fama impediendi, ut exprimitur in c. *Super eo*. 2. de Consanguin. quod est verum, etiam si sponsalia sint iurata, ut contra Paludanum aduertunt Sancius, Couarruias, & communiter Doctores, quia in hoc c. *Super eo*. absolute & absque limitatione ad sponsalia non iurata supponitur sufficere: in cap. verò *Cum in tua*. 27. de Sponsalib. ultra famam non requiritur testis, sed ultra testem requiritur fama. Requiritur autem ultra testem fama; quia testis ille non fuit testificatus, seu non deposuit, sed tantum denuntiavit seu detulit impedimentum: sufficit autem fama, nisi clarior fama aut alij testes admittendi iudicio Ordinarij oppositum probent, ut deducitur ex hoc cap. *Cum in tua*. Sed quamuis ad dissoluenda sponsalia sufficiat fama, quæ est acclamatio seu opinio maioris partis vicinæ aut communitatis, in qua ad minus habitant decem, sed non sufficit rumor, qui est opinio minoris partis.

Et quamuis ad dissoluenda sponsalia ob impedimentum sufficiat vnus testis iuratus, ad dissoluendum tamen matrimonium contractum, seu potius ad declarandum, fuisse nullum, requisiti sunt ad minus duo testes omni exceptione maiores, ut dicitur in dicto c. *Licet ex quadam*, & in c. 1. de Consangu. quia quamuis etiam tunc agatur de vitando peccato, est tamen res grauissima, & magni præiudicij. Quando tamen agitur de dissolueno matrimonio ob impedimentum consanguinitatis, sufficiunt parentes & consanguinei ad testificandum, ut dicitur in cap. *Videtur*. 3. Qui matrimonium. & deduci potest ex cap. *Super eo*. de Testibus.

Superest tamen difficultas, An ad dissoluenda sponsalia, ob defectum aliquem ex sufficientibus ad eorum dissolutionem, qui non sit impedimentum (ut ob fornicationem) sufficiat vnus testis iuratus.

Paludanus vbi supra partem affirmatiuam tueritur, quæ deduci videtur ex dicto cap. *Super eo*. de Testibus, & ex dicto c. *Præterea*. de Sponsalibus, vbi ad impediendum matrimonium dicitur vnus sufficere. Sancius verò & Aegidius disp. 23. n. 81. partem negatiuam tradunt, & merito: quia tunc non

68

Sancius.
Couarruias.

Sancius.
Couarruias.

69

70
Paludanus

Sancius.
Aegidius.

non

non agitur de vitando peccato, sed tantum de præiudicio tertij; ac proinde ad minus fuerit requisiti duo omni exceptione maiores, sicut generaliter in omnibus aliis causis: quia quod sufficiat vnus, est

speciale priuilegium in dicto cap. *Super eo*. de Testibus, & in dicto cap. *Præterea*. de Sponsalibus, concessum oppositioni impedimenti, quia tunc agitur de vitando peccato.

DISPUTATIO III.

De natura & essentia Matrimonij.

DIFFICULTAS I.

Quid sit Matrimonium.

MATRIMONIUM dicitur à munere matris in spe; quia mulier ideo contrahit matrimonium, vt mater filiorum efficiatur: & non dicitur patrimonium à munere patris in spe; tum quia in filiorum generatione mater est certior quam pater, tum etiam quia mater maiorem operam ponit in filiorum generatione & educatione. Matrimonium ergo dupliciter sumitur: vno modo, pro ipso contractu; & sic sumitur, quando matrimonium dicitur esse vnum ex septem Sacramentis: altero modo sumitur pro vinculo orto ex ipso contractu, & post contractum perseverante; & sic sumitur ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, habito in Concilio Florentino post vltimam sessionem, dum ait, consensum mutuum expressum esse causam efficientem matrimonij.

Hoc ergo supposito, matrimonium communi Doctorum consensu, & approbatione Alexandri III. in cap. *Illud quoque*. c. 1. de Præsumptionibus, definitur quod sit *viri & mulieris maritalis coniunctio inter legitimas personas, indiuiduam vitam consuetudinem retinens.*

Pro huius autem definitionis declaratione supponendum est, in matrimonio septem reperiri. Primò reperitur mutuus consensus de præsentibus, circa mutuum corporum traditionem. Secundò reperiantur verba, vel alia signa, quibus contrahentes paciscuntur de dicta mutua corporum traditione, & exprimunt dictum mutuum consensum circa illam. Tertio reperitur mutuum dominium corporum traditum, seu translatum, quod est effectus primarius, & simul obiectum ipsius contractus coalescentis ex mutuo illo consensu, & ex exteriori expressione illius. Quarto reperitur mutua radicalis obligatio in his, quæ pertinent ad prolis generationem, quæ coniuges obstringuntur seu obligantur (quæ dicitur *vinculum*) ex aduerso correspondens dicto mutuo dominio; quia dominio in vno correspondet obligatio in altero, & econtrâ. Quintò reperitur aliud mutuum ius proximum in corpore alterius ortum ex dicto mutuo dominio, sicut in materiis aliorum contractuum. Sextò reperitur mutua proxima obligatio in his quæ pertinent ad prolis generationem, ex aduerso correspondens dicto mutuo iuri proximo, de quibus amplius dicemus Disputatione VII. Difficultate VII. Est autem tam dominium, & ius proximum, quam obligatio radicalis & proxima, quid extrinsecum, siue reale siue rationis, vt pote proueniens ex signis, quorum ratio

formalis etiam est sita in extrinsecò siue reali siue rationis. Tandem septimò reperitur vsus seu copula coniugalis.

In dicta ergo definitione matrimonij pro genere ponitur *coniunctio*, & pro differentia ponitur *maritalis* (id est ordinata ad prolis generationem) per quas dicta mutua radicalis obligatio, seu vinculum coniugum explicatur, & sufficienter, vt constat. Vnde reliquæ particule ponuntur ad maiorem declarationem. Dicitur enim, *inter legitimas personas*, quia dicta obligatio tantum contrahitur inter personas habiles secundum leges: additur verò, *indiuiduam vitam consuetudinem retinens*, vt indissolubilitas dicti vinculi, seu dictæ mutue obligationis significetur.

Ex dictis constat, dicta definitione matrimonij, sumptum pro contractu, definiti non essentialiter, sed descriptiue; quia per illam explicatur mutua radicalis obligatio, quæ non est essentia contractus, sed eius primarius effectus, & quasi passio ab ipso inseparabilis: & matrimonium sumptum pro vinculo, essentialiter definiti; sicut hac definitione, *animal aptum ad ridendum*, homo descriptiue, & *risibile* essentialiter definiuntur.

DIFFICULTAS II.

Quis consensus, seu quæ intentio requiratur ad essentiam & valorem contractus Matrimonij.

Conueniunt Doctores, ad essentiã & valorem contractus matrimonij aliquem consensum requiri, quia ex consensu & ex pactione exteriori, expressiua consensus, coalescit essentia huius contractus, sicut cuiuscumq; alterius; & non sufficere consensum vnus, sed requiri consensum vtriusq; contrahentis, vt definitum est ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & definitum fuerat in cap. *Tua*. c. 26. de Sponsalibus. Et meritò, quia contractus matrimonij est mutuus.

Et non sufficit, quod consensus iste sit quædam simplex voluntas, sed requiritur quod sit efficax intentio, vt significatur in dicto cap. *Tua*, quia per contractum matrimonij traditur dominium corporum, quod tradi nequit absque consensu efficaci. Et non sufficit, quod procedat ex quacumque deliberatione (ex qua procedere debet, vt sit translatus dominij, & inductiuus obligationis) sed requiritur, quod procedat ex plena, ad peccatù mortale sufficiente, quia contractus matrimonij est magni momenti, vt pote translatus dominij corporis in alteram personam ad commixtionem carnalem, & inductiuus grauis obligationis in ipso transferente dominium. Et non sufficit consensus,

6 seu intentio efficax traditionis dominij corporis tantum, in aliquo effectu perseverans virtualiter; sed requiritur actualis, & procedens ex actuali deliberatione dictæ traditionis: aliàs consensus non erit in se ipso humanus & liber, & ex ipso non posset oriri translatio humana dominij, & obligatio moralis, vt diximus Disp. 1. Difficultate 1x.

Vnde amentes, ebrii, dormientes, & pueri qui nondum ad perfectum usum rationis peruenerunt, non possunt validè contractum matrimonij celebrare, ex defectu plenæ deliberationis, quam dicimus requiri.

DIFFICULTAS III.

Vtrum consensus, ad essentiam & valorem contractus Matrimonij requisitus, debeat ferri in mutuam corporum traditionem.

7 **C**onueniunt Doctores, ad essentiam & valorem contractus matrimonij requiri, consensum seu intentionem ferri in mutuam translationem dominij corporum, in ordine ad commixtionem carnalem, non minùs quàm pactionem ipsam exteriorem expressiuam consensus; quia dicta mutua translatio est ipse primarius effectus, & per se resultans ex contractu ipso matrimonij, & ad quem primariò ordinatur: contractus autem matrimonij, sicut quicumque alius, essentialiter componitur ex consensu voluntatis, & ex pactione exteriori; ergo non minùs consensus ipse, quàm pactio exterior, ferri debet in mutuam translationem dominij corporum ad commixtionem carnalem, quamuis necessarium non sit in eam translationem expressè ferri, sed sufficit confusè tendendo, videlicet in id quod sit contractus matrimonij, & ex ipso resultat, confusè apprehensum, & non expressum adhuc pactione ipsa exteriori.

8 Vnde qui à natiuitate simul est surdus & mutus, si sit videns, & perspicacis ingenij, poterit validè contrahere matrimonium; quia signis, visu perceptis, poterit percipere, contractum matrimonij, quem videt aliquando celebrari, aliquid fieri ordinatum ad commixtionem carnalem; ac proinde in id consentire, & de eo signis pacisci: fecus verò si etiam sit cæcus, vt contra plures docet Sancius lib. 1. disp. 8. quia defectu auditus & visus nequit adhuc confusè percipere contractum matrimonij, & eius primarium effectum.

DIFFICULTAS IV.

Vtrum consensus, ad valorem contractus Matrimonij requisitus, debeat ferri in tria bona Matrimonij.

9 **S**upponimus, tria esse bona matrimonij, nempe perpetuitatem, prolem, & fidelitatem.

Hoc ergo supposito, conueniunt Doctores, ad contractum matrimonij essentialiter requiri, quòd consensus seu intentio feratur, saltem implicite seu confusè, in perpetuitatem traditionis corporum; quia tantum traditio perpetua est effectus ipsius contractus, & non temporaria; quia hæc (vtpote nociua proli, ad quam contractus ma-

rimonij suâ naturâ ordinatur) nequit fieri ab hominibus validè, fertur autem implicite in perpetuitatem, eo ipso quòd contrahentes efficere intendunt quòd ipso contractu fieri potest, aut quòd solet ab alijs fieri.

Secundò conueniunt, ad naturam & valorem huius contractus non esse necessarium, quòd consensus seu intentio feratur in alia duo bona, nempe in generandam prolem, & in seruandam fidem, quia hæc duo non fiunt per ipsum consensum; & necessarium non est, quòd consensus feratur in id quod non fit per ipsum; quia ipse, & pactio exterior, ex quibus contractus iste coalescit, tantum requiruntur vt medijs eis aliquid fiat.

Est tamen difficultas, An intentio contraria proli, vt intentio eam vitandi, & contraria fidelitati, vt intentio non reddendi debitum, & adulterandi, obstet naturæ & valori huius contractus.

Angelus v. *Matrimonium*, 2. nu. 23. Henriquez 11. de Matrimonio cap. 12. & Petrus Soto existimant, intentionem contrariam proli & fidelitati obstare valori huius contractus, ita vt si contrahatur animo impediendi generationem prolis, aut non seruandi fidem, non fiat validè; quia dicta duo, nempe generatio prolis, & seruare fidem, pertinent ad substantiam huius contractus; ergo intentio ipsis aut cuiuslibet ipsorum contraria impedit valorem illius.

Sancius lib. 2. disputat. 24. Ægidius disputat. 24. Ochagavia dub. 4. & Filliucius existimant, intentionem contrariam proli & fidelitati non nocere valori contractus matrimonij, & meritò; quia valori huius contractus non nocet, nisi intentio impossibilis cum intentione necessaria ad valorem illius: neutra autem intentio ex dictis est impossibilis cum intentione necessaria, quia ad valorem non est necessaria alia intentio, quàm efficiendi id quod contractu ipso valido immediate efficitur; eo autem immediate & primariò tantum efficitur mutua corporum traditio in ordine ad commixtionem carnalem, & mutua obligatio ipsi traditioni ex aduerso correspondens in altero; & quidquid aliud contractu ipso efficitur, est resultans ex ipsa traditione & obligatione, absque nouo aliquo consensu superaddito. Intentioni autem tradendi mutuo corpora ad usum coniugalem, & ad hunc mutuo se obligandi, non est contraria intentio vitandi prolem, neque intentio non seruandi fidelitatem; sicut ipsum vitare prolem, & seruare fidelitatem, quæ sunt obiecta dictarum intentionum, non sunt incòpabilia cum dicta mutua traditione & obligatione, quæ sunt obiecta intentionis necessariae ad valorem contractus matrimonij; quia quamuis vitare prolem, & non seruare fidem, sint violatio iuris traditi, & obligationis contractæ ex contractu matrimonij, & in hoc sensu sint contra illa; non tamen sunt impossibilia cum eis. Ex quo constat, Antecedens rationis aduersariorum esse falsum.

Sed an intentio se obligandi ad vitandam prolem, & ad non seruandam fidem, & deductio eorum in pactum, obstet valori matrimonij, examinabimus Disputatione VII.

10
Angelus.
Henriquez
Petrus Sot.

Sancius.
Ægidius.
Ochagavia.
Filliucius.

11

DIFFICULTAS V.

Vtrum consensus, ad valorem contractus Matrimonij requisitus, debeat ferri in copulam.

12 **C**onueniunt Doctores contra Michaëlem Medinam, non requiri, consentum seu intentionem contrahentium expressè ferri in copulam; quia ad valorem huius contractus sufficit, quòd consensus expressè feratur in id quod per ipsum fit (imò in id tantum quod per ipsum immediatè fit; quia quodcumque aliud necessario resultat ex effectu immediato, absque superaddito consensu;) copula autem non fit per contractum matrimonij.

Est ergo difficultas, An consensus debeat ferri implicite seu tacite in illam, quia alij affirmant, & alij negant.

13 **C**irca hanc difficultatem, quæ potius est nominis quàm rei, negari non potest, dictum consensum debere aliquo modo ferri in copulam; quia ferri debet directè in mutuam corporum traditionem in ordine ad copulam, & in mutuam obligationem radicalem ad eandem copulam, ac proinde aliquo modo debet ferri in copulam. Nihilominus quia copula non est effectus dictæ traditionis & dictæ obligationis, in quas consensus debet directè ferri, sed tantum est purum obiectum, aut extremum quod respiciunt; idèd, quamvis consensus debeat ferri directè in dictam dominij corporum traditionem, & in dictam obligationem, non fit quòd debeat ferri implicite in copulam, sed tantum connotatiuè, indirectè, & in obliquo: quia id quod non est effectus, sed tantum purum obiectum, aut purum extremum, non implicatur & continetur in eo cuius est obiectum & extremum.

14 **E**x quo fit, intentionem contrariam copula, id est, non vtendi matrimonio, non nocere valori contractus matrimonij, vt docent communiter Doctores; quia dicta intentio non est impossibilis cum intentione tradendi dominium corporis ad dictum vsum, & se obligandi ad illum; quæ sufficit ad valorem contractus matrimonij: quia dicta traditio & obligatio est sufficiens materia substantialis contractus matrimonij, & effectus immediatus illius, ex quo semel posito, necessario oriuntur reliqui effectus, si alij sunt.

DIFFICULTAS VI.

Vtrum contractus Matrimonij possit fieri absque consensu contrahentium.

Conueniunt Doctores, contractum matrimonij nulla potentia, adhuc Dei, fieri posse absque mutuo contrahentium consensu; quia contractus iste, sicut quilibet alius, essentialiter coalescit ex dicto consensu, & ex pactione exteriori, sicut homo ex anima rationali & ex corpore.

Est tamen difficultas, An status ipse matrimonialis, qui transacto contractu permanet, possit fieri absque consensu contrahentium.

15 **E**t Primò est difficultas, An possit fieri à Republica humana. Ratio difficultatis pro parte affirma-

tiua, desumitur ex cap. *Is qui fidem*. 3. de Sponsalibus, vbi decernitur, sponsalia transire in matrimonium per copulam subsecutam; & ex cap. *finalde Conditionibus* apposit. vbi decernitur, matrimonium sub conditione impossibili contractum, esse validum; & tamen in his duobus casibus sæpè deficit consensus contrahendi: ergo Respublica saltem Ecclesiastica potest absque coniugum consensu eos matrimonialiter coniungere.

Nihilominus conueniunt Doctores, statum matrimoniale non posse absque consensu contrahentium fieri à Republica adhuc Ecclesiastica. Ita Sancius disput. 27. & Ægidius disp. 24. dub. 5. & meritò: quia Respublica tantum habet potestatem supra res & corpora ciuium, quatenus publico bono expedit; bono autem publico non expedit, vt vir & femina contra eorum voluntatem matrimonialiter coniungantur; quia matrimonia ita facta sæpè haberent infelices exitus. Et sanè in Republica humana nondum agnita est dicta potestas, sed tantum ad compellendum ad contrahendum voluntariè, quando est causa iusta ad id.

In dictis autem capitibus pro parte affirmatiua adductis, non decernitur, matrimonia illa esse valida, adhuc deficiente coniugum consensu, sed tantum dicitur, habenda esse vt valida; quia in eis casibus Ecclesia præsumit contrahentes matrimonialiter consensisse, & id ita vehementer præsumit, vt nullam admittat probationem in contrarium.

Secundò est difficultas, An possit fieri à Deo. Conueniunt Doctores, Deum posse feminæ tradere dominium corporis viri ad commixtionem carnalem, & econtra viro dominium corporis feminæ ad eandem, absque eorum consensu: quia Deus est omnium, etiam corporum, verus dominus, non minus quàm ipsi contrahentes, imò est supremus & independens: ergo independenter ab eorum consensu potest dictum mutuum dominium tradere, quod ipsi possunt.

Est tamen difficultas, An etiam independenter à contrahentium consensu possit à Deo fieri vinculum ipsum matrimonij.

Sancius lib. 2. disputat. 26. Filliucius cap. 3. & Ochaguaui Tract. 2. quæst. 8. partem negatiuam tuentur, Primò, quia consensus coniugum est de essentia status & vinculi matrimonialis. Secundò, quia vinculum matrimonij est mutuum animorum vinculum; ergo nequit fieri absque mutuo animorum consensu. Tertio, quia vinculum matrimonij est relatio quædam, confurgens ex mutuo coniugum consensu, tamquam ex fundamento; ergo nequit absque illo fieri à Deo, sicut neque paternitas in aliquo absque generatione ab eo proueniente. Quartò, quia status Religiosus nequit à Deo in aliquo fieri absque eius consensu libero, ergo neque status matrimonialis.

Valentia verò disp. 10. quæst. 3. punct. 1. Henriquez 11. de Matrimonio c. 1. & Ægidius disp. 24. dub. 5. partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia vinculum matrimonij, vt diximus Difficul. 1. nihil aliud est, quàm mutua radicalis obligatio, ex aduerso correspondens mutuo dominio corporum, qua coniuges manent mutuo colligati seu obligati in ordine ad commixtionem carnalem. Deus autem, vt iam diximus, & admittunt aduersarij, vtpote omnium, etiam corporum dominus supremus & independens, potest independenter

Sancius.
Ægidius.

16

17
Sancius.
Filliucius.
Ochaguaui.

Valentia.
Henriquez.
Ægidius.

à coniugum consensu tradere & transferre mutuum dominium corporum eorum; ergo etiam vinculum ex aduerso correspondens dicto mutuo domino translati; quia eo ipso, quod vni traditur dominium corporis alterius, huic alteri necessario concomitanter inest obligatio respectu illius cui traditum est dominium.

18 Ex quo deducimus, statum matrimoniale relictum, & permanentem transacto contractu matrimonij, non consistere in solo vinculo, sed coalescere ex vinculo ipso (consistente in dicta mutua obligatione) & ex dicto mutuo dominio.

Ad primam ergo rationem aduersariorum negamus, consentum esse de essentia status & vinculi matrimonialis, sed tantum esse causam efficientem illius, quauis sit de essentia contractus matrimonij.

Ad secundam respondemus, vinculum matrimonij dici vinculum animi, non quia essentialiter consistat in animorum vnione (alias vinculum non perseveraret inter coniuges animo dissidentes) aut quia necessario & essentialiter dependeat ab animorum consensu; sed quia solet esse occasio mutui amoris.

Ad tertiam concedimus, vinculum matrimonij esse relationem (quamuis non intrinsecam, sed extrinsecam) consurgentem proximè ex mutuo coniugum consensu; posse tamen consurgere, & non minus, ex sola voluntate & consensu Dei; qui etiam est dominus corporum contrahentium omnino independens ab ipsis.

19 Ad quartam concedimus, Deum non posse se solo absque consensu Religiosi in eo efficere Religiosum statum (vt modo est) consistentem in obligatione fidelitatis Religiosæ seu sacræ, ortæ ex voto; quia ex solo voto oriri potest, & votum nequit fieri absque consensu vouentis: potest tamen se solo efficere statum matrimoniale, absque coniugum consensu; quia status iste consistit in obligatione iustitiæ ad commixtionem carnalem, & in dominio cui correspondet ea obligatio, quæ oriuntur ex consensu dominorum corporum, & quia Deus etiam est dominus corporum coniugum meliùs quam ipsi, & ab ipsis independens, ideo ipse solus absque eorum consensu, seu independenter ab eo, potest dictum dominium tradere, & dictam obligationem inducere.

20 Addunt nonnulli ex his qui nobiscum sentiunt, Deum de facto primos parentes matrimonialiter coniunxisse absque eorum consensu, iuxta illud Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Id tamen credendum non est, vt aduertunt Sancius & Egidius, quia non expediebat, matrimonium primorum parentum, quod erat initium, & futurum erat norma aliorum quæ fiunt ex consensu coniugum, fieri absque illorum consensu: illud autem Matth. 19. generaliter de omni matrimonio dicitur; vt deducitur ex contextu; non quia Deus se solo efficiat vinculum matrimonij, sed quia Deus excitauit ad celebranda matrimonia, & eorum celebrationem approbauit & approbat.

DIFFICULTAS VII.

Vtrum qui falso existimat se esse imabilem ad contractum Matrimonij, possit habere consensum sufficientem ad valorem illius.

21 **S**upponimus (in quo nequit esse controuersia) eum, quia ita falso existimat sibi esse aliquod

impedimentum dirimens, ac proinde se esse inhabilem, vt habeat formidinem oppositæ partis, posse habere consentum sufficientem ad valorem contractus matrimonij; quia tunc potest habere consentum seu intentionem efficacem tradendi dominium sui corporis, & se obligandi sub conditione, *si sit habilis, & possit*; quia tunc concipit, fortasse se esse habilem, & posse; hæc autem intentio sufficiens est ad contractum matrimonij, quia est efficax, & sub conditione de præsentī vera & subsistente.

Difficultas tamen est, An is, qui firmiter absque formidine seu hesitatione credit se esse inhabilem ad matrimonium, possit habere consentum sufficientem ad valorem illius.

Sancius l. 2. disp. 33. & Couarruias 4. Decret. p. 2. c. 3. §. 7. partem affirmatiuam tuerentur; quia ille talis potest habere intentionem seu consentum efficacem sub conditione, *si forte possit*, quæ sufficiens est; sicut etiam hæreticus, qui absque formidine existimat Baptismum non esse Sacramentum, potest valide baptizare; quia potest baptizare sub conditione, *si forte sit Sacramentum*.

Nauarrus verò c. 22. nu. 96. & Egidius disp. 24. partem negatiuam tradunt, & merito: quia nemo potest serio & efficaciter intendere id, quod absque formidine aliqua credit esse impossibile: & non solum non potest absolute, sed neque sub conditione, *si forte possit*; quia non concipit forte posse, aliam formidaret; ergo eius animus nequit in id serio & efficaciter ferri, adhuc sub dicta illa conditione.

Hæreticus verò, quamuis omnino & absque formidine existimet Baptismum non esse Sacramentum, potest valide baptizare, non quia possit sub dicta conditione, quia verè non potest; sed quia stante iudicio illo firmo, intendere potest efficere quod Christus instituit, aut quod Ecclesia facit, quidquid illud sit; quod sufficit ad valorem Baptismi, quia eo ipso confuse intendit efficere Sacramentum, quia in eo obiecto, nempe quod Christus instituit, aut quod Ecclesia facit, confuse, continetur efficere Sacramentum: qui verò omnino absque formidine credit se non posse accipere Mariam, v. g. in vxorem, non potest his verbis, *Accipio te in meam*, intendere eam in vxorem accipere, non solum expresse, sed neque confuse; quia nequit intendere aliud obiectum in quo istud continetur confuse.

DIFFICULTAS VIII.

Vtrum ad valorem contractus Matrimonij requiratur, quod consensus actualis vtriusque sit simul tempore.

Conueniunt Doctores contra Panormitanum & Antonium de Butrio, ad valorem contractus matrimonij non requiri, quod consensus actualis vtriusque contrahentis sit simul quasi continuè, vnus statim post alterum; quia parua distantia inter vtrumque non nocet simultati morali, quæ sufficit ad valorem huius contractus, qui est quoddam vnum morale.

Est tamen difficultas, An ad valorem huius contractus necessarium sit, quod non sit magna distantia inter vtrumque consentum.

Sotus in 4. dist. 27. q. 1. a. 3. Sancius l. 2. disp. 32. Couarruias 4. Decret. 2. p. c. 4. Henriquez 11. de Matrimonio, c. 3. Basilius lib. 2. c. 16. & Bartholomæus Ledesma de Matrimonio, dub. 17. docent, requiri

Sancius.
Egidius.

22
Sancius.
Couarruias.

Nauarrus.
Egidius.

23

24

Sotus.
Sancius.
Couarruias.
Henriquez.
Basilius.
Barth Led.

requiri quòd non sit magna distantia inter consensum actualem vnus, & consensum actualem alterius, quia post magnam distantiam non remanet nec durat moraliter consensus prior; ac proinde ex priori consensu multum distante à posteriori, & ex posteriori, non potest actu fieri contractus matrimonij, qui ex consensu vtriusque essentialiter coalescit. Discrepant tamen isti Doctores in taxanda distantia, quæ valori huius contractus obstat: quia Sotus existimat, distantiam septennij obstarè; Henriquez distantiam biennij, Ledesma distantiam vnus anni, Sancius verò taxationem distantie obstantis remittit arbitrio prudentis, attentis peculiaribus circumstantiis. Qui omnes supponunt, distantiam minorem ea quæ ab ipsis assignatur, non obstarè valori matrimonij.

Sotus.
Henriquez.
Ledesma.
Sancius.

25
Maior.
Nauarrus.
Ægidius.

Maior verò in 4. dist. 27. q. 1. Nauarrus cap. 22. n. 80. & Ægidius disp. 24. dub. 7. docent, nullam temporis distantiam inter consensum actualem vnus, & inter consensum actualem alterius, quauis maximam, obstarè valori contractus matrimonij, dum prior consensus permaneat saltem habitualiter, & meritò: quia consensus, quamuis solum habitualiter permanens, sufficit ad effectum contractus matrimonij, nempe ad traditionem dominij corporis ad vsum coniugalem, & ad inductionem obligationis ad illum; ergo sufficit ad perficiendum contractum ex quo oritur dictus effectus. Consequentia patet. Antecedens autem probatur, nempe quòd consensus tantum habitualiter permanens sufficiat ad dictum effectum, quia effectus iste tantum consistit in extrinseca relatione, siue reali siue rationis; hæc autem sufficienter potest consurgere ex consensu multò antea emissò, postea posito consensu alterius, sicut etiam ad applicandum valorem Sacrificij pro aliquo, sufficit intentio seu consensus multò antea præcedens, habitualiter tantum perseverans, vt diximus Tractatu de Sacramento in communi. Quamuis, vt in eo Tractatu diximus, ad efficiendum ipsum Sacrificium, & ad efficiendum quodcumque Sacramentum, sit necessaria intentio perseverans saltem virtualiter in aliquo effectum, deriuato ex ea intentione, media electione perseverante, procedente ex ipsa intentione. Ratio autem disparitatis inter intentionem effectus Sacrificij & Sacramenti ex vna parte, & inter intentionem applicationis Sacrificij, & consensum seu intentionem matrimonialem ex altera, est, quia intentiones efficiendi Sacrificium, & efficiendi Sacramentum, sunt factiue operationu realium: v. g. intentio efficiendi Sacrificium, est intentio proferendi verba consecrationis, & intentio efficiendi Sacramentum, est intentio proferendi verba, & sæpè etiam efficiendi alteram actionem physicam, vt abluendi, aut vngendi: dictæ autem operationes reales nequeunt fieri ex intentione, nisi physicè existente, aut in se, aut in aliquo effectum deriuato ex illa modo supra dicto: intentio verò applicandi valorem Sacrificij non est factiua alicuius actionis realis, quæ debeat ex ipsa intentione procedere, sed tantum est applicatiua valoris, quod sit sufficienter ex eo solum, quòd celebrans velit fructum sui Sacrificij (tunc aut postea ex alia intentione efficiendi) prodesse alicui: ad quod sufficit, quod præcesserit, & non sit reuocata. Intentio etiam seu consensus matrimonialis, non est factiua alicuius actionis realis, quæ debeat ex ipsa intentione procedere, sed tantum est traditiua dominij corporis ad vsum coniugalem,

& inductiua obligationis corporis ad illam, quæ consistunt in extrinseca relatione, seu respectu: ad quod, vt diximus, sufficit ipsa intentio tradendi dominium corporis ad vsum coniugalem, & ad eum se obligandi, quamuis præterita sit, & non maneat nisi habitualiter.

Sed quamuis ad contractum matrimonij sufficiat consensus præcedens habitualiter, ad conficiendum tamen Sacramentum matrimonij, seu vt dictus consensus & expressio illius fiant Sacramentum, requiritur (sicut ad efficienda alia Sacramenta) quòd consensus & eius expressio fiant ex intentione efficiendi illud Sacramentum, quæ intentio requiritur esse saltem virtualiter, quando elicitur consensus, & exterius exprimitur, sicut intentio aliorum Sacramentorum: semel tamen elicitò consensu, & facta exteriori expressione ex dicta intentione Sacramentali, postea quando aduenit consensus alterius, & expressio illius ex intentione saltem virtuali efficiendi Sacramentum, quamuis multò postea eliciatur consensus, & fiat expressio illius ex dicta intentione, non tantum fiet contractus matrimonij, vt diximus, sed etiam fiet Sacramentum; quia fit ex intentione, siue actuali siue virtuali efficiendi Sacramentum, vt supponimus.

Addidimus, dum prior consensus permaneat saltem habitualiter; quia si aliquo modo saltem habitualiter non permaneat, sed omnino desinat esse, non potest ad contractum, qui postea, adueniente consensu alterius, perficiendus erat, pertinere. Desinit autem prior consensus permanere omnino adhuc habitualiter, quando reuocatur, siue expressè, vt patet; siue implicite, vt quado, postquam consentit in vnâ personam, consentit in alteram: & etiam quando consensus in suo elici fuit limitatus, siue expressè siue implicite vsque ad aliquod tempus, desinit permanere adhuc habitualiter post tempus illud ad quod vsq; fuit limitatus. Quoties autem quis consentit, & non expressè in perpetuum, nec tempus aliquod determinatum suo consensui præscribit, censetur implicite tempus aliquod limitatum suo consensui præscribere: quia nullus est qui velit perpetuò consensum alterius expectare, & quoad hoc suspensus manere. Quantum autem tempus censendum sit à quolibet fuisse præscriptum, prudentis arbitrio, attentis circumstantiis, pensandum est: quia aliquando longum, etiam vbi Tridentinum viger, vt quando quis per epistolam consentit in procul absentem; & aliquando breue, aut breuissimum, vt quando quis consentit in præsentem, à qua citò aut statim expectat consensum. Qui verò consentit in eam quæ fictè cõsentit, non eo ipso, quòd ignoranter perseverat in eo matrimonio, censetur perseverare in priori consensu seu intentione contrahendi (quidquid dicant Sancius & Ægidius) quia ea perseverantia non renouat dictam intentionem seu consensum, quia ea perseverantia non intendit contrahere, quia credit contractum iam fuisse perfectum; ac proinde tantum censendum est ab eo fuisse præscriptum tempus illud, quod, attentis aliis circumstantiis, censetur ab eo præscriptum. Vnde si consentit in præsentem, censendum est breue aut breuissimum tempus suo consensui præscripsisse.

28

29

30

DIFFICULTAS IX.

Quomodo renouandus sit contractus Matrimonij, nullus ex defectu consensus veri, aut legitimi.

Supponimus (in quo conueniunt Doctores) ad reualidandum contractum matrimonij, nullum ex defectu veri consensus, siue in vtroque contrahente, siue in vno tantum, quia vterque, aut tantum vnus, solis verbis fictè absque consensu contraxit, requiri, quòd ille cui defuit consensus, siue vterque, siue tantum vnus, de nouo consentiat; quia contractus matrimonij nequit absque consensu vero vtriusque fieri. Imò etiam requiritur, quòd consensus de nouo elicitus, exterius exprimat, non solum quando vni tantum defuit consensus, vt contra Sancium li. 2. disp. 32. aduertunt Ægidius disput. 24. dub. 10. & Basilius lib. 4. cap. 24. sed etiam quando defuit vtrique, vt docent Sancius & Basilius: quia expressio exterior antiqua exhibita, quando fuit fictio consensus, nequit esse expressio consensus postea eliciti.

Ægidius.
Basilius.
Sancius.
Basilius.

Supponimus Secundo, (in quo conueniunt Doctores) ad reualidandum contractum matrimonij nullum, quia consensus elicitus non fuit legitimus, & sufficiens, siue in vtroque siue tantum in vno, vel ob metum grauem in vtroque; vel tantum in vno, vel ob aliud impedimentum dirimè, requiri, quòd postea, cessante causa nullitatis, ille cui defuit legitimus consensus, non solum quando vni (in quo conueniunt Doctores) sed etiam quando vtrique, renouent consensum, etiam alter qui ignorat nullitatem. In quo contra nonnullos, existimantes, tunc non esse necessarium, quòd ignorans nullitatem renouet consensum, conueniunt Sancius & communiter Doctores, & merito: quia antiquus consensus, etiam alterius ignorantis nullitatem, quamuis fuit verè elicitus, fuit tamen nullus & illegitimus: ergo quamuis postea, quando cessat causa nullitatis, perseueret habitualiter, nequit legitimari & validari; quia non manet in se ipso, sed præteriit. Imò etiam requiritur, quòd exterior expressio renouetur, non tantum quando vni defuit consensus legitimus, vt contra Sancium aduertunt Ægidius & Basilius, sed etiam quando vtrique defuit, vt contra Vera-cruz in Append. ad Spec. art. 44. conc. 3. aduertunt Sancius, Ægidius & Basilius.

Ægidius.
Basilius.
Sancius.
Ægidius.
Basilius.

His ergo suppositis, difficultas est, An ad reualidandum contractum matrimonij nullum, quia vni defuit consensus verus aut legitimus, sufficiat quòd iste renouet consensum, absque eo quòd alter, qui verè & legitimè consentit, iterum de nouo consentiat.

Sancius lib. 2. disput. 32. Ægidius disput. 24. dub. 10. Henriquez lib. 11. cap. 10. & Nauarrus cap. 22. num. 80. & alij docent, sufficere, quòd ille, cui defuit consensus verus aut legitimus, de nouo consentiat, absque eo quòd alter iterum de nouo consentiat; quia consensus illius, qui verè & legitimè consentit, perseuerat habitualiter; ergo accedente de nouo consensu illius qui fictè aut legitimè consentit, fiet nouiter contractus matrimonij; quia ad huius valorem sufficit, quòd posterior consensus adueniat, quando prior consensus perseuerat.

33
Sancius.
Ægidius.
Henriquez.
Nauarrus.

Bartholomæus Ledefina de Matrimonio dubio 19. Felinus in cap. Ex parte Decani, de Rescriptis, Paulus Comitulus lib. 1. Respon. Moral. quæst. 120. & Basilius lib. 4. cap. 24. docent, & meritò, non sufficere, quòd ille, cui defuit consensus verus aut legitimus, de nouo consentiat; sed necessarium esse, quòd vterque de nouo consentiat. Et id esse necessarium, in quodam particulari casu, in quo vni defuit consensus verus, quia fictè consentit, respondit Clemens VIII. Rectori Romanæ Pœnitentiariæ nostræ Societatis, vt ex Paulo Comitolo refert Basilius. Ratio autem huius doctrinæ desumitur ex Difficultate præcedenti: quia scilicet consensus illius, qui verè & legitimè consentit, cessat omnino, adhuc habitualiter, permanere, statim ac alter fictè aut illegitimè consentit; quia qui verè & legitimè consentit, tantum consentit, saltem implicitè, vsq; ad tempus, in quo alter fictè aut illegitimè consentit, & non ad vterius & longius tempus; quia iam omnino superfluum iudicat, aut saltem, ex quo alter fictè aut illegitimè consentit, absque dubio, qui verè & legitimè consentit, desistit ab eo consensu, seu intentione, & voluntate contrahendi; quia credit contractum iam esse perfectum: ergo vt reualidetur de nouo contractus matrimonij, necessarium est vtrumque iterum de nouo consentire, ac proinde etiam quòd vterque de nouo exterius exprimat consensum; quia nemo antiqua expressione expressit nouum consensum. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Ledefina.
Felinus.
Paul. Co.
Basilius.

34

Paul. Com.
Basilius.

Obseruandum est, vt optimè Sancius libro 1. disputat. 11. eum, qui fictè contraxit (& idem est de eo qui illegitimè scienter) tantum teneri ad reparandum damnum ex dicta fictione secutum, & non ad verè contrahendum, nisi quando damnum est notabile, & non possit reparari nisi contrahendo.

35
Sancius.

DIFFICULTAS X.

Vtrum ad reualidandum contractum Matrimonij nullum, necessarium sit, eum qui iterum est consensurus, esse aut fieri conscium nullitatis.

Difficultas hæc procedit de eo contrahente, qui ad reualidandum matrimonium nullum, iterum consensurus est, an scilicet possit sufficienter consentire, quando ignarus est nullitatis dicti matrimonij.

Caietanus Tom. 1. Opusc. tract. 12. quæstione 2. Sotus in 4. distinct. 28. quæst. 1. artic. 2. Petrus Ledefina, Angelus, & plures alij docent, omnino ignarum nullitatis, etiam absque formidine nullitatis, posse sufficienter consentire ad reualidandum contractum; ac proinde sufficere, vt qui conscius est nullitatis, inducat ignarum, vt maioris amoris causâ renouent consensum, id est, dicendo mutuo, *Ego te accipio in coniugem*, aut in signum consensus se amplexando: quia huic consensui nihil videtur deficere vt sit sufficiens, cum sit consensus personæ habilis, quo consentit in traditionem corporis. Imò nonnulli ex Auctoribus huius opinionis addunt, contractum matrimonij dicto modo nullum, reualidari copu-

36
Caietanus.
Sotus.
Pet. Ledef.
Angelus.

copulâ affectu maritali habitâ, quamuis alter nullitatem ignoret; quia copula videtur sufficiens signum consensus coniugalis. Et eadem ratio currit, vt reualidetur copula dicto modo habitâ, etiam si vterque ignoret nullitatem.

Nauarrus.
Covarria.
Henriquez.
Basilius.
Paul. Com.

Nauarrus verò cap. 22. num. 47. & 80. Covarria 4. Decretal. p. 2. cap. 4. nu. 5. Henriquez 11. de Matrimonio cap. 3. Basilius lib. 4. cap. 25. Paulus Comitulus lib. 1. Respons. moralium, q. 120. & plures alij docent, omnino ignarum nullitatis, non posse sufficienter consentire ad reualidandum matrimonium nullum, ac proinde necessarium esse, fieri conscium nullitatis (quod respondit Clemens VIII. dicto Reçtori Romanæ Pœnitentiariæ, in casu nullitatis matrimonij, ex defectu veri consensus in vno) & meritò; quia tunc non aliter reualidandus est contractus, quam efficiendo contractum de nouo quoad omnia, quia quoad nihil fuit validus, vel si tunc fuit aliquid validum, iam non perseverat. Ergo ad illum reualidandum, requiritur intentio tradendi dominium corporis de nouo, & de nouo se obligandi; quia absque hac intentione nequit validè fieri contractus. In eo autem qui caret notitia nullitatis, sed credit fuisse validum, nequit esse intentio de nouo tradendi dominium corporis, & se obligandi, adhuc sub conditione, si forte contractus fuit nullus, quia ille talis non concipit fortè fuisse nullum; imò conditionem hanc iudicat impossibilem: ergo ad reualidandum dictum contractum requisita est notitia aliqua nullitatis. Sufficit tamen notitia formidolosa, qua quis iudicet fortasse contractum fuisse nullum; quia hæc sufficit, vt sic formidolosè iudicans, intendat seriò tradere dominium sui corporis, & se obligare sub hac conditione, si fortè non est traditum, vel si fortè contractus fuit nullus; quæ conditio in nostro casu est vera & subsistens, & eam non iudicat impossibilem.

37 Et eadem proportione ad reualidanda sponsalia à principio nulla, defectu consensus, siue veri siue legitimi, necessaria est, in eo qui iterum consensus est, notitia aliqua, saltem formidolosa, nullitatis; quia est necessarius nouus consensus nouiter conferendi alteri ius in corpus proprium, qui nequit seriò haberi absque aliqua notitia nullitatis, imò etiam requiritur, quòd tunc signo aliquo exteriori exprimat: ad quod non sufficit copula adhuc spe matrimonij habitâ; quia copula non est signum dicti consensus, imò neque consensus coniugalis, vt dicemus Difficultate XI V.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, consensui illius, qui caret omni notitia adhuc formidolosa nullitatis, deficere quòd sit efficax, & seriò habitus tradendi de nouo dominium corporis, adhuc sub conditione; quia id iudicat impossibile, & tantum potest habere consensum quo approbet & ratificet contractum præteritum, quo consensu nihil fit, quia contractus præteritus, qui eo approbatur, fuit nullus. Vnde necessarium est, quòd ignarus nullitatis moneatur, aut saltem reddatur suspectus nullitatis, vt sufficienter renouet consensum.

39 Addimus, quòd quamuis omnino ignarus nullitatis possit sufficienter consentire, consensus tamen non possit sufficienter exprimi copula ipsa; quia hæc non est signum sufficiens consensus coniugalis, vt dicemus Difficultate XI V.

DIFFICULTAS XI.

Vtrum ad reualidandum contractum Matrimonij nullum, coram Parocho & aliis testibus celebratum, necessarium sit iterum coram Parocho & aliis testibus contrahere.

40 **C**onueniunt Doctores, ad reualidandum matrimonium publicè & plenè probabile nullum, quamuis coram Parocho & aliis testibus celebratum, necessarium esse illud iterum coram Parocho & aliis testibus celebrare; quia ex eo matrimonio, non reualidato coram dictis, possunt oriri incommoda, quæ Tridentinum suo decreto intendit impedire; quia coniuges, post reualidationem non factam coram Parocho & aliis testibus, poterunt se deserere, & cum aliis contrahere, absque eo quòd Ecclesia eis possit resistere; quia prior contractus fuit publicè nullus, & posterior, vt potè factus absque præsentia dictorum, non potest ab Ecclesia iudicari validus, ex defectu probationis requisita à Tridentino faciendæ, testimonio videlicet Parochi & aliorum testium.

Est ergo difficultas, An, quando prius matrimonium celebratum coram Parocho & aliis testibus, fuit nullum occultè, ob defectum consensus occultum, aut ob impedimentum aliquod occultum, necessarium sit ad reualidationem illius, quòd iterum coram Parocho & aliis testibus celebretur.

Palacios in 4. distinct. 27. quæst. 1. Gutierrez lib. 1. Quæst. can. cap. 18. Bartholomæus Ledesma dub. 17. & Basilius lib. 5. cap. 6. partem affirmatiuam tuentur; quia post Tridentinum, vbi publicatum est, matrimonia absque præsentia Parochi & aliorum testium facta irritantur; ergo vt matrimonium, quòd cessante impedimento de nouo contrahitur, validè contrahatur, seu reualidetur, necessarium est quòd fiat coram Parocho & aliis testibus.

41 Et confirmatur, quia in Diplomate cruciato conceditur facultas Commissario dispensandi, vt similia matrimonia possint de nouo occultè celebrari; & aliquando Pontifex dispensauit, & Clemens VIII. dispensauit in matrimonio illo particulari, relato Difficultate IX. ergo absque dispensatione nequit fieri sic.

Rebellus lib. 2. quæst. 9. Henriquez 11. de Matrimonio, cap. 3. Sancius lib. 2. disp. 27. & Egidius disp. 24. dub. 10. partem negatiuam tradunt, quam etiam tradit Nauarrus in Summa cap. 22. num. 7. (vbi refert Pium V. ita declarasse) & meritò: quia in Tridentino sess. 24. c. 1. de Reformat. matrim. vbi irritantur matrimonia facta absque præsentia Parochi & aliorum testium, tantum intenduntur irritari, & tantum irritantur (vt ex ipso deducitur) matrimonia clandestina, quæ antiquo Iure prohibita erant, & ex quibus oriri poterant incommoda, præsertim quòd post similia matrimonia cōtracta possint coniuges se deserere, imò & cum aliis contrahere, absque eo quòd Ecclesia possit illis resistere; sed antiquo Iure non erat prohibitum, matrimonium, in facie Ecclesiæ inualidè celebratum ob impedimentum occultum, iterum clam reua-

Palacios.
Gutierr.
Bar. Ledes.
Basilius.

Rebellus.
Henriquez.
Sancius.
Egidius.
Nauarrus.
Trident.

reualidare: neque ex matrimonio absque Parocho & aliis testibus reualidato, quando antea fuit coram illis contractum, oriri possunt incommoda prædicta, absque eo quòd Ecclesia possit resistere; quia Ecclesia resistere potest, & resistet, & non permittet coniuges se deserere, nec cum aliis contrahere; cum nullitas prioris matrimonij coram Parocho & aliis testibus celebrati, nequeat plenè probari; quia defectus aut impedimentum, ob quod fuit nullum, est occultum, vt supponimus: ergo matrimonia, quamuis post Tridentinum, & vbi publicatum est, coram Parocho & aliis testibus inualidè celebrata ob defectum aliquem aut impedimentum occultum, validè iterum celebrantur absque noua præsentia Parochi & aliorum testium; quia præsentia antiqua in casu impedimenti aut defectus oculi sufficit ad impedienda dicta incommoda.

43 Vt ergo ad reualidandum matrimonium, antea nullum, non sit necessarium iterum coram Parocho & aliis testibus contrahere, non sufficit quòd defectus aut impedimentum sit non publicum, vt indicat Nauarrus, dum absolutè ait, matrimonium dictum non esse iterum coram Parocho & aliis testibus celebrandum; nec sufficit, quòd defectus aut impedimentum, quamuis sit plenè probabile, non sit plenè probandum, aut quòd non sit periculum quòd plenè probabitur, vt docent Henriquez & Rebellus, sed quòd verè non sit plenè probabile: quia si est plenè probabile, per duos videlicet testes omni exceptione maiores, eo ipso ex posteriori matrimonio possunt oriri dicta incommoda, absque eo quòd Ecclesia possit resistere, ex defectu probationis à Tridentino requisita, faciendæ testimonio Parochi & aliorum testium.

Henriquez
Rebellus.

44 Ad rationem ergo in oppositum constat, in Tridentino tantum irritari matrimonia facta absque præsentia Parochi & aliorum testium, sufficiente ad impedienda dicta incommoda; ad hoc tamen sufficit præterita præsentia seu assistentia ad contractum præteritum, nullum ob defectum, qui non potest plenè probari. Et ad confirmationem, concessò Antecedenti, negamus consequentiam; quia in Bullis non raro conceduntur aliqua non prohibita, neque irritata, & in eis à Pontificibus dispensatur, quando est difficultas aliqua an sint prohibita, aut irritata (vt verè est circa hanc rem) vt ita conscientia pacentur.

DIFFICULTAS XII.

Vtrum ad essentiam & valorem contractus Matrimonij necessarium sit signum externum, expressiuum consensus interni.

45 COnueniunt Doctores, ad contractum matrimonij esse aliquo modo necessaria signa externa, exprimentia mutuum consensum, vt constat ex decreto Eugenij IV. habito in Concilio Florentino post vltimam sessionem, & etiam ratione; quia contractus ipse fit ab hominibus: vt autem homines contrahant, sunt aliquo modo necessaria signa externa, vt eis proferant suos consensus, qui sunt essentialiter requisiti ad naturam & valorem contractus. Est tamen difficultas, quomodo signa externa sint necessaria.

Maior in 4. distinct. 26. quæst. 1. docet, signa externa non esse necessaria ad essentiam & valorem contractus matrimonij: esse tamen conditionem necessariam ad hoc, quòd consensus mutuus contrahentium vtrique innotescat. Quod etiam satis indicat Ochagauia Tract. 2. quæst. 9. & probabile censet Vera-cruz 1. p. Speculi art. 3. & deduci videtur ex cap. *Cum locum*. 14. de Sponsalibus, dum dicitur, *Matrimonium solo consensu contrahitur.* & ex cap. *Tue*. 25. eodem tit. dum dicitur, matrimonium in veritate contrahi per legitimum viri & mulieris consensum, sed sunt necessaria verba quantum ad Ecclesiam.

Maior.

Ochagau.
Vera-cruz.

Sancius l. 2. disp. 3. Egidius disp. 24. dub. 8. Basilius l. 2. c. 6. & cõmuniter Doctores docent, signa externa esse necessaria ad naturam & valorem contractus matrimonij, & absque illis non esse verum contractum, quamuis Deus reuelet mutuum consensum vtriusque eisdem: & meritò, quia est contractus humanus, seu pactio humana; homines autem pacisci non possunt solis consensibus internis absque signis externis; ergo tam signa externa quàm cõsentus pertinent ad essentiam contractus matrimonij, sicut anima interna & corpus externum ad essentiam hominis.

46
Sancius.
Egidius.
Basilius.

Ex quo etiam constat, signa externa essentialiter requiri ad contractum matrimonij in ratione Sacramenti, in quo Doctores conueniunt; quia contractus ipse institutus est à Christo Domino in Sacramentum, vt dicemus Difficultate xv. Quod etiam est verum in contractu matrimonij per procuratores celebrato, quia nequit essentialiter perfici absque verbis aut aliis signis procuratorum.

In duobus autem capitibus adductis pro aduersariis non condistinguitur consensus internus à signis externis, neque hæc ab essentia contractus excluduntur. Sed in cap. *Cum locum*. condistinguitur consensus liber, à consensu qui per metum præstatur, & dicitur hunc non sufficere, benè tamen priorem. Et in cap. *Tue*. condistinguitur consensus verbis expressus, ab illo qui nutibus exprimitur, & dicitur per quemlibet posse fieri matrimonium, quamuis verba sint necessaria, vt clarè constat Ecclesiæ.

47

DIFFICULTAS XIII.

Vtrum ad naturam & valorem contractus Matrimonij sufficiat quodlibet signum externum expressiuum consensus.

48 Difficultas tantum procedit in his qui loqui possunt; quia in mutis conueniunt Doctores, non esse necessaria verba, sed sufficere quæcumque alia signa, vt constat ex cap. *Cum apud*. 23. & ex cap. *Tue*. 25. de Sponsalibus.

Circa difficultatem ergo Richardus in 4. distinct. 27. artic. 1. quæstio. 1. Bartolus l. *Nuptias* vnic. ff. De Regulis Iuris, & plures alij Iurisperiti, quos Sancius refert vbi infra, docent, in his qui loqui possunt, verba esse necessaria ad valorem contractus matrimonij, non ex Iure naturali, neque diuino Christi, sed Ecclesiastico; quia id decernitur aut supponitur decretum in dicto c. *Tue*, dum dicitur, verba esse necessaria quantum ad Ecclesiam.

Richardus.
Bartolus.
Sancius.

Vasquez

Vasquez.
Sancius.
Ægidius.
Basilus.

Vasquez disp. 3. cap. 7. Sancius lib. 2. disp. 31. Ægidius disp. 24. dub. 8. Basilus lib. 2. cap. 7. & communiter Theologi docent (& bene) ad valorem contractus matrimonij, etiam in potentibus loqui, non esse necessaria verba, sed sufficere quicumque alia signa, aliàs sufficientia ad exprimendum consensum. Quod supponitur in Decreto Eugenij IV. §. *Septimum Sacramentum*, dum dicitur, causam sufficientem matrimonij (id est vinculi) regulariter esse mutuum consensum verbis expressum. vbi particulâ illâ *regulariter* denotatur, illud posse etiam alijs signis effici: quo declaratur, & quasi limitatur, quoad matrimonium, regula illa generalis, qua antea dictum fuerat, omnia Sacramenta perfici verbis vt forma, & rebus vt materia. Et ratione probatur, quia in primis verba non sunt necessaria iure naturali, seu ex natura ipsius contractus; quia contrahentes ex natura rei possunt alijs signis pacisci de mutua corporum traditione, vt nutibus & scriptura, & intentionem seu consensum tradendi mutuum dominium corporum exprimere, vt patet; neque sunt necessaria ex Christi institutione, quia quamuis Christus eleuauerit contractum matrimonij ad esse Sacramenti, nihil tamen innouauit circa naturam illius: neque sunt necessaria ex iure Ecclesiastico, quia nullum extat, verba præscribens; quia non in dicto cap. *Tue*, quia in eo tantum significatur, verba esse necessaria, vt matrimonium clariùs constet Ecclesiæ; neque in alio loco.

49

50

Cannus.

Vnde neque verba sunt necessaria, vt contractus matrimonij sit Sacramentum, vt falsò affirmat Canus 8. de Locis, cap. 5. ad 3. quia Christus, ex cuius institutione valor Sacramentorum dependet, in nullo alio Sacramentum matrimonij instituit, quàm in contractu ipso valido; ac proinde cum verba necessaria non sint ad valorem contractus, neque erunt ad valorem Sacramenti. quod etiam supponit Eugenius IV. in suo Decreto.

Eugen. IV.

Ledesma.

Henriquez.

Sancius.

Basilus.

Ægidius.

Sed an verba sint ex præcepto adhibenda, sub controuersia est, quia Petrus Ledesma quæst. 45. ar. 2. & Henriquez affirmant, ducti dicto cap. *Tue*, & alijs: in nullo tamen id præscribitur, & ideo Sancius, Basilus & Ægidius merito negant. Fatemur, verba esse omnium clarissima, & ideo maxime contentientia ad rem tanti momenti.

51

Contractus ergo matrimonij validè contrahitur, non tantum verbis, sed etiam scripturâ aut nutibus, imò etiam taciturnitate puellæ, imò etiam pueri, quando altero contrahente consensum exprimente, pater, vel mater, vel curam gerens puellæ & pueri respondet pro puella vel pro puero, eius consensum exprimendo. Addit Rebellus l. 2. quæst. 10. sect. 1. etiam validè contrahi subarratione, id est traditione annuli, alteri qui iam consensit; quod verum existimamus, vbi fuerit in vsu.

DIFFICULTAS XIV.

Vtrum Sponsalia transeant in Matrimonium per copulam subsequutam.

Supponimus, iure antiquo ex copula habita post sponsalia, tamquam ex prudenti indicio, potè præsumi ab Ecclesiâ matrimonium, vt constat ex cap. *Veniens*, 15. & ex cap. *Is qui fidem*, 30. & ex cap. final. de Sponsalibus, quia Ecclesiâ præsumebat, sponfos iam contraxisse matrimonium, ne

præsumeret illos ad non proprium coniugem accessisse (quod non præsumebat ex conatu ad copulam, vt constat ex dicto cap. finali, neque ex cohabitatione, neque ex osculis;) quod etiam nunc præsumitur ab Ecclesiâ, vbi Tridentinum non viget.

Addimus, præsumi ab Ecclesiâ, quia sponsalia per copulam subsequutam non transeant in verum matrimonium, sed tantum in præsumptum, non solum quando copula fiebat animo fornicario, vt admittunt Doctores; sed etiam quando fiebat affectu coniugali, vt contra Sancium & Henriquez docent Bassolus in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. & Basilus lib. 2. cap. 12. & deducitur ex dicto cap. *Is qui*, & ex dicto cap. fin. dum in eis, absque distinctione aliqua affectus, ex quo fieret copula, insinuat transire in matrimonium præsumptum. Quod etiam constat ex eo, quod copula, adhuc post sponsalia, non erat signum exprimens consensum sufficientem ad matrimonium; sed tantum erat indicium pium & prudens contractus facti ante copulam ipsam, aliàs non fuisset factus nisi post copulam habitam; ac proinde copula illa non fuisset licita, neque talis potuisset ab Ecclesiâ præsumi; quia manifestè esset accessus ad nondum coniugem; ac proinde nec potuisset haberi affectu coniugali. Et quamuis tunc haberetur affectu seu intentione mutæ traditionis de præsentibus, sponsalia non transirent in verum matrimonium; quia quamuis tunc esset sufficiens consensus, non tamen esset sufficiens signum, quia copula non est signum sufficiens.

52

Bassolus.
Basilus.

Hoc ergo supposito, difficultas est, An post Tridentinum, vbi viget, sponsalia per copulam subsequutam transeant in matrimonium, aut verum, aut præsumptum, iuxta varios modos dicendi circa hoc.

53

Circa hanc rem certum est, vbi Tridentinum viget, non transire, quando neque sponsalia neque copula fuerint habita coram Parocho & alijs testibus; quia absque eorum præsentia matrimonium neque validè contrahitur, neque præsumi potest ab Ecclesiâ, quæ iam ad valorem illius requirit prædictorum præsentiam. Et id etiam est certum, quando copula non fuisset habita coram illis, quamuis sponsalia fuissent coram eis habita; quia tunc non assisterent ei, quod habiturum erat rationem signi expressiui (si aliquid tunc fuisset) cui ex Tridentino necessarium est assistere; imò id etiam est certum, quando sponsalia non fuissent habita coram Parocho & alijs testibus, quamuis copula fuisset coram illis habita; quia tunc tantum possent testificari de copula, & non de sponsalibus; ac proinde non possent testificari, sponfos sibi expressisse consensum, quamuis admittamus, copulam post sponsalia esse sufficiens signum; quia non esset tale, nisi suppositis sponsalibus, de quibus non possunt testificari vt testes oculati.

Est ergo difficultas, An sponsalia transeant in matrimonium, siue verum siue præsumptum, quando ipsa & copula habita sunt coram Parocho & alijs testibus.

54

Sancius lib. 3. disp. 40. & Henriquez lib. 1. c. 3. docent, transire in matrimonium; quia ex vna parte copula post sponsalia est sufficiens signum expressiuum consensus coniugalis, vt deduci videtur ex dictis capitibus, aliàs Ecclesiâ non posset ex ea copula matrimonium præsumere, & ex altera

Sancius.
Henriq.

parte, ipsa & sponsalia fiunt coram Parocho & testibus; ergo etiam post Tridentinum sponsalia transeunt in matrimonium, copula subsequuta, siue verum siue præsumptum.

Ægidius.

Ægidius vero disp. 21. num. 21. & alij Doctores docent (& merito) non transire in matrimonium adhuc præsumptum, quod declarauit Congregatio Cardinalium, vt habetur apud Rebellum n. 42. Et in primis nõ transire in verum matrimonium, constat: quia copula, adhuc præsuppositis sponsalibus, non erat neque est verum signum consensus, vt supra dicebamus; sed tantum erat prudens iudicium contractus ante copulam ipsam facti; ergo quamuis ipsa & copula fiant coram Parocho & alijs testibus, non transibunt in matrimonium; verum non ex defectu presentia, sed ex defectu signi exterioris, absque quo nequit fieri contractus matrimonij. Quod vero neque transeat in matrimonium præsumptum, probatur; quia post Tridentinum, vbi viget, ad valorem contractus matrimonij requiritur, quod fiat coram Parocho & alijs testibus; copula autem, adhuc præsuppositis sponsalibus, non est indicium quod contractus fuerit factus coram Parocho & alijs testibus, quia neq; erat ante Tridentinum, ergo Ecclesia ex illa, quamuis habita coram Parocho & alijs testibus, & post sponsalia etiam coram eisdem facta, non præsumet contractum matrimonij factum, vbi Tridentinum viget, quia eo ipso quod requisit presentiam Parocho & aliorum testium, & præcepit Parocho, vt nomina testium, & coniugum, diemque & locum celebrationis contractus scribat, & apud se custodiat, non vult matrimonium præsumi, nisi expressione consensus coram prædictis facta, & aliter potius præsumetur peccatum in copula.

56

Observandum est, sponsalia non transire in matrimonium ex eo, quod iuramento confirmantur, adhuc vbi Tridentinum non viget: quia non transeunt Iure naturali, vt constat; quia iuramentum additum contractui, eum non mutat ex natura rei, quamuis illum confirmet superaddita obligatione religionis, orta ex ipso iuramento: neque transeunt Iure positiuo; quia non Iure antiquo habito in Can. *Si quis, Annus. 30. quaest. 5. vbi dicitur: Si quis, diuinus tactus, iurauit mulieri legitimam se eam uxorem habiturum, sit illa legitima uxor.* quia in hoc Canone non significatur, illam ex tunc esse uxorem iurantem, sed iurantem teneri ad illam ducendam, vt particulam illam *sit* denotatur; nec Iure habito in cap. *Ex parte. 9. de Sponsalibus*, quia in eo tantum agitur de verbis de futuro, æquivalentibus verbis de presenti, ratione particule *ab eo tempore*, quibus non fiunt sponsalia, sed matrimonium: sponsalia ergo iuramento stabilita, quamuis facta coram Parocho & alijs testibus, non transeunt in matrimonium, adhuc præsumptum, post Tridentinum, sicut neque ante illud.

DIFFICULTAS XV.

Vtrum contractus Matrimonij baptizatorum in eorum absentia fiat valide per procuratores.

57

Conueniunt Doctores, contractum matrimonij non tantum antiquitus potuisse valide in absentia per procuratores celebrari, vt constat ex cap. *fin. de Procuratoribus*, in 6. sed etiam modo

post Tridentinum, etiam vbi viget, vt constat ex praxi Ecclesie, dummodo vbi viget celebretur per procuratores coram Parocho & alijs testibus; quia Tridentinum quoad hoc supra id, quod ante ipsum sufficiebat tantum, requisit presentiam Parocho & aliorum testium.

Vt vero contractus matrimonij per procuratores valide celebretur, tria in dicto cap. requiruntur. Primum, quod procurator habeat speciale commissionem ad id. Secundum, quod procurator id per se ipsum efficiat; quia nequit alterum substituere, nisi id expresse habeatur in commissione. Tertium, quod commissio non sit reuocata tempore quo celebratur contractus: quia si reuocata sit, quamuis solum interne, etiam si procurator reuocationem ignoret, nihil fit; quia si reuocata est, quamuis solum interne, procurator nequit consentire nomine principalis; quia reuocauit commissionem. Potest tamen procurator solis verbis absque scriptura assignari; & non est necessarium, adhuc post Tridentinum, quod procuratoris assignatio fiat coram Parocho & testibus; imò neque quod eis ostendatur, quando fit contractus, dummodo contractus ipse coram ipsis per procuratores celebretur.

Et eodem modo, non tantum antiquitus potuit contractus matrimonij per epistolam valide celebrari, vt patet ex L. *Mulierem. ff. De ritu nuptiarum*, in quo Doctores conueniunt, sed etiam modo post Tridentinum, vt contra utrumque Ledesmam & Manuelem Rodriguez docent Sancius l. 2. disp. 12. Ægidius disp. 24. dub. 9. Henriquez, Molina, & Vega; quia per epistolam potest quis proprium consentum coram Parocho & alijs testibus exprimere, & ex tunc per eandem alterius consentum, si verè consentiat, coram eisdem acceptare; quod sufficienter fiet his verbis scriptis, *Accipio te in meum coniugem*: sicut etiam eisdem verbis prolatis sufficienter fit, quamuis à priori contrahente (siue verbis scriptis siue voce prolatis) fiat traditio, & acceptatio sub conditione tacita, si scilicet tu etiam tradideris, & acceptes meam traditionem, & à posteriori vtraque fiat absolute. Id autem quod dictum est de contractu matrimonij per epistolam celebrato, quod scilicet sit validus, etiam ob eandem rationem est verum de eo celebrato per nuntium.

Est tamen obseruandum, eum, cui mittitur epistola aut nuntius, exprimens consentum ipsius mittentis, etiam debere suum consentum & acceptationem traditionis sibi facta à mittente exprimere ipsi mittenti, vel per alteram epistolam, vel per nuntium; quia illi faciendae est expressio (quia cum eo contrahitur) siue in sua persona, siue alteri habenti commissionem ad id, vt solet habere nuntius: & tunc quando habet, quoad hoc nuntius, & quilibet alius assignatus, habet rationem procuratoris, quia ei nomine alterius exprimitur: imò etiam quoad expressionem exterioriorem factam ab ipso nuntio, habet rationem procuratoris; quia nomine mittentis exterius exprimit consentum illius, quamuis non quoad consentum, quia non consentit nomine illius.

Celebratur autem contractus per epistolam eisdem verbis scriptis, quibus voce prolatis celebratur in presentia: per nuntium vero celebratur referendo & exprimendo, vt nuntius est, nomine mittentis consentum ipsius, dicendo, v. g. *Petrus mittit*

58

Sancius.
Ægidius.
Henriquez.
Molina.
Vega.

59

60

mittit me, ut suo nomine nuntiem tibi, ipsum te velle in uxorem. Vnde, quando fit medio nuntio, aut mediâ epistolâ, necessarius est in ipso mittente consensus, & non reuocatus; quia tunc nullus consentit nomine mittentis: at quando fit per procuratorem, qui quoad omnia est procurator, sufficit & requiritur, quod procurator ipse nomine principalis, commissione ab ipso accepta, expressè consentiat pro illo, & consensum hunc exterius exprimat; quia principalis illi committit integrum contractum, quoad consensum videlicet & quoad expressiorem illius, quoad omnia se remittens voluntati illius. Vnde contractus matrimonij à procuratore his verbis, aut æquivalentibus, celebrandus est, *Ego nomine Petri v.g. contraho tecum matrimonium, vel, Nomine Petri te accipio in eius uxorem.*

DIFFICULTAS XVI.

Utrum Matrimonium baptizatorum sit propriè Sacramentum gratiam conferens.

61 **C**atholici contra hæreticos, quibus fauere videtur Durandus in 4. dist. 26. quæst. 3. art. 2. conueniunt, matrimonium baptizatorum esse propriè Sacramentum gratiam conferens, à Christo Domino institutum; quod definiuit Eugenius IV. in suo Decreto fidei, & Tridentinum sess. 7. can. 1. & sess. 24. cap. 1. & can. 1. Quod antè significauerant non tantum Gregorius, sed etiam Leo I. Chrysostomus, Ambrosius, & Augustinus, Siricius Papa, & Innocentius III. Gregorio antiquiores, dum matrimonium appellant Sacramentum, & de eo ut de Sacramento tractant, quos referunt Bellarminus de Matrimonio cap. 3. & Vasquez disp. 2. Quod etiam constat ex perpetua traditione, cui Ecclesia innixa id definiuit. Quæ autem intentio necessaria sit in contrahentibus, ut efficiendo contractum matrimonij, eum efficiant Sacramentum, diximus Difficultatè VI I I.

62 Plura contra hanc veritatè obijciunt hæretici, quæ omittimus, quia facilia sunt, & videri possunt apud Vasquez vbi suprâ, & apud Ægidium disp. 24. dub. 2.

Addidimus, matrimonium baptizatorum esse propriè Sacramentum, quia matrimonium non baptizatorum, quamuis fidelium, non est propriè Sacramentum, quia ante Baptismum, utpote ianuam reliquorum Sacramentorum, nullum potest recipi Sacramentum; imò, ut optimè Vasquez disp. 5. n. 68. & Ægidius contra Sancium lib. 2. disp. 9. & contra alios, contractus celebratus ante Baptismum non fit postea Sacramentum gratiam conferens, quamuis repetatur consensus, & eius exterior expressio: quia quamuis hæc repetitio fiat, non fit de nouo contractus (in quo Sacramentum matrimonij consistit;) quia iam supponitur ante Baptismum factus. Fatemur, vinculum matrimonij consummati fieri per Baptismum vtriusque coniugis omnino indissolubile, quia post Baptismum nulla causa, adhuc fidei, dissolui potest.

63 Obseruandum ergo est, ut aduertunt Vasquez & Ægidius, matrimonium sumptum pro contractu, & non pro vinculo, institutum esse in Sacramentum gratiam conferens; quia gratia non confertur ab iplo vinculo causato à contractu, quando fit ipse contractus; quia frustra institueretur in Sacramentum aliquid permanens & perseverans, quod postquam factum est, non confert gratiam; ac proinde

solus contractus ipse institutus est in Sacramentum gratiam conferens. Fatemur, matrimonium sumptum pro vinculo relicto ex contractu, esse Sacramentum latiori significatione; quia ut sic est signum rei sacræ; quia ut sic, ob indissolubilitatem, quam ex se habet, repræsentat vnionem indissolubilem Christi cum Ecclesia in incarnatione factam.

Vnde in matrimonio contractus ipse est Sacramentum tantum, gratia verò Sacramentalis est res Sacramenti tantum, quia tantum est effectus; vinculum verò ipsum est res & Sacramentum simul. est quidem res Sacramenti, quia est effectus ipsius contractus, cui conuenit ratio Sacramenti; & est Sacramentum (quamuis tantum latè) quia ob sui indissolubilitatem significat coniunctionem indissolubilem Christi cum Ecclesia.

DIFFICULTAS XVII.

Utrum Matrimonium baptizatorum, per procuratores celebratum, sit propriè Sacramentum gratiam conferens.

BAssolis in 4. d. 27. q. 1. art. 1. Caietanus Opusc. de Matrimonio, q. 1. Canus 8. de Locis c. 5. & Victoria in Summa, num. 244. partem negatiuam tuentur (& idem est de matrimonio per epistolam aut per nuntium celebrato.) Probari autem potest, Primò, quia pœnitentia requirit præsentiam ad absolendum; quia in eius forma dicitur, *Ego te absoluo, sed etiam in matrimonio dicitur, Ego te accipio in coniugem*: ergo etiam requirit præsentiam contrahentium. Secundò, quia effectio Sacramenti est actus personalis, ut in alijs Sacramentis patet, ergo matrimonium celebratum per alterum, non est propriè Sacramentum. Tertio, quia aliàs dormiens posset gratiam recipere, si ipso dormiente, & existente in gratia, fieret matrimonium à suo procuratore; imò etiam dormiens posset peccare, si ipso dormiente, & existente in peccato mortali, fieret à suo procuratore.

Vasquez verò disp. 3. c. 4. Sancius l. 2. disp. 11. Ægidius disp. 24. dub. 2. & Basilius c. 10. partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia Christus absque restrictione aliqua instituit matrimonium legitimum in Sacramentum, ut deducitur ex Florentino & Tridentino, dum absolute & absque limitatione definiunt, matrimonium baptizatorum esse Sacramentum; matrimonium autem per procuratores celebratum est verum & legitimum, ergo est Sacramentum propriè. Et ob eandem rationem, matrimonium per epistolam aut per nuntium celebratum, est propriè Sacramentum, quia scilicet est verum & legitimum matrimonium.

Ad primam ergo rationem aduersariorum concedimus Antecedens, & negamus Consequentiã, ob disparitatem inter dicta verba absolutionis, & inter dicta verba matrimonialia: quia verba illa absolutionis sunt determinatè requisita ex Christi institutione, & ad eorum veritatem requisita est præsentia; verbaverò illa, *Ego te accipio in coniugem*, non sunt determinatè requisita, quia sufficiunt quæcumque verba, & quæcumque signa, quibus exprimitur cõsensus traditionis dominij corporis: & quia consensus & traditio esse possunt inter absentes, & etiam expressio consensus, siue per epistolam siue per verba nuntij vel procuratoris etiam consentientis commissione & nomine principalis, idèò contractus matrimonij, & consequenter Sa-

64

65
Bassolis.
Caietanus.
Canus.
Victoria.

66
Vasquez.
Sancius.
Ægidius.
Basilius.

67

cramentum (quod in solo contractu valido fundatur) potest in absentia fieri, non verò absolutio Sacramentalis.

Ad secundam respondemus, actiones aliorum Sacramentorum ex institutione Christi esse personales, non verò actiones Sacramenti matrimonij; quia istud instituit in solo contractu, cuius actiones non sunt necessariò personales, saltem exterior expressio.

Ad tertiam respondemus, posse, & non esse inconueniens, illum dormientem recipere gratiam (vt etiam contingit, quando quis in infirmitate dormiens aut amens absoluitur, & extremè vngitur) obligari tamè sub mortali, vt sit in statu gratiæ eotempore, quo prudenter iudicat celebrandum esse contractum, & peccare mortaliter (si non sit in gratia) vel tunc quando iuxta prudens iudicium ipsius celebrandū est, si sit in vigilia, aut si dormiat, non quando dormit, sed quando præuidens defectum gratiæ, & futurum somnum tempore contractus, dedit causam somno, iuxta doctrinam communem in Tractatu de Peccatis.

DIFFICULTAS XVIII.

Vtrum Matrimonium inter baptizatum & non baptizatum, sit propriè Sacramentum gratiam conferens.

68 **D**ifficultas procedit ex suppositione, quòd inter baptizatum & non baptizatum possit validè fieri matrimonium, vt ex dispensatione fieri posse, dicemus Disput. XXI. 111.

Certum est, non esse Sacramentū ex parte coniugis non baptizati, quia iste ex defectu Baptismi est incapax aliorum Sacramentorum. Est ergo difficultas, An sit Sacramentum ex parte baptizati.

Rebellus.
Sotus.
Catherin.

Rebellus lib. 3. q. 9. Sotus & Catherinus partem affirmatiuam tuentur; quia ex vna parte baptizatus est capax Sacramenti, & ex altera verū efficit contractum cum non baptizato; contractui autem verò baptizati conuenit ratio Sacramenti.

69
Vasquez.
Ægidius.

Vasquez verò disp. 2. n. 113. & Ægidius disp. 24. dub. 2. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia Christus tantum instituit in Sacramentum, integrum & perfectum contractum matrimonij, quia tantum contractus integer est matrimonium, & tantum in matrimonio illud instituit: in solo autem baptizato non est integer & perfectus contractus matrimonij, sed in utroque coniuge. vnde in utroque coniuge, quando vterque est baptizatus, est vnum tantum Sacramentum, sicut & vnus tantum integer contractus. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

DIFFICULTAS XIX.

Vtrum inter baptizatos possit celebrari Matrimonium, quod non sit propriè Sacramentum.

70
Ledesma.
Sancius.
Ægidius.

Petrus Ledesma quæst. 42. art. 1. dub. 7. Sancius lib. 2. disp. 10. & Ægidius disp. 24. dub. 2. docent, non posse inter baptizatos validè celebrari contractum matrimonij, qui non sit propriè Sacramentum: quia Christus inseparabiliter addidit

contractui baptizatorum rationem Sacramenti, vt deduci videtur ex eo, quòd Eugenius IV. & Tridentinum absolutè & absque vlla limitatione dicunt, matrimonium baptizatorum esse Sacramentum; ac proinde nullum esse validum matrimonium, quod non fiat Sacramentum.

Eugen. IV.
Trident.

Vasquez verò 3. par. disp. 138. num. 63. Rebellus lib. 2. quæst. 5. & Basilius lib. 1. cap. 9. docent, posse inter baptizatos validè celebrari contractum matrimonij, qui non fiat Sacramentum, & meritò: quia absque fundamento dicitur, Christum ita inseparabiliter addidisse contractui baptizatorum rationem Sacramenti, vt deficiente ratione Sacramenti ex defectu intentionis efficiendi Sacramentum, vel aliter, instituerit contractum ipsum irritum euadere. Erit tamen sacrilegium contra reuerentiam Sacramento debitam, contractum absque ratione Sacramenti celebrare; quia id erit actionem Sacramentalem irritare.

Vasquez.
Rebellus.
Basilius.

Eugenius autem IV. & Tridentinum absoluta illa locutione tantum significant, Christum omnem contractum matrimonij baptizatorum validum, absque aliqua exceptione, in Sacramentum instituisse; quod non tollit, posse non fieri Sacramentum, si desit intentio requisita: sicut contingere potest, quòd ablutio & prolatio verborum Baptismi, quas absque exceptione aliqua Christus in Sacramentum instituit, non fiant Sacramentum ex defectu intentionis requisita.

71

DIFFICULTAS XX.

Vtrum Matrimonium, ante legem gratiæ in lege nature & veteri, fuerit propriè Sacramentum gratiam conferens.

Petrus Sotus de Instit. Sacerdot. lect. 2. de Matrimonio, Henricus VIII. Rex Angliæ, Rossensis, Castro, & Catherinus partem affirmatiuam tuentur, Primò, quia Deus Genes. 1. benedixit coniugio Adami, & in eo reliquis, dum dixit, *Crescite & multiplicamini*; benedictio autem Dei gratiam operatur. Secundò, quia ad Ephes. 5. matrimonium ab initio mundi dicitur Sacramentum.

72
Sotus.
Hen. Rex.
Rossensis.
Castro.
Catherin.

Vasquez verò disp. 2. cap. 3. Ægidius disp. 24. dub. 2. Rebellus lib. 2. quæst. 3. & iam communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò; quod definitum videtur ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, dum distinguit Sacramenta nouæ legis (inter quæ numerat Matrimonium) à Sacramentis veteribus, in eo, quòd illa conferant gratiam, vetera verò minimè: & Tridentinum sess. 24. decreto anteriori ad Canones, dum docet, matrimonium in lege Euangelica gratiam præstare veteribus connubijs; & can. 1. dum damnatur, qui dixerit matrimonium non esse Sacramentum à Christo institutum; quasi dicat, nouiter & primò. Quod etiam constare videtur ex perpetua Ecclesiæ traditione, quam nonnulli ex Patribus scriptam reliquerunt, vt affirmat Vasquez cap. 4.

Vasquez.

Ad prius ergo fundamentum aduersariorum respondemus, benedictionem illam fuisse ad corporalem multiplicationem, & non ad gratiam spirituales; quia similis benedictio data fuit ceteris animantibus gratiæ incapibus. Et ad posterius respondemus, matrimonium, etiam ab initio mundi

73

di

di dici à Paulo Sacramentum, non quia ex tunc gratiam conferat, & sit propriè Sacramentum; sed quia ob sui indissolubilitatem repræsentat coniunctionem indissolubilem Christi cum Ecclesia, ex quo habet esse latè Sacramentum, quod etiam modò conuenit matrimonio gentilium.

DIFFICULTAS XXI.

Quæ sit materia & quæ sit forma in Sacramento Matrimonij.

74
Eugen. IV.

Quia Eugenius IV. in suo Decreto fidei, definiens, omnia Sacramenta nouæ legis tribus perfici, rebus tamquam materia, & verbis tamquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, hæc tria in alijs Sacramentis assignauit, & non in Sacramento matrimonij; idè Doctores de illis inquirunt.

Catherin.

In primis Catherinus Opusculo de Matrimonio quæst. 1. docet, materiam in Sacramento matrimonij esse signa externa, quibus contrahentes exprimentur suos consensus; & formam in quolibet matrimonio esse verbum illud Dei, sanctificans matrimonium, quamuis semel tantum fuerit prolatum, quod habetur Genes. 2. & Matth. 19. *Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhaerebit uxori suæ.* Modus tamen iste dicendi communiter rejicitur, & meritò, quia ad nouum & distinctum Sacramentum, & ad nouam & distinctam materiam requiritur noua forma nouiter repetita; ergo verbum illud, quod in rigore fuit semel tantum prolatum, & vnum numero, nequit esse forma pro pluribus & omnibus matrimonijs.

75
Canus.

Secundò, Canus 8. de Locis, cap. 5. docet, materiam in Sacramento matrimonij esse actus contrahentium, nempe consensus & signa externa quibus exprimentur, & formam esse verba illa Sacerdotis, *Ego vos coniungo.* Modus tamen iste dicendi non benè audit, & facilè rejicitur ex decreto Eugenij IV. dum loquens de Sacramento matrimonij, ait: *Causa efficiens matrimony* (id est vinculi, orti ex ipso contractu eleuato ad Sacramentum) *regulariter est mutuus consensus per verba de presenti expressus*, & nullam aliam causam assignat. Sentit ergo, consensus contrahentium, & eius exteriorem expressionem, & non verba Sacerdotis, perficere Sacramentum matrimonij. Quòd si verba Sacerdotis non perficiunt hoc Sacramentum, neque erunt forma illius; ac proinde neque actus contrahentium erunt materia.

76
Richardus.
Victoria.

Tertiò, Richardus in 4. dist. 26. art. 4. quæst. 2. & Victoria in Summa num. 245. docent, verba prioris contrahentis esse materiam, utpote præsupposita & determinabilia per posteriora posterioris contrahentis; & verba huius, esse formam, utpote determinantia verba prioris. Modus etiam iste dicendi non probatur; quia in hoc Sacramento semper est eadem materia & forma assignanda, quia semper est vnum & idem secundum speciem; & tamen quando contrahentes simul tempore proferrent verba suorum consensusum expressiua, in Sacramento matrimonij sic facto non posset dicto modo materia & forma assignari: ergo neque quando vnus post alterum exprimit suum consensusum. Aut saltem modus iste est insufficientis, quia pro casu dicto non assignat materiam & formam.

Quartò, Sancius l. 2. disp. 5. & Suarez in 3. par. Tom. 3. disp. 2. sect. 1. & Ægidius disp. 24. dub. 3. docent, verba, aut alia signa vtriusque contrahentis exprimentis mutuum consensusum, aut quod idem est, mutuum consensusum exteriùs expressum, esse materiam & formam, secundum diuersam rationem. Esse videlicet materiam, quatenus significant mutuam corporum traditionem; & esse formam, quatenus significant mutuam corporum acceptionem: quia ut significantia mutuam traditionem, determinantur per eadem ut significantia mutuam acceptionem, sicut acceptatio determinat & perficit traditionem; quia proprium est materiae, determinari per formam; & formæ, determinare materiam. Modus iste dicendi etiam non probatur, quia est contra Eugenium IV. in suo Decreto, dum ait, omnia Sacramenta perfici rebus ut materia, & verbis ut forma; quia nomine *rerum* intelligit propriè res, ut distinctas à verbis & ab alijs signis, & nomine *verborum* intelligit propriè verba prout distincta à rebus, imò & ab alijs signis: quia quando pro causa efficiente matrimonij assignauit consensusum per verba expressum, addidit *regulariter*, quia aliquando exprimitur per nutus & scripturam; prædicti autem Doctores constitunt materiam in verbis, aut in alijs signis prout distinctis à rebus, & nõ in rebus prout distinctis à verbis & ab alijs signis. Secundò, quia essentia Sacramenti matrimonij pro materiali totali (pro quo ut sic in omnibus Sacramentis assignatur materia & forma) sita est à Christo in contractu ipso, in quo non est materia & forma ut ab his Doctoribus assignatur, sed ut postea assignabitur.

77

Quintò, Nauarrus cap. 22. n. 20. & Rebellus lib. 2. quæst. 4. sect. 3. docent, consensusum internum vtriusque esse materiam, & signa externa quibus exprimitur, esse formam. Sed etiam modus iste non probatur, quia tota materia Sacramenti humani & sensibilis nequit esse insensibilis, qualis est consensus internus.

78
Nauarrus.
Rebellus.

Sextò, Maior in 4. dist. 26. quæst. 1. docet econtrà, signa externa, exprimentia consensusum, esse materiam; & consensusum ipsum esse formam. Sed hic etiam modus non probatur, quia forma Sacramenti quoad totum suum esse, nequit esse insensibilis, ut est consensus.

Maior.

Septimò ergo Vasquez disp. 2. cap. 5. & Basilus lib. 1. cap. 7. docent, materiam in hoc Sacramento matrimonij, esse corpora contrahentium; consensusum verò, & eorum expressiones exteriores, esse formam, quod indicant Adrianus in 4. q. 1. de Matrimonio, & Couarruias 2. part. cap. 1. §. vnic. & meritò; quia Sacramentum pro materiali adæquato, quod subest significationi Sacramentali gratiæ (pro quo in omnibus Sacramentis assignatur materia & forma) in nullo alio consistit, quam in contractu ipso matrimonij: in hoc autem corpora contrahentium, & ipsorum corporum traditiones & acceptiones, utpote res circa quas versatur pactio ipsa matrimonij coalescens ex consensu & ex eius expressione, sunt materia: consensus verò, & eius expressio exterior, utpote versantes circa corpora tamquam circa materiam remotam, & circa eorum traditionem & acceptionem tamquam circa materiam proximam, sunt forma; ut contingit in reliquis contractibus, in quibus res circa quas versantur, & de quibus fiunt, sunt materia circa quam; pactio verò ipsa, seu con-

Vasquez.
Basilus.

Adrianus.
Couarru.

79

tractus ipse, est forma, quamvis in eo tantum sensu, in quo aliquid dicitur forma, quia versatur circa materiam.

80 Vnde Sacramentum matrimonij pro materiali adæquato (cui ex institutione Christi inest significatio gratiæ) intrinsicè & essentialiter tantum constat mutuo contrahentium consensu, & mutuis signis exterioribus, quibus consensus mutuus exprimitur. Quod Eugenius IV. significavit, dum non agnuit aliam causam, efficientem vinculi matrimonij, quam mutuum consensum, & eius expressionem; quia vinculum ex contractu ipso, & ex materiali adæquato Sacramenti oritur: consensus autem ex vna parte, & signa exteriora ex altera, in contractu matrimonij (sicut in quocumque alio) non se habent sicut materia & forma, sed sicut significatum & signum; corpora ergo sunt obiectum indirectum, & materia remota, circa quam contractus matrimonij; traditio verò & acceptatio corporum non verbalis, sed realis, sunt obiectum directum, & materia proxima, & simul primarius & proximus effectus ipsius contractus; ac proinde tam corpora, quam eorum traditio & acceptatio realis, sunt quid extrinsecum ipsi contractui matrimonij, & consequenter ipsi Sacramento matrimonij, adhuc sumpto pro materiali.

81 Neque hoc, quod dicimus, Sacramentum matrimonij non constare intrinsicè materia, est contra Eugenium IV. dicentem, omnia Sacramenta nova perfici rebus ut materia, & verbis ut forma; quia nomine materiæ, imò & formæ, non intelligit partes intrinsicas Sacramentis: ut constat in Sacramento Eucharistiæ, in quo pro materia assignavit panem & vinum, & pro forma, verba consecrationis; & tamen non constat intrinsicè pane & vino, imò neque verbis consecrationis, sed tantum speciebus Sacramentalibus, & ad summum etiam Corpore & Sanguine Christi, & ob id Eugenius abstinuit à verbo *constat*, quo aliquid intrinsicè denotatur, & usus est verbo *perficitur*, quo etiam denotatur aliquid extrinsecum, ut causa efficiens; & sic addidit, Sacramenta etiam perfici personam ministri, quam constat esse extrinsecam cuicumque Sacramento. Quomodo verò conditio de futuro contingenti, appolita contractui matrimonij, non obstet valori illius in ratione Sacramenti, dicimus Tractatu de Sacramentis in genere, Disputatione IV. Difficultate VI.

DIFFICULTAS XXII.

Quis sit minister in Sacramento Matrimonij.

Catherin. Catherinus Opusculo de Matrimonio q. 1. qui affirmavit, verbum illud Dei, *Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhaerabit uxori suæ*, esse formam in Sacramento matrimonij, consequenter affirmat, Deum esse ministrum in eo. Et Canus 8. de Locis, cap. 5. ad 3. qui affirmavit, verba Sacerdotis, nempe, *Ego vos coniungo*, esse formam Sacramenti matrimonij, consequenter affirmat Sacerdotem esse ministrum illius.

82 Nihilominus reliqui Doctores contra Catherinum & Canum conveniunt, ministrum in Sacramento matrimonij esse ipsos contrahentes, & non

Deum, neque Sacerdotem. Ita Sancius l. 2. disp. 6. Sancius. & Ægidius disp. 24. dub. 3. & meritò: quia ipsi contrahentes sunt qui efficiunt contractum, & non Sacerdos, neque Deus speciali aliquo modo; ergo & Sacramentum ipsum, quod in solo contractu positum est. Sunt autem ambo unus minister totalis, & duo partiales; quia sic concurrunt ad efficiendum contractum: sensus autem dictorum verborum Sacerdotis est, Ego vos declaro coniunctos, aut, Ego approbo vestram maritalem conjunctionem. Ægidius.

Et contrahentes non tantum sunt ministri, quando per se ipsos immediatè efficiunt contractum matrimonij, sed etiam quando fit per procuratores, ipsi, & non procuratores, sunt ministri, ut advertunt Vasquez disput. 3. num. 86. Vasquez. & Basiliius libr. 1. cap. 10. quia etiam tunc Basiliius. ipsi sunt qui moraliter dicuntur contrahere: quia quamvis procuratores, & non ipsi, physicè eliciant consensus, & eos expriment; quia tamen eos eliciunt & expriment virtute & commissione ipsorum principalium, & nomine eorum, & pro eis, & non nomine proprio, neque pro se ipsis; idè ipsi principales sunt, qui moraliter dicuntur absolute contrahere, & non procuratores, nisi cum addito, nempe instrumentaliter, seu ut ministri instrumentales. Dicuntur autem ministri instrumentales, non solum quia virtute & commissione principalium contrahunt, sed etiam quia pro ipsis principalibus contrahunt, eis accipientes alterum in coniugem, & non sibi. Vnde consensus, & eorum expressiones, ut fiunt à procuratoribus nomine principalium, & pro eis, & ut ad eos moraliter pertinent, dicuntur ad essentiam contractus & Sacramenti pertinere; ob quod principales, pro quibus & quorum commissione fit contractus, non tantum sunt qui moraliter dicuntur efficere contractum & Sacramentum, sed etiam contractum & Sacramentum suscipere; quia ipsi non tantum consentur moraliter consentire & verba proferre, sed etiam ea in se habere & suscipere, & non procuratores.

84 Ex quo fit, neque procuratores, neque Sacerdotem teneri esse in statu gratiæ, quando fit Sacramentum matrimonij; quia Sacerdos nullatenus illud efficit, neque suscipit; & procuratores non consentur illud efficere, neque suscipere: quia tamen ipsi principales illud efficiunt & suscipiunt, idè tenentur esse in statu gratiæ, & quia illud efficiunt, & quia illud suscipiunt. Vnde peccant mortaliter, illud in mortali celebrantes, non solum quia illud suscipiunt (in quo conveniunt Doctores) sed etiam quia illud efficiunt, ut contra Sancium disp. 6. docet Vasquez 3. par. disp. 136. Vasquez. num. 38. quia quamvis non sint ministri consecrati, sunt tamen verè ministri, & per se, ex institutione Christi, ac proinde illud in mortali efficiendo, irreverenter tractant, & non leuiter, sed graviter: imò censemus, eos tunc duplex peccatum mortale numero distinctum committere; quia quamvis illud efficere & suscipere in peccato mortali eodem modo specifico opponantur religioni, sunt tamen quasi duo actus disparati, ac proinde duo peccata numero distincta.

85 Quòd si quando matrimonium per procuratores fit, ipsi coniuges sunt ministri, multò melius erunt, quando contrahunt per epistolas & per nuntios; quia tunc ipsi sunt qui physicè consentiunt,

tiunt, imò, qui per epistolas contrahunt, etiam exprimunt consensus: ac proinde quando fit per epistolas, consensus coniugum, & scripturæ quibus exprimuntur, pertinent ad essentiam contractus & Sacramenti; & quando per nuntios, consensus coniugum, & verba nuntij nomine coniugum prolata, etiam pertinent ad essentiam contractus & Sacramenti.

Et quamvis procurator & nuntius sint instrumenta, quibus principales contrahunt; quia tamen sunt instrumenta humana, & non insensibilia, ut est scriptura, idè procurator & nuntius in amentia aut in ebrietate non possunt validè celebrare matrimonium, quidquid dicant Vasquez & Basilius, quia uterque, utpote instrumentum humanum, humano modo exercere debet officium suum.

DISPUTATIO IV.

De institutione & obligatione contractus Matrimonij.

DIFFICULTAS I.

A quo fuerit institutus contractus Matrimonij.

DIFFICULTAS non est de institutione contractus matrimonij in Sacramentum, quia huius Sacramenti institutio, sicut reliquorum nouæ Legis, absque dubio fuit à Christo Domino facta; sed est de institutione ipsius contractus ut contractus est, quo mutuum dominium corporum traditur, & est materiale adæquatam, cui ex Christi institutione inest significatio Sacramentalis gratiæ sanctificantis.

Conueniunt ergo communiter Doctores, contractum matrimonij fuisse à Deo institutum; quod tradidit Bonifacius VIII. in cap. vnico de Voto & voti redemptione, & insinuat Math. 19. illis verbis: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.*

Pro huius communis doctrinæ intelligentia obseruandum est, institutione contractus matrimonij posse dupliciter sumi: vno modo, pro ordinatione vel quasi ordinatione, qua ordinetur vel quasi ordinetur, contractum matrimonij posse fieri; altero modo, pro prima executione, vel celebratione contractus matrimonij.

Hoc ergo supposito, ut optimè Vasquez disp. 1. cap. 2. institutio contractus matrimonij, sumpta priori modo, non fuit facta à Deo, neque ab hominibus, noua aliqua voluntate, aut ordinatione superaddita creationi naturæ humanæ; sed ex natura rei, seu ex natura ipsa humana, eius creatione supposita: quia supposita hominum creatione, est in ipsis facultas ad celebrandum contractum matrimonij, seu ad permutanda corpora ad prolis generationem, independentem à noua aliqua ordinatione Dei & hominum, superaddita creationi ipsorum, non minùs quàm ad permutandas quaslibet alias res. Institutio verò contractus matrimonij sumpta posteriori modo, nempe pro prima executione seu celebratione, verè fuit facta à primis parentibus liberè consentientibus, & non à Deo independentem ab eorum consensu, ut diximus Disputatione præcedenti, Difficultate IV.

Nihilominùs Deus verè dicitur contractum matrimonij instituisse institutione utroque modo sumpta. Dicitur enim primo modo illù instituisse, quia Deus est auctor naturæ humanæ, cui eo ipso, seclusa quacumque alia superaddita ordinatione, inest facultas ad contrahendum matrimonium. Dicitur etiam posteriori modo instituisse contractum matrimonij, tum quia Deus peculiariter ex-

citauit interiùs primos parentes ad executionem seu celebrationem contractus matrimonij, quæ fuit prima; & forsan etiam exterius suafit ad id, ut deduci videtur ex eo, quòd, postquam Deus dicitur adduxisse Heuam ad Adam, statim subditur Adam in illa verba prorupisse: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* quibus Adam vel consensum præbuit ad matrimonium, vel iam factum supponebat, ut deducitur ex sequentibus verbis, *Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhaerebit uxori suæ.* ex quo apparet, Deum ad hoc adduxisse Heuam ad Adam. Tum etiam, quia eorum contractum approbavit, ei benedicendo, Genes. 1. *Crescite & multiplicamini:* quæ verba, quamuis Genes. 1. referatur, credendum est ibi per anticipationem referri, & prolata fuisse à Deo postquam Adam Genes. 2. dixerat verba iam relata.

Deus ergo dicitur contractum matrimonij instituisse, & quia est auctor naturæ humanæ, cui ex se conuenit facultas ad contrahendum matrimonium; & quia primos parentes interiùs excitauit, & forsan etiam exterius suafit ad primam celebrationem matrimonij, & quia ipsum matrimonium iam factum approbavit.

DIFFICULTAS II.

Utrum contractus Matrimonij sit licitus & honestus.

CONTRA hæreticos, qui (ut refert Vasquez disp. 1. cap. 3.) contractum matrimonij ut illicitum damnarunt, conueniunt Catholici, eum esse ex suo obiecto licitum & honestum, ut constat ex illo Math. 19. *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* & ex Paulo 1. ad Corinth. 7. *Qui matrimonio coniungit virginem suam, bene facit.* & paulò inferiùs: *Si nupserit virgo, non peccauit.* & 1. ad Timoth. 4. oppositum dicitur esse doctrinam dæmoniorum, & ex perpetua Ecclesiæ traditione, quam plures ex Patribus expresserunt, quos refert Vasquez vbi suprà. Idem quoque definitum est contra hæreticos in Concilio Gangrensi can. 1. & in Bracaren. I. can. 11. Idem quoque ratio suadet; quia contractus matrimonij est medium aptum & ordinatum ad multiplicationem generis humani, modo rationi consonum, mutua videlicet & perpetua corporum traditione.

Quòd si obijcias Augustinum lib. de Nuptijs cap. 11. & 12. vbi supponere videtur, matrimonium esse malum, dum ait, matrimonium excusari tribus bonis proprijs ipsius, nempe prole, fide, & Sacramento (id est perpetuitate seu indissol-

lubilitate, ratione cuius representat vnionē Christi cum Ecclesia factam in incarnatione) quo supponere videtur, matrimonium esse malum; quia quod non est malum, non indiget excusatione. Respondemus, matrimonium, secundum Augustinum, tribus dictis bonis excusari non à malitia seu culpa, sed ab specie seu apparentia mali, & quasi ab imprudentia; quia homo non ita cordatè contraheret matrimonium, cui sunt tot onera annexa, nisi matrimonium haberet prædicta bona, quibus onera illius compensarentur.

Plura alia obijciunt hæretici, quæ quia leuiora sunt, & facilè ex dicendis soluuntur, omitimus,

S. Thomas, eis tamen satisfacit S. Thomas quæst. 41. art. 3.

DIFFICULTAS III.

Quo fine contrahendus sit contractus Matrimonij, vt licitè contrahatur.

7 **N**on procedit difficultas de fine intendendo in vsu seu copula coniugali, quia de hoc agemus Disput. x. sed de fine intendendo in contrahendo matrimonium, vt licitè contrahatur.

Supponimus autem, duos esse fines proprios contractus matrimonij vt contractus est, nempe generationem prolis, & remedium concupiscentiæ, seu vitare fornicationem, in quos suâ naturâ ordinatur, in priorem absolutè & primariò, & in posteriorem secundariò & ex suppositione peccati Adami, ratione cuius est in nobis rebellio carnis: & præter hos duos fines posse à contrahentibus alios fines apponi ipsi contractui extraneos, vt pacem, diuitias, nobilitatem, & alia.

Hoc ergo supposito, conueniunt Doctores, licitum esse, & absque peccato, contrahere matrimonium, intendendo adhuc principaliter seu primariò generationem prolis, quia contractus matrimonij in eam primariò & principaliter ordinatur; & etiam esse licitum contrahere matrimonium, intendendo secundariò & minùs principaliter remedium concupiscentiæ, habendo pro primario fine prolis generationem, quia in hoc remedium secundariò ordinatur.

8 Est tamen difficultas, Primò, An sit licitum contrahere matrimonium, intendendo solùm aut primariò & principaliter remedium concupiscentiæ, seu vitare fornicationem.

Conueniunt Doctores, non esse peccatum mortale ex hoc fine contrahere, quamuis solùm aut primariò & principaliter intendatur.

Est tamen difficultas, An sit peccatum veniale, ex hoc fine solo aut principaliter intento contrahere.

Petrus Sotus Lect. 16. de Matrimonio docet, id esse veniale; quia aliqua videtur esse inordinatio, quamuis leuis, solùm aut primariò & principaliter ordinare matrimonium in id, in quod secundariò suâ naturâ ordinatur. Quod limitat Sancius lib. 2. disp. 29. vt tantùm sit verum, quando contrahentes secundum communem spem possunt generare filios; quia quando non possunt, non est contra rationem, solùm aut principaliter intendere remedium concupiscentiæ.

9 *Ægidius. Basilus.* Ægidius verò disp. 25. num. 17. & Basilus lib. 1. cap. 21. docent (& benè) id non esse peccatum, adhuc veniale: quod insinuat Paulus 1. ad Corinth. 7. dum nulla facta mentione ge-

nerationis, & absque distinctione aliqua contrahentium, ait, *Propter fornicationem vnusquisque suam uxorem habeat.* Et ratione probatur, quia finis iste est licitus & honestus, imò & proprius huius contractus, quamuis in eum suâ naturâ secundariò ordinetur; ergo poterit licitè iste solus intendi, aut primariò seu principaliter, à contrahente matrimonium; quia nulla lex cogit, vt opus aliquod assumatur ob finem principale: aliàs sterilis, quamuis iuuenis, non posset licitè contrahere matrimonium, quamuis graues carnis stimulos sentiat, quod est absurdum. Quòd si iuuenis sterilis potest licitè, ob vitandam fornicationem, principaliter, imò relicto fine generationis, matrimonium inire, poterit etiam qui est fecundus; quia quòd sterilis non possit generationem intendere, & fecundus possit, non sufficit vt sterilis, sine generationis relicto, possit licitè intendere principaliter vitare fornicationem, & non possit fecundus; quia contractus matrimonij in vtroque naturâ suâ ordinatur ad eosdem fines, & eodem modo: ac proinde, si ratio exigeret, vt in assumptione alicuius operis eius finis principalis principaliter intenderetur, qui non posset illum principaliter intendere (vt non potest sterilis in assumptione contractus matrimonij) non posset licitè opus illud assumere, & sterilis non posset licitè contrahere matrimonium.

Secundò est difficultas, An sit licitum contrahere matrimonium ob alios fines contractui matrimonij extraneos, aliàs licitos & honestos, vt ob pacem, ob nobilitatem, & ob diuitias.

Doctores conuenire videntur, non esse illicitum, seu peccatum, adhuc veniale, contrahere, intendendo secundariò & minùs principaliter hos fines, quando primariò intenditur prolis generatio, aut vitare fornicationem, quando hoc primariò intenditur licitè; quia in sic contrahendo nulla apparet inordinatio, quia contractus matrimonij est verè utilis ad eos fines, & aliàs sunt liciti.

Est tamen difficultas, An sit illicitum, seu peccatum, contrahere matrimonium, expressè solùm intendendo aut principaliter eos fines.

Angelus v. *Matrimonium*, 2. num. 25. Couarruias 4. *Decretal.* par. 2. cap. 1. Sancius lib. 2. disp. 29. num. 21. & Petrus Sotus vbi supra, & alij docent id esse peccatum; quia aliqua videtur esse inordinatio in eo, quòd contractus iste solùm ordinetur aut principaliter in fines ipsi extraneos; imò Angelus & Couarruias existimant id esse peccatum mortale, quia grauis irreuerentia irrogari videtur Sacramento, illud ordinando in finem extraneum.

Sotus verò in 4. dist. 20. q. 1. art. 2. Basilus lib. 1. c. 21. & Ægidius vbi supra, & plures alij docent, id non esse peccatum, & meritò; quia absque fundamento dicitur esse contra rationem, quòd assumens aliquod opus, relicto eius proprio fine, illud assumat & ordinet ad alium finem & effectum, quem possit communicare & habere dum sit licitus & honestus, quamuis minùs honestus quàm proprius, quia in hoc nulla apparet inordinatio: qui enim orationem, quæ est actus Religionis, quo Deum colimus, fundit, vt à Deo obtineat castitatem, quæ est minùs honesta quàm Religio, nihil inordinatum facit; quia verè ordinat ad id ad quod potest ordinari, & aliàs est licitum & honestum;

aliàs

10

11

Angelus. Couarru. Sancius. Pet. Sotus.

Sotus. Basilus. Ægidius.

aliàs beatissima Virgo illicitè contraxisset matrimonium, quia illud neque in prolis generationem, neque in remedium concupiscentiæ contraxit, sed ad alios fines: & etiam senes, qui iam steriles sunt, & non patiuntur graues stimulos carnis, non possent licitè contrahere matrimonium; quia ob neutrum finem proprium ex dictis contrahere possunt.

12 Qui autem contrahit matrimonium ob fines ei extraneos, non ordinat illud vt Sacramentum in prædictos fines, sed vt contractum, in quo nullam irrogat iniuriam Sacramento; imò neque ei irrogabit, quamuis illud vt Sacramentum in illos ordinet, dum positiuè non excludat finem recipiendi gratiam (quem nullus excludit;) quia in hoc grauem ei irrogaret iniuriam, & mortale peccatum sacrilegij committeret.

DIFFICULTAS IV.

*Vtrum contractus Matrimonij sit
& fuerit sub præcepto.*

13 IN primis Catholici contra hæreticos conueniunt, post sufficientem mundi propagationem, & repletionem terræ, singulos non obligari quasi in actu secundo ad matrimonium, vt constat ex Christo Domino, qui Matth. 19. consuluit perpetuam continentiam; & ex Paulo, qui 1. ad Corinth. 7. consuluit virginitatem; & subdit, *Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit; & qui non iungit, melius facit;* de quo legendus est Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 21.

Bellarmin

Secundò conueniunt Doctores, in principio mundi, & in principio reparationis illius post diluuium, fuisse præceptum, quo singuli etiam in actu secundo obligabantur ad contrahendum matrimonium, vt mundus propagaretur: erat autem præceptum illud naturale, & non diuinum, vt contra Egidium disp. 25. num. 7. & contra Ochaguiam docent communiter Doctores. Erat autem naturale, quia tunc non contrahere matrimonium, erat contra rationem; quia tunc ratio exigebat propagationem generis humani, quod absque matrimonio non poterat licitè propagari: & non erat diuinum, quia non constat, Deum id præcepisse; quia si aliquibus verbis, maximè illis Gen. 1. & 9. *Crescite & multiplicamini;* eis tamen non præcepit, quia non sunt verba præceptiua, quamuis eis inlinuatum fuerit dictum præceptum naturale.

14

Est tamè difficultas, An dictum præceptum cessauerit, genere humano sufficienter multiplicato.

Scotus.
Richardus.
Bonauen.

Scotus in 4. dist. 26. quæst. 1. Richardus art. 3. q. 3. & Bonauentura art. 1. q. 3. affirmant, quia cessauit paucitas hominum, ob quam erat dictum præceptum. Sed S. Thomas in 4. disp. 26. quæst. 1. Sancius lib. 2. disp. 3. & Vasquez disp. 1. negant, quia dictum præceptum est naturale, quod, vt potestum in ratione, seu natura rationali vt rationalis est, cessare non potest.

S. Thomas.
Sancius.
Vasquez.

Circa hanc tamen difficultatem, circa quam dicti Doctores forsan re ipsa non discrepant, existimamus, dictum præceptum non cessasse in actu

primo, seu quoad vim obligandi, quod solùm vult S. Thomas & eius sequaces; cessasse tamen quoad eius obligationem, seu actum secundum obligandi, quod forsan solùm voluit Scotus & ei adherentes.

Et in primis, non cessasse quoad eius vim obligandi pro suo tēpore, nempe pro tempore necessitatis propagationis generis humani, probatur; quia in ratione, seu natura rationali vt est rationalis, est vis ad obligandum, quando sit paucitas hominū, in quo consistit ratio dicti præcepti. Quod verò eius actus obligandi, seu obligatio in actu secundo cessauerit, constat; quia genere humano multiplicato, nullus in actu secundo tenetur ad contrahendum matrimonium, quia vis dicti præcepti tantum est ad obligandum in actu secundo, quando sit necessitas propagationis.

15

Pro huius autem maiori intelligentia obseruandum est, hoc esse discrimen inter præcepta affirmatiua siue naturalia, siue positiua ex vna parte, & inter negatiua ex altera, quod præceptum affirmatiuum regulariter potest esse, & eius vis ad obligandum perseverare, cessante eius obligatione, seu actu secundo obligandi: præceptum verò negatiuum regulariter semper obligat in actu secundo, quamdiu ipsum & eius vis obligandi perseverat, & id est quod communiter dicitur, præcepta negatiua obligare semper & pro semper. Obligant quidem semper, quia semper habent vim obligandi; & obligant pro semper, quia semper obligant in actu secundo. Præcepta verò affirmatiua obligare semper, sed non pro semper; quia quamuis semper habeant vim obligandi, non tamen obligant semper in actu secundo: præceptum enim audiendi Missam, quod affirmatiuum est, semper, quamdiu non abrogatur, etiam in die non festo, habet vim obligandi, sed non obligat in actu secundo, nisi in die festo: præceptum verò non mentiendi, quod est negatiuum, semper habet vim obligandi, & etiam semper obligat in actu secundo, quia eo semper tenemur & obligamur. Ad didimus *regulariter*, quia aliquod affirmatiuum etiam obligat pro semper, vt præceptum restituendi; & aliquod negatiuum non obligat pro semper, vt præceptum ieiunandi, seu non comedendi carnes, & plusquam semel in die.

16

Sed an, omnibus pereuntibus præter Religiosos, tenerentur isti in actu secundo ad contrahendum matrimonium, sub controuersia est; quia Sancius & plures alij affirmant, quia in eo euentu esset necessitas propagationis generis humani: Vasquez verò & plures alij negant, quia tunc credendum esset finem mundi instare, in quo necessaria non erit hominum propagatio.

Sancius.

Vasquez.

Nihilominus in calu ficto respondemus sub distinctione; nempe partem negatiuam (quam tuetur Vasquez) esse veram, quando ex signis in Scriptura traditis prudentissimè conijceretur finis sæculi, in quo necessaria non erit hominum propagatio. Partem verò affirmatiuam esse veram, quando præter fictam hominum paucitatem non essent alia signa consummationis sæculi; quia paucitas illa absque alijs signis non sufficeret ad prudenter conijciendum finem sæculi.

17

DISPUTATIO V.

De Matrimonio clandestino.

DIFFICULTAS I.

Vtrum Matrimonium clandestinum sit illicitum.

MATRIMONIUM dicitur simpliciter & absolute clandestinum (id est clam seu occulte contractum) quod contrahitur absque testibus sufficientibus ad plenam probationem illius; quia eo ipso nequit Ecclesiae constare de factu testium sufficientium. Matrimonium verò quod coram testibus sufficientibus celebratur, sed absque praemissis denuntiationibus, non dicitur simpliciter clandestinum, quia potest Ecclesiae constare: dicitur tamen clandestinum secundum quid, quia est aliquo modo occultum, quia non est iuridice denuntiatum, seu publicum. Haec ergo difficultas procedit de clandestino priori modo, id est absque testibus sufficientibus (qui modò, ubi Tridentinum viget, sunt Parochus & alij duo) quia de clandestino posteriori modo postea dicemus.

2 Circa praesentem ergo difficultatem conveniunt Doctores, matrimonium clandestinum, id est celebratum absque Parocho & alijs, esse illicitum, quia est prohibitum Iure Ecclesiastico Tridentini sess. 24. cap. 1. de Reformat. matrimon. imò antiquitus 30. q. 1. can. 1. & 2. in cap. fin. de Clandestina desponsatione, etiam erat prohibitum matrimonium clandestinum, id est factum absque testibus: imò in dicto can. 2. videtur prohibitum fieri absque praesentia Sacerdotis, ubi videtur esse sermo de Sacerdote proprio, id est proprio Parocho. Quòd si illicitum est, & peccatum, contrahere absque Parocho & alijs, ubi Tridentinum viget, & absque testibus ubi non viget, erit peccatum mortale; quia id est quid graue, & non parvi momenti.

Est tamen difficultas, An, secluso Iure positivo, contrahere matrimonium clandestinè absque testibus, sit illicitum Iure naturali. Non addimus, absque Parocho, quia certum est, praesentiam illius non requiri Iure naturali.

3 Sancius ergo l. 3. disp. 3. Petrus Sotus, & Vera-cruz partem affirmatiuam tuentur; quia cõtrahere absque testibus est expositum periculo deferendi proprium coniugem, & transeundi ad alias nuptias, quod est maximè nociuum ipsis coniugibus, & proli, & paci Reipublicae.

Ægidius verò disp. 27. dub. 1. Dominicus Sotus, & Caietanus partem negatiuam tradunt, & meritò: quia si contrahere matrimonium absque testibus, esset Iure naturali illicitum, maximè quia sic contrahentes exponuntur dicto periculo; sed regulariter non exponuntur, quia quamuis aliquando in aliquibus ob eorum peculiarem malitiam aut fragilitatem sit dictum periculum, non tamen in omnibus, neque semper, in malis & fragilibus: imò in his potest subueniri dicto periculo paulò post celebrationem matrimonij, illud publicando, & alijs vijs: ergo sic contrahere non est Iure naturali seu ex natura rei illicitum, cum ex na-

tura rei non sit ipsi dictum periculum annexum; quia hoc tantum est aliquando, & non in omnibus, sed in aliquibus, & in his potest dicto periculo alià viâ obuiari.

DIFFICULTAS II.

Vtrum Matrimonium clandestinum sit irritum, seu nullum.

4 **P**ROCEDIT difficultas de matrimonio clandestino absque testibus factò; quia clandestinum absque praemissis denuntiationibus factum, quamuis prohibitum sit à Tridentino, imò Iure antiquo prohibitum fuerit, absque aliqua denuntiatione praemissa fieri, non tamen est irritum, quia nullibi irritatur.

Circa hanc difficultatem certum est, matrimonium clandestinum, absque Parocho aut alio Sacerdote de Parochi aut Ordinarij licentia, & absque alijs testibus, saltem duobus, esse nullum & irritum post Tridentinum, ubi publicatum & receptum est; quia ab ipso sess. 24. cap. 1. de Reformatione matrimonij, irritatur, non requiringo nouam materiam, neque nouam formam, neque nouum ministrum ad Sacramentum matrimonij, quia Ecclesia nequit id efficere; sed irritando contractum ipsum ciuilem (cui, quando validus est ex Christi institutione, conuenit ratio Sacramenti) & personas inhabiles reddendo ad aliter contrahendum.

5 Et ferè certum est, nullum matrimonium clandestinum, siue absque testibus, siue absque praemissis denuntiationibus, siue absque utroque, fuisse irritum & inualidum ante Tridentinum, nec in primis Ecclesiae temporibus (quidquid dicat Basilius lib. 5. cap. 3.) vt satis indicatur in principio dicti capituli, dum dicitur: *Quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit.* quod etiam infra supponit dum ait, Matrimonium clandestinum semper fuisse prohibitum ab Ecclesia, & hanc prohibitionem iam non prodesse; & dum postea illud absque praesentia Parochi & aliorum testium factum irritat. Vnde modò matrimonium clandestinum etiam absque Parocho & alijs testibus non erit irritum, ubi Tridentinum non viget. In can. autem 1. 30. quaest. 5. ubi matrimonia clandestina (id est absque testibus facta) appellantur stupra, & contubernia, & non legitima, sic appellantur quoad praesumptionem; quia Ecclesia non praesumit esse, aut fieri, quod ipsi occultatur, quando est contra legem ipsius, vt erat matrimonium clandestinum.

6 Est tamen difficultas, An matrimonium clandestinum absque Parocho & alijs testibus, quod post Tridentinum, ubi viget, est inualidum, saltem valeat vt sponsalia, & obliget ad contrahendum.

Ægidius disp. 21. dub. 4. & Henriquez l. 11. c. 5. Ægidius partem affirmatiuam tuentur (imò addit Henriquez Henricus id declarasse Congregationem Cardinalium) quia, vt dicitur in cap. vnico de Desponsat. impuberum, in 6. matrimonium impuberum, quod est nullum, efficit obligationem sponsalitiã; quia actus, qui non

non valet vt agitur, valet tamen vt potest. Ergo vbi matrimonium dicto modo clandestinum non valet post Tridentinum, vt matrimonium, valebit vt contractus sponsalitijs.

Sancius. Gutierrez. Sancius verò lib. 1. disp. 20. & Gutierrez de Iuramento 1. par. cap. 5. partem negatiuam tradunt, & merito; quod etiam declarauit Congregatio Cardinalium apud Rebellum num. 59. Ex quo deducitur, relationem Henriquez esse falsam, qui forsitan deceptus fuit ex eo, quòd id declarauit de matrimonio clandestino impuberum. Ratio autem est, quia dictum matrimonium clandestinum non obligat Iure naturali tamquam contractus sponsalitijs; quia verba de presenti, qualia sunt matrimonij, nullam continent promissionem futuri, adhuc implicite, vt patet; neque Iure aliquo positiuo obligat tamquam contractus sponsalitijs; quia nullum extat, nisi pro matrimonio impuberum etiam publico, & non pro matrimonio puberum, de quo loquimur. Quod etiam est verum, quatinus matrimonium puberum clandestinum sit iuratum; quia iuramentum tantum cadit supra valorè proprium ipsius contractus ad illum confirmandum; ac proinde, quando cadit supra contractum nullum, non validat illud.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, ex matrimonio nullo impuberum, siue clandestino siue publico, oriri obligationem sponsalitijs ex sola dispositione Iuris positiuo, vt constat ex dicto cap. vnico, quæ non extat pro matrimonio nullo puberum. Et ad probationem negamus, in dicto cap. inferri, matrimonium impuberum nullum valere vt contractum sponsalitijs, ex eo, quòd actus, qui non valet vt agitur, valeat vt potest; quasi ibi supponatur, verba de presenti ex seipsis etiam valere ad obligationem sponsalitijs, quia in eo cap. absque illatione aliqua dicitur, matrimonium impuberum interpretatione Iuris esse sponsalitijs de futuro; sed in eo cap. ex eo quòd contractus matrimonij impuberum, qui non valuit vt agebatur, sed vt ex Iuris dispositione potuit, nempe vt sponsalitijs, inferitur, inducere impedimentum publicæ honestatis, quod oritur ex sponsalitijs.

DIFFICULTAS III.

Vtrum Matrimonium clandestinum absq; Parocho & alijs testibus post Tridentinum sit aliquando validum.

9 **C**onueniunt Doctores, matrimonium clandestinum absque Parocho & alijs testibus, validè celebrari in locis, in quibus Tridentinum non est publicatum, vt constat ex ipso sess. 24. c. 1. de Reform. matrim. imò etiam vbi non est receptum, quamuis sit publicatum, quia eo ipso eius leges receptæ non sunt: & etiam celebrari validè, quando Pontifex dispensat in dicta Parocho & aliorum testium assistentia, quia est supra Concilium: & etiam quando celebratur à non baptizatis, quamuis temporaliter subditis Ecclesiæ, & habitantibus vbi Tridentinum est receptum, quia leges merè Ecclesiasticæ (vt est prædicta Tridentini) tantum comprehendunt eos qui sunt intra Ecclesiam, & ei spiritualiter subiecti.

Est tamen difficultas, Primò, an quando absq; graui incommodo, siue in articulo mortis, siue extra, nequit matrimonium omitti aut differri, & Pa-

rochus nequit haberi, inualidè absque eo celebretur. Nominè autem Parocho etiam comprehenditur eius Vicem-tenens.

Vera-cruz in Appendice ad Speculum, dub. 4. *Vera-cruz. Vega.* & Vega in Summa l. 3. casu 361. docent, in casu dicto validè fieri matrimonium absq; Parocho, dum fiat coram alijs testibus; quia lex positiuæ, præsertim humana, non obligat cum graui incommodo, vt constat in lege audiendi Missam, & in lege ieiunandi, & in lege recitandi diuinum Officium; ergo etiam lex requirens assistentiã Parocho, non habet vim, quando imminet graue aliquod incommodum.

Sancius verò lib. 3. disp. 17. *Ægidius 27. dub. 1.* & Basilius l. 5. c. 6. docent, in casu dicto non fieri validè matrimonium absque Parocho, quamuis fiat coram multis alijs testibus, & merito: quia Tridentinum absolute & absque limitatione irritat matrimonium absque Parocho celebratum, & reddit personæ inhabiles ad sic contrahendum: ergo personæ nulla necessitate possunt fieri habiles; nec matrimonium validum absque assistentiã Parocho; quia quamuis vrgens necessitas excuset ab obligatione legis præcipientis aut prohibentis, adhuc diuinæ, non tamen efficit habilem aliàs lege in habilem, neque efficit validum, quod aliàs lege irritante est nullum, vt constat in lege irritante matrimonium inter consanguineos intra quartum gradum, quæ nulla necessitate absque dispensatione euascescit. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Addit *Ægidius*, matrimonium validè fieri in oppidis vbi nequit haberi Parochus, nec aditi in locis proximis: quod ait Clementem VIII. declarasse, quod nos, dicta declaratione seclusa, falsum existimamus, ob rationem dictam, eã tamen suppositã, verum. Addimus, si hæc declaratio facta est (vt credi potest *Ægidio* eam referenti) non fuisse puram declarationem, sed fuisse dispensationem in dicta lege Tridentini pro eo casu.

Secundo est difficultas, An quando contrahentes inuincibiliter ignorant dictam legem irritantem Tridentini, validè contrahant absque Parocho & alijs testibus.

Non desunt (vt refert *Ægidius* vbi supra) qui partem affirmatiuam tueantur; quia lex non obligat ignorantes inuincibiliter, quamuis irritatoria sit, si irritatio & inhabilitas imponatur vt pœna, vt imponi videtur in dicta lege Tridentini; quia eo ipso, quòd ignorantia inuincibilis excusat à culpa, etiam excusat à pœna, quæ tantum infligitur ob culpam.

Sancius verò & *Ægidius* vbi supra, & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & merito: quia quamuis ignorantia inuincibilis excuset à culpa actum contra legem præcipientem aut prohibentem, quia auferi scientiam requisitam ad voluntarium, absque quo nequit esse culpa; non tamen excusat actum contra legem irritantem à nullitate, quæ contrahitur ex defectu solemnitatis ad valorem actus requisitæ ex lege; quia ignorantia, quamuis inuincibilis, non supplet solemnitatem ex lege requisitam ad valorem actus.

Nullitas autem, quæ à Tridentino dicta lege includitur, non inducitur in pœnam; quia non inducitur ad puniendos contrahentes clandestinè, sed tantum in odium matrimonij clandestini, ne valeat absque dicta assistentiã, ob inconuenientia quæ ex eo oriri possunt.

DIFFICULTAS IV.

Vtrum Christiani, incole locorum in quibus Tridentinum obligat, validè contrahant absque Parocho & alijs testibus in alijs locis in quibus non obligat.

13 **C**onueniunt Doctores, incolas locorum in quibus Tridentinum obligat, quando vadunt ad loca in quibus non obligat, validè in his contrahere matrimonium absque Parocho & alijs testibus, quando ad ea vadunt animo constituendi in eis domicilium; quia ex tunc censentur parochiani eorum locorum, & non illorum quæ deserunt.

Est tamen difficultas, An validè contrahant, quando ad ea vadunt per modum hospitij, aut transitus.

Henriq. Rodriguez. Vasquez. Henriquez 11. de Matrimonio cap. 3. & Rodriguez tom. 1. cap. 219. partem negatiuam tuentur, quam etiam tenuit Vasquez, quia prædicti iam sunt adstricti decreto Tridentini, vigente in sua parochia, & eo facti sunt inhabiles ad sic contrahendum.

14 Sancius verò libr. 3. disp. 18. Ægidius disp. 27. dub. 1. Rebellus lib. 2. quæst. 7. sect. 3. & Basilius lib. 5. cap. 9. partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia contrahentes quoad contractus fortiuntur forum loci in quo contrahunt, & iuxta leges talis loci contracturi sunt, vt constat ex cap. vlt. de Foro compet. & ex L. Si fundus. ff. De euitio-nibus, & ex Iure seu ratione naturali, quæ dicitur viuendum esse more loci in quo viuatur, præsertim quoad contractus: ergo qui contrahunt in locis vbi decretum Tridentini non viget, validè contrahunt absque Parocho & alijs testibus.

Et ob eandem rationem incolæ loci, in quo decretum Tridentini non viget, inualidè contrahunt absque Parocho & alijs testibus in loco vbi viget.

Ad rationem ergo aduersariorum responde-mus, quòd quamuis dictæ personæ decreto Tri-dentini fuerint alstrictæ, & factæ inhabiles, non tamen vniuersaliter, sed tantum pro locis in quibus habebant domicilium quando receptum fuit; quia prædicta inhabilitas non fuit absolutè contracta, & quasi personalis, sed tantum legalis ex lege inhabilitante, ac proinde cessat vbi & quando lex cessat.

Sancius. Rebellus. Ægidius. Addimus (vt contra non paucos docent Sancius, & Rebellus, & Ægidius) incolas loci in quo Tridentinum viget, validè contrahere absque Parocho & alijs testibus, in loco in quo non viget, quamuis contrahentes profecti fuerint ad illum locum eo fine vt clandestinè contrahant; quia quamuis ad eum proficiscantur, vt non obligentur dicto decreto obligante in loco cuius sunt incolæ, non ob id obligantur in alio loco ad quem sunt profecti, nec id dicitur fieri in fraudem legis; quia ius habent eundi ad illum alium locum: qui autem vitur iure suo, non facit fraudem.

15

DIFFICULTAS V.

Vtrum Christiani in prouincijs infidelium, vbi non sunt parochiæ in quibus Tridentinum potuerit publicari, validè contrahant absque Parocho & alijs testibus.

16 **N**on procedit difficultas de Christianis habitantibus in Prouincijs infidelium, & in eis natis in quibus Tridentinum non fuit publicatum, quia isti validè contrahunt absque Parocho & alijs testibus; quia decretum Tridentini in eis prouincijs non habet vim ex defectu publicationis ab ipso Tridentino requisitæ ad id: neque procedit de Christianis captiuis, & mercatoribus, & quibuscumque alijs habitantibus in dictis prouincijs, & natis in prouincijs Christianorum in quibus Tridentinum non est publicatum, nec viget; quia etiam isti validè contrahunt absque Parocho & testibus, quia Tridentinum non habet vim in suis prouincijs, neque in prouincijs infidelium in quibus habitant.

Difficultas tantum procedit de Christianis habitantibus in prouincijs infidelium, & natis in prouincijs vbi Tridentinum viget.

Petrus Ledesma quæst. 45. art. 5. absolutè docet, dictos Christianos non contrahere validè absque Parocho & alijs testibus; quia non habent parochiam nisi in propria prouincia in qua nati sunt, & in ea decretum Tridentini obligat: & id approbat Henriquez lib. 11. cap. 3. quando dicti Christiani habitant in dictis prouincijs infidelium absque animo ibi permanendi; quia tunc retinent parochiam in propria prouincia, in qua decretum Tridentini obligat: id quoque approbat Vera-cruz, & approbat Vasquez, quando ante profectum dictorum Christianorum ad infideles, decretum Tridentini vigeat in sua prouincia & parochia.

Sancius verò libr. 3. disp. 18. Rebellus lib. 2. q. 7. sect. 3. Basilius lib. 5. cap. 9. absolutè docent, dictos Christianos validè contrahere absque Parocho & alijs testibus, quamuis sint in prouincijs infidelium absque animo in eis permanendi, & quamuis profecti fuerint ad illas post receptionem decreti Tridentini in sua prouincia; & meritò: quia contrahentes quoad contractus fortiuntur forum loci in quo contrahunt, & tantum legibus illius contracturi sunt, quamuis tantum transeunter, & per modum hospitij sint in eo loco (vt diximus Difficultate præcedenti;) ergo prædicti validè contrahunt matrimonium absque Parocho & alijs testibus in dictis prouincijs infidelium; quia in eis non viget decretum Tridentini, quamuis etiam ante profectum vigerit in propria parochia, & hanc retineant.

DIFFICULTAS VI.

Quis Parochus sit sufficiens vt assistat Matrimonio.

17 **D**icitur quis aliquem habere in Parochum, quando in parochia illius habet domicilium, aut quasi domicilium. Dicitur autem quis habere domi-

16

17

18

domicilium in eo loco, in quo habitat animo ibi perpetuò permanendi, etiam quando incipit habitare: quasi domicilium verò, in eo loco in quo habitat, animo permanendi per medietatem anni parum plus minùsve (ut scholastici in Vniuersitatibus, & mercatores in alienis oppidis) etiam quando incipit habitare. Vnde qui extra proprium domicilium minore tempore in alio loco habitat tanquam hospes, seu animo citò redeundi, non habet alium Parochum adhuc in ordine ad matrimonium, quam Parochum sui domicilij aut quasi domicilij, vt contra Basilium lib. 5. cap. 17. & contra Sà v. *Parochus*. num. 2. (qui existimant, modicam siue breuem habitationem in parochia alicuius, quamuis solius recreationis causâ factam, sufficere vt quis in ordine ad matrimonium habeat illum vt Parochum) docent Sancius lib. 3. disp. 23. & Menochius Consilio 378.

Sancius.
Menoch.

Hoc ergo supposito, certum est, Parochum vtriusque contrahentis sufficientem esse, vt validè assistat matrimonio factò in sua propria parochia; quia assistentia huius Parochi omnino satisficit decreto Tridentini, quo requiritur assistentia proprij Parochi.

20

Est tamen difficultas, An quando quilibet contrahens pertinet ad diuersam parochiam, seu habet diuersum Parochum, sufficiat Parochus cuiuslibet.

Conueniunt Doctores, ad valorem matrimonij sufficere Parochum illius contrahentis, in cuius parochia celebratur; quia ex vna parte Tridentinum vnum tantum exigit Parochum, & ex altera, si aliquis sufficit, maximè ille in cuius parochia matrimonium celebratur. Et id declarauit Congregatio Cardinaliù, & approbauit Gregorius XIII.

Gre. XIII.

Est tamen difficultas Primò, An sufficiat Parochus vnus contrahentis, quando matrimonium celebratur in parochia alterius.

Nauarrus.
Salzedo.
Basilus.

Nauarrus lib. 4. Conf. in 1. edit. tit. de Sponsalibus, Conf. 52. Salzedo in Pract. cap. 73. in noua editione, & Basilus lib. 5. c. 16. partem negatiuam tuentur, quam videtur declarasse Congregatio Cardinalium, dum ait: *Quando matrimonium contrahitur inter virum & mulierem diuersarum parochiarum, sufficit Parochus viri in eius parochia, & Parochus mulieris in eius parochia.* quibus verbis supponi videtur, non sufficere Parochum vnus in parochia alterius. Et ratione probatur, quia Parochus in cuius parochia matrimonium celebratur, est magis proprius, quia est proprius vnus contrahentis, & respectu parochiæ; ergo ad eum potiori ratione pertinet assistere matrimonio celebrato in sua parochia, quam ad alterum.

21

Sancius.
Henriq.
Ægidius.

Sancius verò lib. 3. disp. 19. Henriquez 11. de Matrimonio c. 3. & Ægidius disp. 27. dub. 2. partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia assistentiã dicti Parochi verè satisficit decreto Tridentini; quia assistit proprius Parochus, quamuis sit vnus tantum, & in parochia alterius. Ex eo autem, quòd fiat in parochia alterius, tantum fit, ad hunc alterum potiori ratione pertinere assistere dicto matrimonio, quòd non tollit sufficienter pertinere ad dictum Parochum, cum sit verè proprius Parochus. In declaratione autem Cardinalium pro aduersarijs adducta, tantum affirmatur, sufficere Parochum contrahentis in cuius parochia celebratur; non tamen negatur, sufficere Parochum alterius.

Secundò est difficultas, An sufficiat assistentia

Parochi vnus aut vtriusque contrahentis in neutrius parochia.

Nauarrus & Basilus partem negatiuam tuentur, quia Tridentinum videtur requirere assistentiam Parochi vt est persona publica; Parochus autem extra suam parochiam & territorium non est persona publica, sed priuata, vt constat ex L. 3. De officio præsidis.

22
Nauarrus.
Basilus.

Sancius verò & Ægidius partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia assistentia Parochi, quamuis extra parochiam vtriusque contrahentis, satisficit decreto Tridentini; quia verè assistit proprius Parochus vnus vel vtriusque, ac proinde vt persona publica ad dictum effectum. In dicta verò L. 3. tantum significatur, iudicem extra suum territorium non esse personam publicam quoad iurisdictionem contentiosam, qua constituitur iudex exterior, de quibus est sermo.

Sancius.
Ægidius.

Addimus, Parochum extra suam parochiam non solùm assistere validè, vt dictum est, sed etiam licitè, vt contra Henriquez docent Sancius & Ægidius, quia hæc assistentia non est actus pertinens ad iurisdictionem contentiosam, imò neque ad voluntariam. Nilominus non poterit licitè in aliena parochia denuntiationes seu admonitiones facere, neque solemnem benedictionem, quia hæc exigunt externum strepitum, qui est superioribus in alieno territorio prohibitus.

Sancius.
Ægidius.

DIFFICULTAS VII.

Vtrum Parochus, & qui de eius licentiã assistit matrimonio, debeat esse Sacerdos.

Circa prius Rodriguez Tom. 1. c. 219. Salzedo in Pract. & Siluius docent, Parochum debere esse Sacerdotem, vt validè assistat matrimonio. Quòd deduci videtur ex dicto decreto Tridentini, dum dicitur, *Qui aliter quam præseente Parocho, vel alio Sacerdote*: quia particula *alio* denotari videtur, personam antecedentem esse similis qualitatis, ac est persona cui adiungitur. Et confirmatur, quia antiquissimo Ecclesiæ ritu nuptijs ex præcepto adhibendus erat Sacerdos, vt patet ex 30. q. 5. ergo Parochus, quem Tridentinum requirit, etiam debet esse Sacerdos.

23
Rodriguez.
Salzedo.
Siluius.

Sancius verò lib. 3. disp. 20. Ægidius disp. 27. dub. 2. Henriquez 11. de Matrimonio, cap. 3. & Basilus cap. 17. docent, Parochum nõ debere esse Sacerdotem, & meritò: quia Parocho non Sacerdote sufficienter satisficit decreto Tridentini, tantum requirentis Parochum, quia particula *alio* non semper denotatur personam antecedentem esse similis qualitatis, vt constat ex illo Luc. 23. *Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo.*

24
Sancius.
Ægidius.
Henriq.
Basilus.

Et quamuis antiquo iure necessaria esset præsentia Sacerdotis, imò Parochi, vt licitè fieret matrimonium, non fit, etiam nunc necessariam esse præsentiam Parochi Sacerdotis ad valorem matrimonij; quia modò ad hunc non requiritur nisi Parochus (qui esse potest, quamuis non sit Sacerdos:) imò nec est necessaria, vt licitè fiat, vt contra Petrum Ledesimam docent Sancius & Basilus, quia decreto Tridentini, quòd corrigit Ius illud antiquum, id non requiritur.

Sancius.
Basilus.

Circa posterius conueniunt Doctores, ad valorem matrimonij necessarium esse, eum, qui ex Parochi aut Ordinarij licentiã assistit matrimonio,

25

esse Sacerdotem, quia id expressè requirit Tridentinum, sed non esse necessarium, quòd sit approbatus ab Ordinario; quia id nullibi requiritur, sicut requiritur ad audiendas confessiones secularium.

DIFFICULTAS VIII.

Utrum Parochus excommunicatus validè assistat Matrimonio.

Conueniunt Doctores, post Concilium Constantiense Parochum excommunicatū non denuntiatur, nec excommunicatum ob notoriam percussorem Clerici (qui dicitur excommunicatus toleratus) validè assistere matrimonio, & validè conferre licentiā alteri Sacerdoti ad assistendum.

Est tamen difficultas de Parocho excommunicato aut denuntiato, aut ob notoriā percussorem Clerici, qui dicitur non toleratus. Primò, An validè assistat matrimonio.

26 Conueniunt communiter Doctores, Parochum excommunicatum, quamuis non toleratum, validè assistere matrimonio. Ita Sancius lib. 3. d. 2. Henriquez cap. 3. Ægidius disp. 27. dub. 2. & Basiliius c. 17. quia assistere matrimonio non est actus iurisdictionis, aliā assistentia coacta non sufficeret: imò neque est actus testis, quia assistere non est testificari; sed tantum est actus, ratione cuius fit quis conscius, & potens testificari: ergo quamuis excommunicatus non toleratus nequeat actum iurisdictionis Ecclesiasticæ validè exercere, & quamuis non possit validè testificari, poterit tamen validè assistere matrimonio; quia excommunicatus, quamuis non toleratus, nullibi priuatur potestate assistendi.

Sancius.
Henriq.
Ægidius.
Basiliius.

Secundò est difficultas, An Parochus excommunicatus non toleratus validè licentiam confert Sacerdoti, vt assistat matrimonio.

Petrus Ledesma q. 45. art. 9. punct. 3. dub. 4. & Ægidius vbi supra, partem negatiuam tuerunt; quia conferre licentiam ad assistendum matrimonio, est actus iurisdictionis Ecclesiasticæ, qua dictus excommunicatus priuatus est; quia est actus potestatis Parochi, & non Ordinis, vt patet, ac proinde est iurisdictionis.

27 Sancius verò, Basiliius, Henriquez vbi supra, & Rebellus lib. 2. quæst. 8. partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia collatio dictæ licentiæ non est actus iurisdictionis, quia non est institutio Iudicis, sed tantum est quædam designatio spectatoris matrimonij, vt possit de eo testificari, facta ex ordinatione Tridentini, à quo Sacerdos, dicta designatione supposita, accipit potestatem ad id, & non à Parocho; quia ea supposita, Sacerdos qualificatur à Tridentino ad id, sicut & ipse Parochus, & non à Parocho. Vnde collatio dictæ licentiæ non est actus potestatis Parochi vt Parochus est, sed est actus auctoritatis à Tridentino annexæ officio Parochi.

Obseruandum est, Parochum excommunicatum, quamuis non toleratum, non tantum validè (vt diximus) sed etiam licitè assistere matrimonio, & conferre licentiam ad id, vt contra Basilium aduertit Sancius, quia quamuis in his duobus communicet cum alijs, id tamen efficit ob vilitatem, imò ob necessitatem contrahentium: quia absque eo, aut absque eius licentia nequeunt con-

Sancius.

trahere; vnde nec ipsi contrahentes peccant dum coram illo contrahunt. Si tamē Parochus ab Episcopo, aut ab alio competente Iudice prohibitus sit assistere matrimonio, aut licentiam conferre, si id efficiat, quamuis peccet, validè tamen efficiet; quia simplici prohibitione non priuatur dicta potestate, imò priuari nequit quamdiu manet Parochus (quamuis sit ad nutum amobilis) nisi à Papa, aut à Concilio generali; quia ab his accipit potestatem ad dicta absque subordinatione ad Episcopum, quoad eorum valorem: quando verò Parochus tantum est prohibitus Sacramenta administrare, potest validè & licitè assistere matrimonio, & licentiam ad id conferre, quia neutrum est Sacramentum administrare.

Et nō solum verus Parochus validè assistit matrimonio, & licentiam confert ad id, sed etiam qui verè non est Parochus, dum habeat titulum coloratum Parochi, id est, dum habeat titulum Parochi à legitimo Superiore, quem occultè amisit, aut à principio verè non accepit, ob occultum impedimentum, & dum communi errore credatur habere titulum; quia tunc Ecclesia ob commune bonum confert potestatem ad validè exercendum officium Parochi, vt generaliter contingit omnibus Iudicibus & Officialibus habentibus dictum titulum coloratum, & existente dicto errore, iuxta L. Barbarius. ff. De officio Prætoris.

28

29

DIFFICULTAS IX.

Quis præter Parochum possit assistere Matrimonio, & licentiam assistendi concedere Sacerdoti.

Conueniunt Doctores, in primis, Romanum Pontificem posse in tota Ecclesia matrimonio assistere, & alteri licentiam ad id conferre, vt patet. Secundò, Episcopum in sua diocesi non solum posse licentiam conferre Sacerdoti vt assistat matrimonio (quia verè est Ordinarius in illa) sed etiam posse matrimonio assistere; quia est Parochus superior, aut Parochus superior. Tertiò, idem posse omnes habentes Episcopalem iurisdictionem, respectu eorum in quos eam habent, vt Abbates Ecclesiarum nulli Episcopo subiectarum, quia sunt ordinarij in eis. Quartò, idem posse Capitulum sede vacante, quia succedit Episcopo quoad iurisdictionem ordinariam, cui est annexa dicta facultas. Quintò, idem posse Legatum à latere Pontificis in prouincia sue legationis, quia est Ordinarius in ea, vt constat ex cap. 2. de Officio Legati, in 6. Tandem sextò, idem posse Cardinales in Ecclesijs sui tituli, quia sunt in eis ordinarij, imò etiam Parochi immediati.

Conueniunt Secundò, Archiepiscopum non posse assistere matrimonio subditorum sui Suffraganei, neque ad id licentiam concedere, quia non est Ordinarius illorum: posse tamen, dum actu visitat diocesim Suffraganei, quia tunc habet iurisdictionem ordinariam; & etiam posse, quando nolente Suffraganeo aliquos maritaliter coniungi, ad ipsum super ea re appellatur, postquam eius sententia tranterit in rem iudicatam, quia tunc ad ipsum deuoluitur iurisdictione ordinaria.

Est tamen difficultas, An Prouisor, seu Vicarius Generalis Episcopi, ex vi sui officij, absque superaddita & speciali commissione, possit matrimonio

30

31

nio assistere, & ad id licentiam conferre sicut ipse Episcopus.

Pet. Ledes.

Petrus Ledesma quæst. 45. art. 5. pun. 3. dub. 4. docet, non posse; quia Vicarius generalis ex suo officio nequit de causis matrimonialibus cognoscere, ut significari videtur in cap. *Accidentibus*. 12. de Excessibus Prælatorum, dum dicitur, dictam cognitionem ad dignitatem Episcopalem pertinere; ergo neque poterit matrimonio assistere, neque ad id licentiam conferre.

22
Sancius.
Ægidius.
Basilius.

Sancius verò disp. 29. Ægidius disp. 27. dub. 2. Basilium lib. 5. cap. 11. & communiter Doctores docent, posse: quod etiam Congregatio Cardinalium declaravit, & meritò: quia, ut ex Tridentino sess. 24. cap. 1. de Reformatione matrimonij constat, Ordinarius potest matrimonio assistere, & ad id licentiam conferre; prouisor autem, seu Vicarius generalis Episcopi, est ordinarius, ut ostendit Sancius num. 3. & 5. & constat ex eo, quòd Vicarius Episcopi constituit vnum tribunal & vnam personam cum Episcopo, ut dicitur in cap. *Romana*. 3. de Appellat. in 6. quòd etià constat ex praxi approbandi ad audiendas confessiones facultarium, quòd à Tridentino commissum est Episcopo, & regulariter fit à Vicario. Et idem ob eandem rationem dicendum est de Vicario generali eorum qui habent iurisdictionem Episcopalem.

33

Possè autem Vicarium generalem Episcopi ex vi sui officij de causis matrimonialibus cognoscere, praxis ostendit; quando autem in dicto cap. *Accidentibus*. dicitur, earum cognitionem ad Episcopum pertinere, non excluditur eius Vicarius generalis; quia vnam cum eo personam constituit, & vnum tribunal; præterquam quòd assistere matrimonio, & ad id licentiam conferre, non est de causis matrimonialibus cognoscere.

Archipresbyter verò nequit assistere matrimonio, nisi suorum parochianorum, & non parochianorum Parochi sibi subditi, quia non est Parochus, neque ordinarius eorum.

DIFFICULTAS X.

Vtrum Parochus non proprietarius ab Episcopo delegatus, & amobilis ad nutum illius, possit Matrimonio assistere, & ad id licentiam conferre.

34

Conueniunt Doctores; Parochum ab Episcopo aut ab eius Vicario delegatum, vel interim dum aliquis in proprietarium eligitur, vel quia Episcopus est immediatus Parochus, posse validè assistere matrimonio, aut quia est verus Parochus, aut quia in dicta delegatione continetur licentia ipsi facta ad assistendum matrimonio.

Sotus.
Bar. Ledes.

Est tamen difficultas, An etiam possit licentiam ad id conferre. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 3. & Bartholomæus Ledesma de Pœnitentia dub. 13. docent, non posse, quia prædictus est delegatus; qui autem est delegatus, nequit alterum subdelegare.

Sancius.
Henriq.

Sancius verò lib. 3. disp. 31. Henriquez & plures alij docent, posse: quod etiam declaravit Congregatio Cardinalium, & meritò: quia ille est verè Parochus, quamuis delegatus, ergo potest ad id licentiam conferre, quia ex Tridentino sufficit licentia Parochi. Et idem ob eandem rationem di-

cendum est de Vice-curato plenè delegato à Parocho proprietario, ut contra Basilium aduertit Sancius, quod verum credimus, non solum in absentia, sed etiam in præsentia Parochi proprietarij; quia etiam in præsentia illius est verus & proprius Parochus, quamuis non proprietarius, sed delegatus & mercenarius.

Quòd autem delegatus non possit iurisdictionem subdelegare, non obstat; quia eam licentiam concedere, non est subdelegare iurisdictionem, quia assistere matrimonio, ad quod conceditur, non est actus iurisdictionis; præsertim quòd delegatus, quamuis nequeat iurisdictione ad omnem causam sibi delegatam subdelegare, potest tamen ad vnam vel ad alteram, ac proinde posset ad assistendum matrimonio, quamuis id esset iurisdictionem concedere.

DIFFICULTAS XI.

Qualis licentia requiratur in Sacerdote, ut validè assistat Matrimonio.

Primo est difficultas, An ad id requiratur licentia specialis.

36

Vera cruz in Appendice ad Speculum dub. 5. docet, requiri licentiam speciale; quia quæ specialiter nota sunt digna, quando specialiter non notantur, videntur neglecta, ut patet ex L. *Item*. ff. De iniurijs; sed matrimonium est res grauissima & ardua, ut constat ex cap. fin. de Procuratoribus, in 6. & ex se patet; ergo est dignum speciali nota, ac proinde quando specialiter non conceditur, videtur omisum, & non concessum.

Vera-cruz.

Sancius verò disp. 35. & Ægidius disp. 27. dub. 3. docent, non requiri licentiam specialem, sed sufficere generalem, qua conceditur facultas ad exercendum officium Parochi: quod etiam declaravit Congregatio Cardinalium, & meritò: quia assistendo ex ea licentia, satisfit Tridentino, requirenti licentiam ad assistendum; quia ea est vera licentia ad id, quamuis sub verbis generalibus collata; imò sufficit quòd licentia ad assistendum, siue specialis siue generalis, conferatur verbaliter, ut aduertit Sancius, quia licentia verbalis est vera licentia: cui non obstat declaratio Cardinalium, in qua dicitur sufficere licentiam generalem in scriptis datam; quia non dicitur requiri, sed sufficere.

Sancius.

37

Ea verò, quæ speciali nota sunt digna, tunc censentur omisssa, quando non conceduntur specialiter, aut modo æquivalente concessioni speciali: concessio autè facultatis generalis ad exercendum officium Parochi æquualet licentiæ speciali ad assistendum matrimonio, quia hæc includitur in illa; concessio verò facultatis ad administrandum omnia Sacramenta, non æquualet, nec sufficit (quamuis Congregatio Cardinalium doctrinam probabilem secuta, oppositum indicet) ut contra Basilium cap. 29. aduertunt Henriquez 11. de Matrimonio, cap. 3. & Ægidius disp. 27. dub. 3. quia assistere matrimonio, non est Sacramentum matrimonij administrare; quia nec Sacerdos assistens, nec Parochus est minister, sed tantum ipsi contrahentes.

Henriq.
Ægidius.

Secundo est difficultas, An sufficiat rati habitio. Conueniunt communiter Doctores, non sufficere rati habitioe futuram post assistentiam matrimonij,

38

Sancius.
Basilius.
Ægidius.

trimonij, quamuis probabilissimè præsumptam. Ita Sancius, Basilius & Ægidius vbi supra, quia tunc assistitur absque licentia quæ actu sit; quia quando assistitur, nondum est rati habitio, quia est futura. Neque huic obstat Regula illa decima Iuris, *Ratihabitionem retrahit, & mandato comparari*; quia ea Regula tantum habet locum, quando valor actus aut contractus pendet ex sola voluntate rati habitantis; ac proinde non habet locum in matrimonio, cuius valor non pendet ex sola voluntate Parochi conferentis licentiam, sed etiam ex consensu contrahentium, qui fuit nullus ex defectu licentia.

Supereft ergo difficultas, An sufficiat rati habitio præfens (quæ dicitur *licentia tacita*) vt contingit quando Parochus videt Sacerdotem incipientem assistere, aut parari ad id, & non contradicit, cum facile possit.

39
Henriq.
Vera-cruz.

Henriquez 11. de Matrimonio cap. 3. & Veracruz docent, non sufficere, sed requiri expressam licentiam; quod etiam videtur declarasse Congregatio Cardinalium, dum ait, non sufficere licentiam tacitam, quæ resultat ex tolerantia. Sancius verò, Ægidius & Basilius vbi supra docent, sufficere, & meritò: quia dicta licentia, quamuis tacita, est vera licentia, & non est purè interna, sed externa, quia taciturnitas in eo casu est signum externum sufficiens voluntatis, qua Parochus vult Sacerdotem illum assistere.

Sancius.
Ægidius.
Basilius.

Vnde Cardinales in dicta Declaratione, aut maximo rigore ad seruandam formam Tridentini, non sunt contenti dicta licentia tacita, aut fortè loquuntur de licentia tacita futura.

Tertiò est difficultas, An sufficiat licentia extorta per vim, aut metum, aut fraudem.

Non desunt qui existiment non sufficere; quia quæcumque donatio non liberalis, est inualida. Sancius verò disp. 39. & Ægidius d. 27. n. 39. docent sufficere, & meritò: quia illa licentia non est donatio alicuius rei, quæ fiat illius cui datur licentia (quia si talis esset, non possèt esse valida defectu tituli, nempe liberalitatis) sed est quædam concessio facultatis ad assistendum, quæ absque fundamento negatur esse valida, quamuis concedatur ab inuito, si hinc & nunc efficaciter concedatur.

Sancius.
Ægidius.

DIFFICULTAS XII.

Quis censeatur Parochus vagabundorum, & quomodo se debeat gerere circa eorum Matrimonium.

40

Vagabundi seu vagi dicuntur in Iure, qui nullum habent firmum domicilium, sed vagantur, ac proinde nullum habent firmum & certum Parochum; quia fideles ex domicilio fortiuntur Parochum, vt statuitur in cap. vlt. de Parochijs.

Sancius.
Henriq.
Basilius.

Circa prius ergo Sancius lib. 3. disp. 25. Henriquez 11. de Matrimonio, cap. 3. & Basilius lib. 5. cap. 14. docent, vagabundos nõ habere proprium Parochum, quia carent domicilio; & consequenter quemlibet Parochum posse eorum matrimonio assistere, & eorum confessiones audire; quia non est maior ratio vnius Parochi quàm alterius.

41
Pet. Sotus.
Ægidius.

Petrus Sotus lect. 5. de Confess. & Ægidius disp. 27. dub. 2. docent, Parochum vagabundorum, vt eorum matrimonijs assistat, & eorum confessiones audiat, esse illum in cuius Parochia actu

habitans & hospitantur, & meritò: quia istis assignandus est aliquis proprius Parochus, cui incumbat eorum cura, aliàs non fuisset illis sufficienter prouisum; nullus autem alius eis congruè assignari potest, nisi ille in cuius parochia actu habitant tempore quo contrahunt matrimonium, aut aliud Sacramentum recipiunt. Quod etiam praxis confirmat; quia nullus Parochus censetur obligatus ad conferendum Eucharistiam & Extremam Vnctionem vagabundo ægrotanti, nisi ille in cuius parochia tunc vagabundus hospitat & habitat.

Quamuis ergo vagi careant domicilio, non carent proprio Parocho (quamuis careant firmo) quia actualis habitatio est illis in locum domicilij, saltem ex interpretatiua & rationabili voluntate Summi Pontificis, quia consonum est rationi, imò & Iuri positiuo, parochias assignari ex habitatione subditorum; ac proinde quando non habent firmam, ex actuali non firma. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

42

Et quamuis contingat, in oppido aliquo esse parochiam aliquam ab Episcopo pro vagabundis deputatam, nihilominus Parochus in cuius parochia actu habitat, est sufficiens vt eorum matrimonio validè assistat; quia Iure Pontificio communi est proprius Parochus eorum, etiam si illicite assistat, quando assignatione alius Parochi, ab Episcopo facta ex rationabili causa, prohibeatur alijs assistere. Assignatus tamen ab Episcopo erit sufficiens, vt licitè & validè assistat, non vt Parochus, sed ex licentia generali Episcopi, quam eo ipso quod eum assignat vt Parochum, ipsi confert ad id. Quando verò vagis assignatur parochia solum, vt in ea satisfaciatur præcepto annuæ confessionis & Communionis, tunc Parochus istius parochiæ non erit sufficiens vt eorum matrimonio assistat, quia tunc non eo ipso ei conceditur licentia assistendi, sed tantum erit sufficiens ad id Parochus, in cuius parochia actu habitant.

Circa posterius obseruandum est (in quo communiter conueniunt Doctores) Parochum, etiam si validè assistat matrimonio vagorum, illicite tamen, quando assistit non facta prius inquisitione de eorum statu & habilitate ad contrahendum, & re ad Ordinarium delata, & ab eo obtenta licentia iungendi illos matrimonio: quia ita præcipitur in Tridentino sess. 24. c. 7. de Reformat. matrimonij. Quod etiam est verum, quamuis vnus tantum ex contrahentibus sit vagus; tunc tamen eorum matrimonium poterit contrahi coram Parocho cuiuslibet, siue alterius, iuxta ea quæ diximus Diffic. VIII.

43

DIFFICULTAS XIII.

Vtrum Sacerdos habens licentiam ad assistendum, eam tamen ignorans, validè assistat.

Conueniunt Doctores, Sacerdotem, cui concessa est licentia non petita nomine suo, sed à Parocho, siue propria sponte siue rogato ab alio, quamdiu eam ignorat, non posse validè assistere matrimonio; quia saltem tunc non habet licentiam acquisitam, quia non habet eam acceptatam à se, nec ab alio nomine suo.

Est tamen difficultas, An quando Sacerdos habet licentiam nomine suo petitam à nuntio ad id missò ab ipso Sacerdote, eam tamen ignorat,

44

rat, illi valeat ad validè assistendum matrimonio.

Sancius. Sancius disp. 36. & *Ægidius* 27. dub. 3. docent, dictam licentiam valere ad id, quia tunc Sacerdos verè habet licentiam acquisitam, utpote acceptam à nuntio missò nomine suo ad id. Et idè docet de privilegio *Silvester* v. *Privilegium*. quæsitò 16.

Nos tamen existimamus, dictam licentiam non valere ad id (quod de privilegio, habente vim dispensationis legis, docet *Vasquez* 1. 2. disp. 159. c. 4.) quia credi non potest, Tridentinum & Parochum velle, ut licentia concessa valeat, & sit vera licentia, quousque is cui conceditur, possit eà licitè assistere, quia ad id conceditur: qui autem ignorat licentiã esse sibi concessam, quamvis iam acquisitam acceptatione à nuntio facta, nequit licitè eà assistere matrimonio. Sufficit tamen noticia licentiæ (sicut & dispensationis denuntiationum præmittendarum) habita ex testimonio alicuius fide digni, quando non est ratio aliqua suspensionis in oppositum: imò sufficit noticia habita ex testimonio contrahentium, quando sunt valdè fide digni; non verò quando contrahentes sunt Ordinario tantummodò fide digni; quia in his quæ pertinent ad forum externum, ut pertinent dicta licentia, & dicta dispensatio, est difficilè credendum partibus.

Obseruandum est, licentiam semel datam posse ad libitum reuocari. Addunt tamen *Sancius* & *Ægidius*, non cenferi sufficienter reuocatam, quousque reuocatio intimerit ipsi habenti licentiam, siue per nuntium, siue per epistolam, & non sufficere, aliunde nosse reuocationem.

DIFFICULTAS XIV.

Quot alij assistentes seu testes, & quales requirantur & sufficiant ad valorem Matrimonij.

46 **C**irca prius certum est, ad valorem matrimonij, præter Parochum, vel alium Sacerdotem de licentia Parochi, requiri & sufficere duos alios assistentes, seu testes, coram quibus contrahatur, ut constat ex Tridentino sess. 24. cap. illo 1. Requiritur etiam, Parochum & alios duos simul assistere, ut possint esse contestes, id est ut possint testificari de matrimonio tamquam de vno & eodem contractu; aliàs per eos non posset plenè constare de matrimonio, quod Tridentinum intendit.

Circa posterius non desunt recentiores, qui existiment, ad valorem matrimonij requiri, quòd testes sint omni exceptione maiores, id est, quòd careant omni defectu, ob quem testes Iure repelluntur à ferendo testimonium; quia, ut constat ex cap. 1. de Consanguinitate, & ex alijs Iuribus, ad causas matrimoniales requiruntur testes omni exceptione maiores; ergo etiam ad testificandum de contractu ipso facto.

47. *Sancius.* Sancius verò lib. 3. d. 41. & communiter Doctores docent, ad valorem matrimonij non requiri, quòd assistentes sint omni exceptione maiores; quia dicta maioritas, seu carentia dictorum defectuum, nullo Iure requiritur; quia non Iure Tridentini, cum hoc nullam qualitatem in assistentibus requiratur, nisi quòd vnus sit Parochus; non Iure aliquo antiquo peculiari circa matrimonium, quia quamvis in dicto cap. 1. de Consanguinit. & in alijs, dicta maioritas requiratur ad dissoluedum matrimonium, non tamen ad ei assistendum:

neque Iure communi, quo generaliter dicta maioritas requiritur, quia hæc tantum requiritur in alijs negotijs, & non in favorabilibus, qualis est celebratio matrimonij. Ex quo constat, quamcumque personam vltu rationis præditam posse validè assistere matrimonio.

DIFFICULTAS XV.

Qualis præsentia Parochi & aliorum testimonium requiratur & sufficiat ad valorem Matrimonij.

48 **C**onueniunt Doctores, ad valorem matrimonij requiri in Parocho & in alijs testibus præsentiam moralem seu humanam, qua assistant aduertendo ad contractum; aliàs non possent de eo testificari; & sufficere, si percipiant contractum per interpretem, sicut etiam sufficit, quòd vnus contrahentium alteri per interpretem exprimat suum consensum.

Est tamen difficultas Primò, An in Parocho & alijs testibus sufficiat attentio virtualis, ut contingit, quando animo assistendi accesserunt aduertenter, tamen tempore, quo fit contractus, mentis euagatione distrahuntur.

Henriq. Henriquez 2. de Matrim. c. 3. docet, sufficere intentionem virtualè; quia etiam sufficit ad valorem aliorum Sacramentorù, & ad consecrationem.

49. *Sancius.* Sancius verò l. 3. disp. 39. & plures alij docent, non sufficere, sed requiri actualem, & meritò: quia absque intentione seu aduertentia actuali non possunt testificari factum esse matrimonium; imò etiam in ipsis contrahentibus requiritur actualis, ut validè contrahant, quamvis in eis sufficiat virtualis aduertentia, & intentio efficiendi ipsum contractum verum Sacramentum (ut diximus Disput. 1. Diffic. 1x.) sicut etiã sufficit ad valorem aliorum Sacramentorum, & ad consecrationem.

Secundò est difficultas, An sufficiat assistere, quando contra suam voluntatem assistunt detenti & coacti. Ratio difficultatis pro parte negatiua est, quia assistentia coacta non videtur humana, seu hominis ut homo est, quia est contra voluntatem, & ad assistentiam humanam non tantum videtur requiri aduertentia intellectus, sed etiam consensus voluntatis; quia homo ut homo non tantum constat intellectu, sed etiam voluntate.

50. *Sancius.* *Basilius.* Nihilominus *Sancius* vbi suprà, *Basilius* c. 21. & communiter Doctores docent, assistentiã coactam seu violentam sufficere (quod etiam declarauit Congregatio Cardinaliù de Parocho, de quo poterat esse maior difficultas) & meritò: quia Tridentinum tantum requirit præsentiam Parochi & testimonium sufficientem ad testificandù, matrimonium esse factum: assistentia autè seu præsentia, quamvis coacta, sufficit ad dictam testificationem, ut patet, quia potest esse cum actuali aduertentia, & in hoc tantum sensu requiritur quòd præsentia sit humana, nempe quòd sit sufficiens ad testificandum, quod conuenit assistentiæ coactæ, & etiam assistentiæ dolo procuratæ: & ob eandem rationem sufficit, assistere matrimonio à casu, ut contra *Basilium* (cui Congregatio Cardinalium fauet) docent *Sancius* vbi suprà, & *Petrus Ledesma* q. 45. art. 5. *Sancius.* *Ledesma.* punct. 3. dub. 2. quia scilicet à casu assistere, sufficit ad testificandum.

Addimus, ut cõmuniter Doctores, ad valorem matrimonij non requiri, quòd Parochus proferat

verba illa, *Ego vos coniungo*, neque alia; quia presentia Parochi non est necessaria ut ministri, sed ut testis; peccabit tamen Parochus contra præceptum Tridentini, si illa omittat; sed non mortaliter, quia est ommissio rei levis.

51 *Sancius.* Qui autem contrahunt coram Parocho coacto, peccant mortaliter, ut docent Sancius & plures alij; quia illi, ut ministro Ecclesiæ ab ipsa deputato ad authorizandum matrimonium, grauem irreuerentiam irrogant contra Religionem, aut contra dulum sacram, & etiam peccant contra iustitiam, aut mortaliter aut venialiter pro quantitate violentiæ; & etiam contra hanc peccant, & eodem modo, contrahendo coram alijs testibus coactis, quamuis non contra Religionem, saltem grauer. Nihilominus quando esset grauis necessitas contrahendi, & absque iusta causa nollent assistere, possunt dolosa æquiuocatione vocari tam Parochus quam alij, aut ad eos venire, non tamen vi cogi, quia priuati non possunt id efficere.

DIFFICULTAS XVI.

Quibus pœnis puniantur contrahentes clandestinè absque testibus.

52 **I**Nter pœnas, quibus, vbi Tridentinum viget, puniuntur contrahentes absq; Parocho & alijs testibus, recenseri solet Primò, quòd sint inhabiles ad sic contrahendum, ut decernitur in Tridentino sess. 24. c. 1. id tamen non est pœna, sed effectus aut actus legis irritantis; quia post factum contractum clandestinè, non relinquuntur inhabiles ad postea validè contrahendum, ut contra nonnullos docent communiter Doctores, & deducitur ex ipso Tridentino, quod etiam Congregatio Cardinalium declarauit.

Secundò contrahentes absque Parocho & alijs testibus, vbi Tridentinum viget, puniendi sunt pœna graui arbitrio Ordinarij, ut statuit Tridentinum vbi suprà. & vbi Tridentinum non viget, contrahentes clandestinè absq; testibus, & forsitan etiam absque proprio Sacerdote, sunt etiam puniendi pœna arbitraria, ut statuitur in cap. fin. de Clandestina despons. Et in eodem cap. sic contrahentes etiam puniuntur in eo, quòd eorum proles sit illegitima, quando contrahunt in gradu prohibito, quamuis ignoranter.

53 Tertiò, in aliquibus diœcesibus contrahentes absque Parocho & alijs testibus, excommunicantur ipso facto excommunicatione Synodali.

Quartò, contrahentes clandestinè, id est, absque testibus lege Ecclesiastica requisiti, iure antiquo Castellæ L. final. tit. 3. par. 4. tradendi erant in perpetuam seruitutem propinquiorebus consanguineis vxoris. Hæc tamen pœna iam non habet locum, quia mitior statuta est L. 41. Tauri, quæ habetur l. 5. Nouæ Recopilat. tit. 1. L. 1. nempe pœna priuationis omnium bonorum, & exilij ab his Regnis, & quòd possint à parentibus exheredari. de quibus legendus est Sancius lib. 3. disp. 47.

Sancius.

DIFFICULTAS XVII.

Quibus pœnis puniatur Parochus, assistens Matrimonio clandestino absque alijs testibus.

54 **I**N primis in cap. fin. de Clandestina desponsat. Parochus, vel alius Sacerdos, assistens matri-

monio clandestino sine alijs testibus, suspenditur triennio ab officio, sed non ipso facto, ut verbo illo *suspendatur*, respiciente actum futurum Iudicis, significatur.

Deinde in Tridentino sess. 24. c. 1. de Reformat. matrimonij, præcipitur, Parochum, vel alium Sacerdotem, assistentem matrimonio absque alijs testibus, & etiam alios testes absque Parocho vel alio Sacerdote assistentes, grauer puniri arbitrio Ordinarij.

Trident.

Est tamen difficultas, An post hoc decretum Tridentini, quo præcipitur Parochus vel alius Sacerdos assistens absque alijs testibus, grauer puniri arbitrio Ordinarij, cessauerit supradicta pœna suspensionis triennalis ferenda, statuta in dicto cap. fin.

Rodriguez Tom. 1. c. 221. & Salsedo in Practica cap. 73. docent, non cessasse, quod etiam supponit Ægidius dub. 10.

Rodriguez. Salsedo.

Ægidius.

Et probari potest Primò, quia Tridentinum non derogat Iuri antiquo, imò fatetur se inherere vestigijs Concilij Lateranensis, ex quo Ius illud desumptum est. Secundò, quia quando eidem delicto diuersæ pœnæ imponuntur, quamuis diuersis legibus, seruandæ sunt, præsertim si pœna, quæ imponitur posteriori lege, sit aliquo modo contenta in priori lege. Ergo quamuis lege Tridentini decernatur pœna arbitraria, etiam perseverabit pœna illa suspensionis triennalis dicti cap. final. præsertim cum in eo decernatur ultra suspensionem triennem grauius puniendum, si qualitas delicti postulauerit.

55

Sancius verò lib. 3. disp. 48. & Matienzo lib. 5. Recopilationis, tit. 1. l. 1. docent, suspensionem illam triennem cessasse, & meritò: quia rationi conforme est, ut quando lege noua imponitur mitior pœna, quam erat imposta lege antiquiori, cesset antiqua, præsertim quando tempore legis nouæ delictum sit factum minùs perniciosum Reipublicæ; ergo per pœnam arbitrariam impostam noua lege Tridentini, cessat antiqua suspensionis triennalis; quia illa arbitraria est mitior, & post decretum Tridentini matrimoniū sic factum, utpote nullum, est minùs perniciosum Reipublicæ, quam antea quando validum manebat. Ex quo constat ad posteriorem rationem.

Sancius. Matienzo.

Ad priorem verò respondemus, decreto Tridentini fuisse derogatum Iuri illi antiquo quoad dictam pœnam, non expressè, sed implicitè, imponendo aliam mitiorem pro eodem delicto iam minùs pernicioso. Vnde Tridentinum, quoad puniendum matrimonium dicto modo clandestinum, non inheret vestigijs Concilij Lateranensis, neque id intendit, sed solùm quoad præmittendum denuntiationes, & quoad puniendum Parochum illas omittentem.

56

Obseruandum est, in Tridentino dicto c. 1. statui, ut Parochus, aut alius Sacerdos, adhuc Regularis, qui ausus fuerit matrimonialiter coniungere aut benedicere alienos parochianos, absque licentia proprij, ipso iure suspensus maneat, donec ab Ordinario Parochi, ad quem id pertinebat, absoluetur; ac proinde ob rationem supradictam corrigatur & cessat pœna excommunicationis contra Religiosos matrimonia solemnizantes, lata in Clementina 1. de Priuilegijs; quod declarauit Congregatio Cardinalium, cuius declaratio aperetauer nostræ doctrinæ de cessatione suspensionis triennalis.

DIFFI-

DIFFICULTAS XVIII.

Vtrum denuntiationes sint necessariae ad Matrimonium, & quomodo sint faciendae.

57

Denuntiationes sunt admonitiones quaedam, quibus monentur Christiani, ut si aliquid impedimentum nouerint inter eos qui matrimonium contrahere intendunt, illud aperiant.

Circa prius ergo certum est, in Tridentino sess. 24. c. 1. saepe repetito requiri, ante contractionem matrimonij fieri dictas monitiones ter à proprio Parocho tribus continuis diebus festiuis, in Ecclesia, inter Missarum solemnia; & in cap. fin. de Clandestina desponsat. desumpto ex Concilio Lateranensi c. 51. requiri fieri saltem semel à Presbyteris in Ecclesia.

Est tamen difficultas, An dictae denuntiationes, ubi Tridentinum viget, sint necessariae ad valorem matrimonij, ita ut eis omisis inualidè fiat. Addimus, *ubi Tridentinum viget*; quia ante ipsum non fuerunt sic necessariae, ut in ipso exprimitur.

58

Circa difficultatem ergo non desunt, qui existiment, ubi Tridentinum viget, esse necessariae ad valorem (quando non omittuntur ex dispensatione) quia Tridentinum ubi supra decernit, Parochum assistere matrimonio, denuntiationibus praemisissis; ergo absque eis non validè assistet, ac proinde matrimonij fiet inualidè, quia ad eius valorem requiritur valida assistentia Parochi.

Sancius.
Basilius.

Sancius verò lib. 3. de Matrimonio, dist. 5. Basilii lib. 5. c. 3. & communiter Doctores docent, non esse necessariae ad valorem, etiam si absque dispensatione omittantur, & meritò: quia quamuis Tridentinum praecipiat Parocho, quòd denuntiationes efficiat, & quòd absque eis praecedentibus non assistat matrimonio, nisi earum dispensatione obtenta; non tamè irritat matrimonium aliter factum, sed tantum quando fit absque Parocho & alijs testibus, ut ex contextu patet. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Quamuis ergo denuntiationes non sint necessariae ad valorem matrimonij, praerequiruntur tamen ex praeepto, ut licitè fiat, & ut ei licitè assistatur.

Est tamen difficultas, An absque eis praemisissis contrahere matrimonium, & ei assistere, sit illicitum mortaliter.

59
Sotus.

Sotus in 4. dist. 28. q. 1. art. 2. ad 1. docet, tantum esse veniale (nisi in ea diocesi, in qua id sit prohibitum sub poena excommunicationis;) quia iure communi Tridentini & Lateranensis, denuntiationes non praecipuntur graui pondere.

Sancius.
Basilius.

Sancius verò, Basilii, & communiter Doctores docent, esse mortale, & meritò: quia omissio earum est res grauis, imò praeepta ut grauis, seu graui pondere, ob incommoda grauia quae sequi possunt, contrahendo absque eis praemisissis. Addunt Sancius & alij contra Basilium, vnam ex tribus requisitis à Tridentino ommittere, non esse peccatum mortale, quando moraliter est certum, nullum esse impedimentum, & meritò: quia tunc non videtur omissio magni momenti.

60
Sancius.

Circa posterius (de quo legendus est Sancius disp. 6.) attento dicto decreto Tridentini, ubi viget, in primis dictae denuntiationes efficiendae sunt à proprio Parocho, ut in ipso decreto exprimitur; faciendae autem sunt à Parocho, siue per se, siue

per alium cui ipse committat, ut praxis ostendit. Secundò, ut ex dicto Decreto constat, faciendae sunt tribus diebus continuis festiuis, quod intelligitur, quamuis inter eos mediant aliqui dies feriales, imò sic melius satisfacit intento dicti Decreti, detegendi videlicet impedimenta, & etiam sufficienter satisfacit ipsis verbis: sufficiet etiam (quidquid alij dicant) fieri tribus diebus festiuis absq; interuallo ferialium; quia sic sufficienter satisfacit verbis & intento dicti Decreti. Quando verò vna tantum praemittenda est denuntiatio, expectandum est aliquo temporis spatio post ipsam factam, aliàs esset parum utilis.

Tertiò, faciendae sunt in Ecclesia, ut dicitur in dicto Decreto; & non in quacumque, sed in propria parochia, ut deducitur ex eo, quòd in dicto Decreto dicitur, faciendas esse à proprio Parocho contrahentium: & faciendae sunt in parochijs vtriusque contrahentis, quando ad diuersas pertinent, nisi quando ob paruum distantiam parochiarum sufficiat in parochia vnus, siue viri siue feminae, ut possint impedimenta manifestari: & quando contrahens pertinet ad duas parochias, sufficiet quòd fiant in qualibet earum, in qua sit sufficienter notus; potiori tamen ratione in parochia illius Parochi, coram quo contrahendum est matrimonium. Quòd si ad vnā tantum parochiam pertineat, & in ea non sit sufficienter notus, faciendae sunt in ea parochia aliena, in qua sit sufficienter notus, faciendae tamen sunt cura & diligentia Parochi ipsius contrahentis. Addunt nonnulli, denuntiationes posse fieri extra Ecclesiam, & in diebus non festiuis, ubi & quando magna populi pars conueniat, cui acquiescimus ubi id sit consuetudine introductum.

61

Quartò, denuntiationes faciendae sunt antequam matrimonium contrahatur, nisi adsit prudens suspicio, quòd matrimonium malitiosè impediatur; quia tunc, ut ex dicto Decreto constat, vna tantum sufficiet ante matrimonium, vel nulla erit necessaria, si ob vnam id timeatur; tunc tamen postea ante illius consummationem faciendae sunt denuntiationes; sufficiet tamen vna, ut declarauit Congregatio Cardinalium, quia ex vna parte pro eo casu Tridentinum contentum erat vna denuntiatione ante contractum matrimonij faciendae, & ex alia parte vna denuntiatione postea facta satisfacit verbis Tridentini, pro eo casu dicentis, *ante consummationem fiant denuntiationes*; quia hoc in plurali dictum, potest sufficienter intelligi pro omnibus matrimonijs sic celebratis, quamuis non pro quolibet matrimonio. Poterunt tamen tunc omnes omnino omitti, si Ordinarius id iudicet expedire, ut dicitur in dicto Decreto.

62

DIFFICULTAS XIX.

Quis possit dispensare, ut denuntiationes postponantur, vel ut omnino omittantur.

Conueniunt Doctores, Episcopum posse in praedicto dispensare; quia Tridentinum id remittit arbitrio Ordinarij, Episcopus autem est verè Ordinarius.

Est tamen difficultas Primò, An id etiam possit Prouisor seu Vicarius generalis ex vi sui officij.

63

Henriquez lib. 11. cap. 5. Basilii cap. 3. & Antonius Gomez in Bulla Cruciatæ, c. 4. q. 4. negant, immeritò tamen, ut optimè Sancius lib. 3. disp. 7.

Henriq.
Basilius.
Gomez.
Sancius.

Ægidius.
Riccius.

Ægidius disp. 27. dub. 6. & Riccius in Praxi, de-
cif. 259. quia etiam est ordinarius, & idem tribu-
nal, & eadem persona cum Episcopo: unde etiam si
admittamus id, quod refertur in declaratione
Congregationis Cardinalium apud Rebellum
num. 22. Papam dixisse quoad hoc, nomine ordi-
narij intelligi Episcopum, non est excludendus
eius Vicarius generalis; quia est eadem persona
cum Episcopo. Et id etiam posse quemlibet ha-
bentem iurisdictionem Episcopalem, nulli diœ-
cesano subditū, contra Basilium docent Sancius,
Henriquez, Ægidius, & plures alij, & merito: quia
etiam isti verè sunt ordinarij, vt diximus Difficul-
tate IX. & possunt comprehendi nomine Episcopi,
cuius fit mentio in nuper dicta Declaratione, cum
habeant iurisdictionem Episcopalem annexam
sue dignitati, & Papam solum voluisse excludere
habentes Abbacias, aut alias dignitates in com-
mendam, quibus annexa est iurisdictione Episcopa-
lis, & non ipsos Abbates proprietarios, vt dedu-
citur ex relata Declaratione. imò tunc Papa, si ve-
rè id dixit, nouiter eos exclusit, qui ante hanc suam
verbalem decisionem non erant exclusi.

64

Et non tantum Episcopus, & alij habentes Epi-
scopalem iurisdictionem, possunt delegare facul-
tatem in eis dispensandi (vt contra non paucos
docent Sancius & Ægidius) quia nullibi impedi-
antur, sed etiam Prouisor seu Vicarius genera-
lis, vt ob eandem rationem docet Sancius.

Sancius.
Ægidius.Sancius.
Ægidius.

Addimus (vt optimè Sancius & Ægidius)
quando contrahentes sunt diuersarū diœcesium,
Ordinarius vtriusque posse in denuntiationibus
dispensare, & pro vtroque contrahente sufficere
dispensationem vnus (quamuis in hoc dubitet
Basilium) quia verè fiet ab Ordinario, quamuis sit
vnus tantum, quo satisficit decreto Concilij Tri-
dentini, quod est verum, quamuis matrimonium
fiat in diœcesi Ordinarij alterius, quia etiam satis-
fit dicto decreto, sicut ob eandem rationem su-
pra diximus, contrahentes diuersarum parochia-
rum validè contrahere coram Parocho vnus,
etiam in parochia alterius.

65

Secundò est difficultas, An quando est prudens
suspectio, quòd matrimonium malitiosè impedi-
tur, si ad matrimonium præsupponantur denun-
tiationes, possit Parochus dispensare, vt omnes, aut
aliquæ ante matrimonium omittantur. Addimus
primò, *quando est prudens suspicio, quòd matrimo-
nium malitiosè impediatur*, quia in alijs casibus cer-
tū, est non posse. Addimus Secundò, *vt omittantur
ante matrimonium*, quia certum est, non posse dis-
pensare, vt post factum matrimonium omittantur.

Vera-cruz.

Circa difficultatem ergò, etiam si Vera-cruz in
Appendice ad Speculum dub. 1. & Candelabrum
aureum 1. part. de Matrimonio n. 243. partem af-
firmatiuam tueantur; nihilominus Sancius, Hen-
riquez, Ægidius & Basilium partem negatiuam tra-
dunt, & merito: quia in dicto cap. vbi conceditur
facultas dispensandi in denuntiationibus, tantum
conceditur Ordinario, & de Parocho nulla fit
mentio, nisi vt assistat matrimonio.

Sancius.
Henriq.
Ægidius.
Basilium.

DIFFICULTAS XX.

*Ob quas causas possit Ordinarius in de-
nuntiationibus dispensare.*

66

Supponimus, absque iusta & rationabili causa
non posse Ordinarium in denuntiationibus
dispensare; quia in eis dispensare, committitur

Ordinario à Tridentino sess. 24. c. 1. de Reform-
atione matrimonij, quando expedit; & quando
non est causa aliqua rationabilis, non expedit;
quia dispensatio est ruptio Iuris communis, quæ
absque rationabili causa non expedit.

Hoc supposito, conueniunt Primò Doctores,
suspicionem prudentem, quòd matrimonium
malitiosè seu iniuste impediatur, si ante ipsam
denuntiationes præmittantur, esse causam iustam
& sufficientem ad dispensandum in eis, non vt
omnino omittantur, sed vt omittantur ante ma-
trimonium, & fiant post contractum matrimo-
nium, sed ante consummationem, vel omnes
tres, si ob vnā, quamuis solam, id timeatur; vel
vt omittantur duæ, si ob duas id timeatur; vel
vt omittatur vna, si, quando fiant omnes tres, id
timeatur. Addimus nos (vt optimè Basilium c. 32.)
esse sufficientem vt excuset ab illis præmittendis
ante matrimonium, etiam absque dispensatione,
vt postea dicemus, etiam si tunc licentia Ordina-
rii (quæ latè *dispensatio* dici potest) sit sub
consilio.

Conueniunt Secundò Doctores, esse etiam
causas iustas ad dispensandum, vt omittantur ante
matrimonium ob dictam suspicionem, omittantur
etiam post matrimonium, & numquam fiant,
vt supponitur in Tridentino vbi supra.

Et præter causam dictæ suspicionis, etiam sunt
aliæ causæ iustæ ad dispensandum, vt denun-
tiationes omittantur ante matrimonium, & fiant post
illud contractum, imò etiam vt nec postea fiant,
sed omnino omittantur, adhuc quando non
sunt omittæ ob dictam suspicionem, vt contra
Zephalum consil. 421. docent Sancius lib. 3. *Sancius.*
disp. 9. Ægidius disp. 27. dub. 6. Basilium cap. 32. *Ægidius.*
& communiter Doctores: quia quamuis in Tri-
dentino tantum sit expressè concessum Ordina-
rio, quòd dispense vt non fiant post matrimo-
nium, quando ante illud sunt omittæ ob dictam
suspicionem, eo tamè ipso quòd id expressè con-
cessit, etiam interpretatiuè concessit quòd dis-
penset vt nec fiant postea, quando ante matrimo-
nium sunt omittæ ob alias causas; & ob alias cau-
sas etiam, quòd dispense vt omittantur ante ma-
trimonium, & postponantur, quod consuetudo &
Congregatio Cardinalium interpretatæ sunt.

Ex causis ergò iustis, ob quas potest Ordina-
rius in denuntiationibus dispensare (in quarum
iustitia & sufficientia, conueniunt communiter
Doctores) aliæ sunt iustæ, vt denuntiationes omit-
tantur ante matrimonium, & fiant post illud con-
tractum, sed ante consummationem, & aliæ vt
omnino omittantur, adhuc post matrimonium
contractum.

Secunda ergo causa iusta dispensandi, vt post-
ponantur, quando non possunt præmitti abs-
que periculo notabilis iacturæ animæ, aut rei
temporalis, aut absque impedimento operis no-
tabilis misericordiæ; vt quando duo concubina-
rij intendunt contrahere, & prudenter timeatur
esse carnaliter miscendos dum fiunt denun-
tiationes; & quando vir in articulo mortis vult con-
cubinam ducere, vt legitime filios ex ea habitos,
vel vt eam non relinquat inhonoratam, quamuis
ex ea non genuerit filios.

Tertia causa iusta dispensandi vt postponantur,
est, quando tempus, quo nuptiæ solemnes prohi-
bentur instat, & post factum matrimonium time-
tur ante tempus, in quo liceant, futura commix-
tio

67

Sancius.
Ægidius.
Basilium.

68

69

tio carnalis, quæ ante benedictiones nuptiales seu nuptias solemnem est illicita, aut saltem non expediens. Addimus, ad id etiam sufficere, ne differatur contractio matrimonij vel consummatio, quamuis nullus sit timor, nec periculum.

Quarta causa iusta dispensandi in denuntiationibus, ut omnino omittantur etiam post factum matrimonium, est, quando non possunt fieri absque infamia contrahentium, ut quando sunt in concubinato, & publicè censentur coniugati.

Quinta causa iusta dispensandi ut omnino omittantur, est, quando nequeunt fieri absque pudore contrahentium, ut quando sunt senes, & quando valdè senex contrahit cum valdè iuvene, & quando valdè nobilis cum ignobili.

70 Sexta causa iusta dispensandi ut omnino omittantur, est, quando contrahunt Magnates, & non repentè, & occultè; quia tunc absque denuntiationibus facilè conitantur impedimenta: & generaliter est causa iusta ad sic dispensandum cum quibuscumque, quando non est timor alicuius impedimenti.

Septima causa iusta dispensandi ut omnino omittantur, est, quando matrimonium prius publicè contractum, postea constat esse nullum, quamuis hoc publicè constet, quia tunc ad dispensandum sufficit prior fama, ex qua nullam reseruit impedimentum.

Octava generaliter, ob quamcumque notabilem commoditatem contrahentium, siue spiritualement siue temporalem, potest iustè dispensari ab Ordinario in denuntiationibus aut præmittendis, aut omnino omittendis, ut commoditas exegerit.

71 Observandum est Primò, quòd quamuis in quolibet casu ex dictis possit Ordinarius supradictò modo dispensare, non tamen tenetur in quolibet, ut contra Siluestrum v. *Dispensatio*. quaest. 1. & contra Rosellam num. 4. & contra Armillam v. *Dispensare*. n. 14. docent Sancius l. 3. disp. 10. Ægidius disp. 27. dub. 6. Basilius cap. 32. & plures alij; qui quamuis non conveniunt in quibus casibus teneatur, & in quibus non teneatur, parum tamen dissentiunt inter se, & à nostra doctrina quam iam subiicimus.

Sancius.
Ægidius.
Basilius.

Nos ergo existimamus, Ordinarium teneri partibus petentibus, quoties dispensatio proficit notabiliter aut bono communi, aut ipsis contrahentibus, siue spiritualiter siue temporaliter (ut contingit in casibus dictis, exceptis quinto, sexto & septimo, & dilatione matrimonij contenta in casu tertio) quia potestas dispensandi in Prælatiis est in bonum commune, & in bonum suorum subditorum; & non teneri, quando dispensatio non proficit notabiliter, ut contingit in casibus quinto, sexto & septimo, & dicta dilatione matrimonij; quia ratio non exigit, ut ius commune dispensatione rumpatur (quamuis possit) quando dispensatio non proficit notabiliter.

72 Sancius.
Basilius.

Addunt Sancius, Basilius, & alij, quoties Ordinarius tenetur dispensare, & absque ratione aliqua id denegat, aut non potest commodè adiri, posse matrimonium licitè contrahi, omittis denuntiationibus, absque dispensatione: quod nos non generaliter approbamus, etiam si contrahere absque denuntiationibus proficiat notabiliter, sed tantum quando denuntiatio, aut mora efficiendi denuntiationes, nocet notabiliter bono communi, vel ipsis contrahentibus, ut contingit in casibus pri-

mo, tertio & quarto, & in priori parte secundi casus, excepta dilatione matrimonij contenta in tertio casu in fine; aut quando impedit opus alicuius misericordiam notabilis, ut contingit in posteriori parte secundi casus: quia præceptum non contrahendi absque denuntiationibus, tantum est Ecclesiasticum, quod non obligat cum damno notabili, nec cum dicto impedimento; ac proinde in his casibus non est necessaria dispensatio, quamuis Ordinarius possit commodè adiri, & sit paratus dispensationem concedere; quia dispensatio non est necessaria ubi præcepti obligatio cessat, & ob id in Tridentino ubi supra, in casu in quo est suspicio, quòd matrimonium iniustè impediatur, dicitur, quòd denuntiationes omittantur, nulla facta mentione dispensationis.

73 Observandum est Secundò, Ordinarium, ut dispenseret, teneri quantum possit informari de veritate causæ; & etiam an sit impedimentum aliquod; sed non est necessaria informatio iudicialis adhibitis testibus iuratis, & in forma iudicij, ut contra non paucos docent Sancius, Basilius, & alij; *Sancius. Basilius.* sed sufficit informatio extrajudicialis, & in foro conscientie; quia Tridentinum dispensationem in denuntiationibus committit prudentie & iudicio Ordinarij, quod est committi suo privato iudicio, & conscientie.

Addimus, dispensationem, quando fit, faciendam esse gratis, ut generaliter decernitur in Tridentino sess. 25. cap. 18. de Reformatione.

DIFFICULTAS XXI.

Utrum ex vi denuntiationum sit obligatio reuelandi impedimentum occultum.

74 **S**upponimus (in quo conveniunt Doctores) quemlibet teneri deferre impedimentum, quod plenè probari potest, quamuis ortum ex peccato infami, ut ex fornicatione cum consanguinea alterius contrahentis: quamuis, quando oritur ex peccato infami, non solum omnino occulto, sed etiam plenè probabili, debeat impeditus prius secundum legem fraternæ correptionis admoneri, ut desistat à contrahendo matrimonio, etiam si admonitio nequeat commodè fieri intra terminum in denuntiationibus præfixum, sed facièda sit post illum.

Est tamen difficultas, An sit obligatio deferendi impedimentum occultum, quod quis solus novit, & ob id testibus probare non potest.

Supplementum Gabrielis in 4. d. 28. q. 2. art. 3. *Gabriel. Basilius. Maior.* dub. pæn. & Basilius c. 34. docent, neminem teneri: quod etiam tradit Maior d. 21. q. 2. quando impedimentum ortum fuit ex peccato occulto. Probari autem potest, quia nemo denuntiare tenetur, quod sufficienter probare non potest; absque testibus autem nequit sufficienter probare.

75 Sancius verò l. 3. disp. 13. Ægidius d. 27. dub. 7. *Sancius. Ægidius.* & communiter Doctores docent, quemlibet teneri denuntiare impedimentum occultum quod scit, quamuis solus sciat, & meritò: quia quilibet tenetur vitare peccatum mortale proximi, si commodè possit, præsertim quando id à superiore præcipitur; at quando est impedimentum, quamuis sit tantum impediens, est peccatum mortale cum eo contrahere; & quando est dirimens, contrahentes etiam in perpetuo concubinato vivunt, & sciens impedimentum, potest, illud denuntians, vitare dictum peccatum mortale proximi, quamuis

quamuis ipse solus sciat, quia vnus solus, quamuis denuntiator, si deponat vt testis, & iuratus, sufficit ad id, quando agitur de euitando peccato, vt tunc agitur, & non de punitione, vt diximus Disp. 11. Difficult. XIX. Ex quo constat ad rationem aduersariorum. Addidimus, *si commode possit*; quia si non potest nisi cum considerabili incommodo, aut cum scandalo aliorum, non tenetur.

Id autem quod diximus, etiã est verum, quamuis quis sub secreto & iuratus sciuerit impedimentum occultum, & quamuis ortum ex peccato infamante, quia maior ratio habenda est salutis animæ proximi quam seruandi secretum & famam illius, neque potest iuramento obligari ad non denuntiandum, quod alias tenetur saltem ex vi præcepti superioris id præcipientis medijs denuntiationibus.

76 Et eodem modo tenetur denuntiare is qui audiuit impedimentum à persona fide digna, hac non denuntiante, imò & à persona non fide digna, quando impedimentum non inducit infamiam; quia tunc ea denuntiatio non obest, & prodesse potest, quia inde desumi potest aliqua cognitio: non verò tenetur quando infamiam inducit, neque tenetur quando audiuit, & nõ meminit à quo, quamuis impedimentum non sit infame; neque tenetur quando audiuit à persona nihil certi sciente.

Sancius.
Ægidius.
Basilius.

Et non solum alij tenentur, sed etiam ipsi contrahentes interrogati, quamuis impedimentum sit infame, si nolunt à matrimonio desistere, vt docent Sancius disp. 14. & Ægidius vbi supra, & Basilius, quia cum tunc non procedatur ad puniendum, sed ad vitandum peccatum mortale, possunt ab Ordinario interrogari, quamuis nulla infamia præcedat, quia id est fauorabile ipsis contrahentibus: non tamen tenentur impedimentum occultum manifestare, quando est dispensatum, quamuis occultè tantum, & in foro conscientiæ; quia tunc impedimentum reputatur vt nullum, ac proinde interrogati negare possunt mentali restrictione; & ob eandem rationem alij qui sciunt impedimentum occultum, si etiam sciant dispensationem quamuis occultam, non tenentur illud reuelare.

77

Addimus contra Basilium cap. 35. Parochum, extra confessionem scientem impedimentum occultum; quamuis infame, non posse in matrimonio procedere, sed ob dictam rationem teneri impedimentum illud Ordinario, qui verè est iudex, denuntiare, quamuis ipse solus sciat, & etiam Ordinarium, quando extra confessionem nouit impedimentum occultum, quamuis infame, non posse dare licentiam ad contrahendum, quamuis ipse solus sciat, sed tenetur illud ad Nuntium, vel ad alium iudicem legitimum deferre, nisi quando Parochus & Ordinarius sciunt dispensationem occultam; quia tunc quando non sit denuntiatum, possunt dissimulare, quia reputatur vt nullum. Addidimus, *extra confessionem*; quia quãdo sciunt impedimentum ortum ex peccato, noto tantum in confessione, non possunt illud denuntiare, quamuis, si commode possint, priùs petita venia loquendi cum illo de auditis in confessione, quando crederetur profuturum, & ipsum non agrè laturum eam veniam ab ipso peti, tenebuntur cum secreto monere vt à matrimonio desistat.

78

Obseruandum est, Parochum eo ipso, quod coram eo opponitur impedimentum aliquod, non

posse ad matrimonium procedere (etiam si possit ad denuntiationes faciendas) sed teneri illud ad Ordinarium deferre, qui testimonio alicuius testis, quamuis singularis, matrimonium impedit: teneri quoque Parochum habere librum, & in eo scribere nomina coniugum, & testium, & locum, & tempus in quo celebratum est matrimonium, quia id præcipitur in Tridentino sess. 24. c. illo 1. & ad id tenetur sub mortali; quia non est parue considerationis ad euitandas lites & inconuenientia, quæ ex dictorum omissione oriri possunt.

DIFFICULTAS XXII.

Vtrum Matrimonium factum absque denuntiationibus illicitè ommissis censetur clandestinum quoad penas clandestini.

Sancius lib. 2. disp. 1. Ægidius disp. 27. dub. 2. & Basilius cap. 37. partem affirmatiuam tenentur; quia in cap. fin. de Clandestina deponatione, matrimonium absque denuntiatione in Ecclesia à Presbyteris facta, supponitur esse clandestinum, & ob illud imponuntur nonnullæ pœnæ: quod approbatur videtur à Tridentino sess. 24. cap. illo 1. dum ait, se inhære vestigijs Concilij Lateranensis, ex quo decretum dicti cap. fin. desumitur. imò Tridentinum cap. 5. superaddit contra contrahentes absque denuntiationibus in gradibus prohibitis, quamuis ignoranter, pro pœna diffidentiam dispensationis in eis gradibus.

Palacios in 4. dist. 28. disp. 3. Petrus Ledesma q. 45. art. 5. & Molina Tom. 1. de Iustitia, tract. 2. d. 176. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia matrimonium coram sufficientibus testibus, quamuis absque præmissis denuntiationibus factum, non est simpliciter & absolute clandestinum; quia verè fit publice, & in facie Ecclesiæ, & ipsi potest plenè constare: ergo pœnæ (quæ potius sunt restringendæ) impositæ contra matrimonium clandestinum, ita absolute nominatum, non sunt contra illud, sed tantum contra matrimonium factum absque sufficientibus testibus, præsertim pœnæ impositæ à Tridentino sess. 24. cap. illo 1. quia expressè tantum imponuntur contra matrimonium clandestinum absque testibus ab ipso requisitis.

Ad rationem ergo aduersariorum negamus, in dicto cap. fin. supra, matrimonium, absque denuntiationibus celebratum, esse clandestinum, & ob illud imponi aliquas pœnas; quia tantum supponitur esse clandestinum matrimonium, celebratum absque sufficientibus testibus, & ob istud imponuntur ibi pœnæ, non ob factum absque præmissis denuntiationibus; ac proinde Tridentinum, quamuis inhæreat vestigijs Lateranensis, non approbat matrimonium absque denuntiationibus esse clandestinum, quia id non supponitur in decreto dicti cap. fin. desumpto ex Concilio Lateranensi, imò Tridentinum non inhæret vestigijs Lateranensis nisi quoad præmittendas denuntiationes: & cap. illo 5. matrimonium absque denuntiationibus factum, quando absque eis scienter siue ignoranter fit in gradibus prohibitis, punit pœna diffidentiam dispensationis in eis gradibus; quod est indicium, & non leue, quod matrimonium absque illis celebratum non puniatur generalibus pœnis clandestini.

79
Sancius.
Ægidius.
Basilius.

80
Palacios.
Ledesma.
Molina.

81

Hac

Hac autem pœna diffidentiae dispensationis imposita à Tridentino contra contrahentes, siue scienter siue ignoranter, in gradibus prohibitis, videtur cessasse pœna excommunicationis lata in Clementina vnica de Consanguinitate cōtra scienter contrahentes in gradibus consanguinitatis aut affinitatis prohibitis.

82. *Sancius. Ægidius.* Et hæc pœna diffidentiae dispensationis (vt aduertunt Sancius & Ægidius) hos habet effectus, & quod dispensatio sit irrita, si ea circumstantia non exprimat, iuxta ea quæ dicemus Difficultate xxv. & quod habens priuilegium dispensandi in impedimentis, non possit in eo euentu, nisi specialiter in priuilegio exprimat. Addunt Sancius & Ægidius alium tertium effectum, nempe quod Pontifex non possit licite cum sic contrahentibus dispensare, absque maiori causa quam aliàs esset sufficiens.

DIFFICULTAS XXIII.

Vtrum benedictiones nuptiales, vulgò Velationes, adhibendæ sint.

Conueniunt Primò Doctores, benedictiones nuptiales, quibus iam coniugati benedicuntur solemniter, non esse necessarias ad valorem matrimonij; quia ante ipsas, quando adhibentur, supponitur validum. In can. autem 1. 30. quæst. 5. quando coniugium, cui non accedunt benedictiones, dicitur non esse legitimum, tantum significatur non esse secundum totum decorem, & secundum totam honestatem requisitam à lege seu Iure.

83. Conueniunt Secundò, benedictiones nuptiales esse necessarias ex præcepto, vt constat ex 30. q. 5. præsertim cap. 3. & ex consuetudine, qua in omnibus diocesis iam coniugati compelluntur ad eas recipiendas.

Est tamen difficultas, An sit peccatum mortale, eas omnino omittere, an tantum veniale.

Ochagaua. Ochagauia Tract. 5. q. 5. docet, esse mortale;

quia sunt magni momenti, & valde congruentes bono progressui matrimonij. Sancius verò lib. 1. *Sancius.* disp. 82. num. 6. docet esse tantum veniale, & merito: quia tantum sunt Sacramentale quoddam, quod non apparet magni momenti, neque valde congruens progressui matrimonij.

Addimus, benedictiones istas nuptiales in Tridentino sess. 24. c. 10. prohibitas esse fieri ab Aduentu vsque in diem Epiphaniæ inclusiuè, & à Feria 4. Cinerum vsq; in Octauam Resurrectionis inclusiuè; in alijs verò temporibus, etiam in eis in quibus antiquitus prohibita erant, permitti fieri.

Sed an primæ tantum nuptiæ sint solemniter benedicendæ (in quo conueniunt Doctores) an etiã secundæ, sub controuersia est apud illos, circa quam Sancius vbi supra varias refert opiniones.

Nos tamen existimamus, Iure communi, quando adhuc vnus ex coniugatis, siue vir siue femina, contrahit secundas nuptias, & in prioribus benedictionem accepit, nuptias illas secundas non esse benedicendas; quia benedictiones solemnes Ecclesiæ non repetuntur eidem rei, vt constat ex cap. *Vir.* 3. de Secundis nuptijs: quod est verum, vt aduertit Sancius, etiam quando primæ nuptiæ benedictæ inueniuntur fuisse nullæ; quia benedictionibus personæ potius quam nuptiæ benedictæ, non sunt iterum benedicendæ. Nihilominus circa hoc variæ sunt consuetudines in varijs diocesis; in qualibet tamen standum est propriæ consuetudini.

85. Obseruandum est, Regularem, vel sæcularem, qui absque licentia Parochi vel Ordinarij benedixerit nuptijs sibi non subditorum, tamdiu manere suspensum, quamdiu Ordinario Parochi, ad quem pertinebat benedicere, videatur, vt decernitur in Tridentino cap. illo 1. & impositione huius pœnæ, cessare pœnam excommunicationis latam in Clementina 1. de Priuilegijs contra Religiosos matrimonia solemnizantes, vt diximus Difficultate xvii.

DISPUTATIO VI.

De Matrimonio coacto.

DIFFICULTAS I.

Vtrum Matrimonium contractum ex metu iniusto, cadente in virum constantem, sit nullum.

1. **S**UPPONIMVS, metum ab extrinseco (id est à causa libera extrinseca, v. g. ab homine) incussum, de quo procedit difficultas, esse duplicè, vt constat ex cap. *Veniens.* 15. de Sponsalibus: vnum grauem absolutè, seu cadentem in virum constantem; & alterum leuem absolutè, seu cadentem in virum inconstantem. Quis verò sit vnus & alter, examinatur in Tractatu de Contractibus. Interim tamen metus grauis absolutè, seu cadens in virum constantem, est timor probabilis seu prudens, & magni mali, non magni comparatiuè, seu comparati ad sexum & ætatem, nec ad malum minus, id est, quod sit mali maioris eo malo, quod eligitur

ad vitandum malum quod timetur, sed mali magni absolutè, & in se (siue maioris siue minoris malo electo) cuius prudenti timore vir, quamuis constans sit, non mirum cogatur ad eligendum aliquid quod necessarium est, vt malum illud, quod timet, euitet, vt metus prudens mortis, aut magni cruciatus, aut grauis infamiæ, aut amissionis honorifici status, aut notabilis partis bonorum, aut impedimenti lucri notabilis, aut grauis & diuturnæ indignationis patris, aut superioris, aut alius à quo quis dependet in nō paucis, quando ob eam indignationē prudenter timet graue aliquod malum, aut graue cumulum malorum, quamuis paruorū; non verò grauis & diuturnæ indignationis prædictarum personarū seorsim, nec importunarum precū seorsim, quidquid dicat Basilius l. 4. c. 5. Metus verò leuis absolutè seu cadens in virum inconstantem, est metus mali, aut imprudens, quamuis magni mali, aut si prudens, quando est mali parui, seu leuis, quo solus timidus, & nō fortis, nec constans cogitur ad aliquid faciendū, vt malū illud euitet.

Hoc

Hoc ergo supposito, conueniunt Primò Doctores, matrimonium factum ex metu leui, quamuis iniuste à causa libera incusso, etiam ad extorquendum, ipsum matrimonium non esse irritum, ex eo quod sic fiat, vt constat ex vsu Ecclesiæ, talia matrimonia vt valida approbantur, & meritò: quia nullo Iure irritum est; quia non positiuo, quia nullum extat, imò in pluribus Iuribus positiuis supponitur esse validum; neque Iure naturali, seu ex natura rei, vt ex dicendis constabit.

3 Conueniunt Secundò, matrimonium ex metu graui, quamuis iniusto, contractum, non esse irritum, quando metus non incutitur expressè & exterius ad extorquendum matrimonium; quia non Iure naturali, vt etiam constabit ex dicendis; neque Iure positiuo, adhuc Ecclesiastico; quia non constat esse aliquod pro matrimonio contracto ex eo metu. Et meritò Ecclesia non irritauit matrimonium contractum ex metu, quamuis graui & iniusto, quando non fuit ad id incussus; quia tunc contrahens non impellitur ad id ab alio, sed ex se ipso eligit matrimonium, quamuis vt euitet malum quod timet.

Est tamen difficultas, An matrimonium contractum ex metu iniusto, cadente in constantem virum, incusso expressè & exterius ad illud extorquendum, sit nullum.

4 Cardinalis in cap. 2. de His quæ vi. quaest. 1. docet, matrimonium sic factum non esse irritum, quamuis irritari possit, Primò, quia alij contractus, quando sic fiunt, non sunt irriti, sed irritandi; ergo etiam contractus matrimonij. Secundò, quia alia Sacramenta, vt Baptismus, Confirmatio, Ordo, & Extrema Vnctio, sic collata & suscepta sunt valida; ergo etiam Sacramentum matrimonij.

Sancius. Aegidius. Basilus. Sancius verò lib. 4. disp. 12. Aegidius disp. 28. dub. 1. Basilus l. 4. c. 14. & communiter Doctores docent, matrimonium sic factum esse nullum, & meritò: quia ita supponitur in cap. *Significauit*. 2. de Eo qui duxit in matrimonium, & in cap. *Cum locum*. 14. & in cap. *Veniens*. 15. & in cap. *Consultationi tue*. 28. de Sponsalibus.

Est autem nullum, non tantum in foro exteriori, seu quoad præsumptionem, vt nonnulli dixerunt, sed etiam in foro interiori, seu re ipsa; quia in dictis capp. absolute & absque vlla restrictione supponitur esse nullum, imò supponitur, eo matrimonio non obstante posse cum alia validè contrahi, & cum ea perseverare; quod esset plus quam falsum, si in foro interiori & re ipsa non esset nullum. & id etiam est verum, quamuis metus fuerit incussus ab alio tertio, & non ab altero contrahente, vt supponitur in dicto cap. *Veniens*.

5 Ad primam ergo rationem concedimus, alios contractus ex dicto metu factos, non esse irritos, benè tamen matrimonij; quia iste, & non alij, Iure positiuo irritatur, & non absque congruentia; quia contractus matrimonij ex se est perpetuus, ac proinde est maximè conueniens, quòd fiat à contrahentibus ex se ipsis absque dicto metu. Et ad secundam concedimus Antecedens, & negamus Consequentiam; quia Ecclesia non irritauit alia Sacramenta (imò non potuit) & irritauit Sacramentum matrimonij ob congruentiam dictam, quod potuit efficere, irritando contractum, cui solum, quando validus est, conuenit ratio Sacramenti ex Christi institutione.

DIFFICULTAS II.

Quo Iure Matrimonium ex metu graui iniuste incusso ad illud extorquendum sit nullum.

6 Conueniunt Doctores, matrimonium ex dicto metu factum, non esse nullum Iure aliquo diuino, quia de eo Iure non constat. Est ergo difficultas, An sit nullum Iure naturali an positiuo humano Ecclesiastico, an vtroque.

Antonin. Couarru. Rebellus. Basilus. Antoninus 3. par. tit. 1. c. 7. Couarru. 2. part. cap. 3. §. 5. Rebellus 2. de Matrimonio, q. 11. sect. 1. & Basilus l. 4. c. 14. docent, matrimonium sic factum esse nullum Iure naturali, & non Iure aliquo positiuo, Primò, quia matrimonium sic factum est inualidum, & non Iure diuino, vt patet, imò nec Ecclesiastico, quia dicta Iura Ecclesiastica, in quibus fit mentio nullitatis matrimonij sic facti, non irritant matrimonia sic facta, quia in eis est sermo de matrimonijs antea contractis, quæ semel valida non possunt ab Ecclesia irritari, & in eis supponuntur antea fuisse nulla, ac proinde non ipsis, sed Iure alio antiquiore, & non diuino, vt patet, ergo naturali. Et confirmatur; quia in dictis Iuribus nullitas eorum matrimoniorum non ostenditur ex Iure aliquo Ecclesiastico, quò fuerint irritata, sed ex eo, quòd in eis matrimonijs defuerit consensus: iste autem Iure naturali requiritur ad valorem matrimonij, ergo in eis Iuribus satis indicatur matrimonia sic facta esse nulla Iure naturali, & non Ecclesiastico.

7 Secundò, quia matrimonium ex sua natura est perpetuum & indissolubile, & sua natura ordinatum ad prolem amanter habendam, & honestè educandam, & ad conciliandum mutuum amorem, & ad mutua obsequia præstanda, & ad fidem inuicem seruandam: ergo ad matrimonium sua natura non sufficit voluntarium ex metu aut coactione; quia coactio repugnat perpetuitati, cum nullum violentum possit esse perpetuum, & etiam repugnat fini matrimonij, cum matrimonium coactè celebratum non sit aptum ad prædicta.

8 Durandus. Sancius. Henricus. Aegidius. Durandus verò in 4. dist. 29. q. 2. Sancius lib. 4. disp. 14. Henriquez cap. 9. & Aegidius disp. 28. dub. 1. docent, matrimonium sic factum esse nullum, non Iure naturali, sed tantum Iure positiuo Ecclesiastico, & meritò: quia matrimonium sic factum non est irritum Iure naturali ratione iniustitiæ illatæ in incussione dicti metus, quia etiam in matrimonio facto ex metu leui iniuste incusso, est vera iniustitia, quamuis leuis, quæ in alijs contractibus etiam obligat ad restitutionem sicut grauis, & tamè matrimonium ex dicto metu leui non est nullum Iure naturali; ergo neque factum ex metu cadente in constantem virum. Neque est nullum Iure naturali ex defectu libertatis (quam metus impedit) quo matrimonium non est omnino voluntarium; quia etiam matrimonium ex metu leui iniusto, imò & ex iusto graui, incusso ad illud extorquendum, & ex graui iniusto non incusso ad id, non est omnino voluntarium; imò aliquando est minus voluntarium, quam factum ex dicto metu graui iniuste incusso ad id, & tamen matrimonium ex illis alijs metibus non est nullum Iure naturali; ergo neque matrimonium factum ex dicto metu, est nullum ex defectu libertatis.

Ratio

Ratio autem à priori est, quia ad valorem omnium aliorum contractuum, & etiam ipsius matrimonij facti ex alijs prædictis modis, sufficiunt, ex natura rei, seu Iure naturali, duo, nempe titulus, & voluntarium simpliciter & absolutè, quæ in eis reperiuntur; sed hæc duo etiam reperiuntur in matrimonio factò ex metu graui iniuste incusso ad illud extorquendum, ergo etiam erit Iure naturali validum, quia absque sufficenti fundamento, aliud exigitur ad valorem illius. Antecedens pro Maiori constat. Minor autem probatur; quia dictus metus non adimit à matrimonio, factò ex ipso, titulum, qui est corpus alterius, quia eo matrimonio confertur corpus pro corpore; neque adimit voluntarium simpliciter & absolutè, quia hic & nunc est efficaciter voluntarium, quamuis sit inuoluntarium secundum quid, sicut matrimonium ex alijs prædictis modis factum. Matrimonium ergo ex dicto metu factum, non est nullum Iure naturali, ac proinde est nullum Iure positivo, & non diuino, vt patet, quia de eo non constat. Est ergo nullum Iure Ecclesiastico, non quia Iure scripto, quod modò habemus, de nouo irritetur, sed quia eo, quod modò habemus, quantum est ex ipso, irritatur verbis ex se irritantibus, & supponitur antea irritatum Iure aliquo, & non nisi Ecclesiastico, vel antea scripto, & iam perditò, vel viæ vocis oraculo, aut alia via introducto.

Ad primam ergo rationem aduersariorum constat, matrimonia dicto modo facta esse nulla Iure Ecclesiastico, quod nunc habemus in dictis capp. & alio eis antiquiori, & ideo in eis supponi esse nulla: quorum nullitas in eis Iuribus ostenditur, non quia deficiat consensus ad eorum valorem Iure naturali necessarius, sed quia deficiit consensus conueniens & expediens, ob quod Iure Ecclesiastico fuit factus insufficientis. Et ad secundam, concedimus Antecedens, & negamus Consequentiam; quia coactio, quæ non facit inuoluntarium simpliciter seu violentum, vt non facit coactio quæ reperitur in dicto matrimonio, non repugnat perpetuitati ipsius, neque eius dictis finibus, quamuis eis non sit satis expediens.

Ex dictis constat, matrimonium inter non baptizatos ex dicto metu celebratum, non esse nullum; quia non reperitur aliud Ius irritans matrimonia sic facta, nisi Ecclesiasticum, cui non baptizati non sunt subiecti.

DIFFICULTAS III.

Utrum Matrimonium ex metu iusto, cadente in virum constantem, incusso ad illud extorquendum, sit nullum.

Sotus in 4. dist. 29. quæst. 1. art. 3. Couarruias 4 par. Decretalium 2. par. cap. 3. §. 4. & Glossa in cap. *Veniens*. 15. de Sponsalibus docent, matrimonium sic factum esse nullum. Quod deduci videtur ex dicto cap. *Veniens*. dum supponitur, matrimonium contractum cum filia cuiusdam, qui iuuenem cum ea repererat, esse nullum; quia eos coëgit contrahere, & tamen tunc metus fuit iuste incussus. Et ratione probatur; quia metus grauis, quamuis iustus, impedit plenam libertatem, non minus quam iniustus, ergo non minus quam iste irritat matrimonium.

Doctrinam hanc limitant Rebellus quæst. 11. sect. 2. & nonnulli alij, vt tantum sit vera quando quis cogitur absque occasione ab ipso data, ex se inducente ad eam coactionem, vt quando ei, qui commisit homicidium, incutitur metus mortis inferendæ iuridicè, nisi ducat aliquam, quia tunc verè cogitur ab extrinseco; quando verò cogitur ad matrimonium, occasione ab ipso data, inducente ad eam coactionem, matrimonium fit validum, vt quando quis aliquam corrumpit, aut quando fidem sponsalium fregit; quia in hoc casu non tam dicitur compelli & cogi ab extrinseco, quam ex se ipso contrahere; quia ex se ipso dedit occasionem inducentem ad eam coactionem.

Sancius verò lib. 4. disp. 13. Henriquez 11. de Matrimonio cap. 9. Petrus Ledesma de Matrimonio, quæst. 47. art. 3. dub. 1. Egidius disp. 28. dub. 1. docent, matrimonium sic factum, adhuc absque occasione ad id inducente data, esse validum, & merito: quia tunc matrimonium non est inualidum Iure naturali, vt constat ex dictis Difficultate precedenti; quia metus iste neque auferit sufficientem libertatem, neque titulum; neque est inualidum Iure Ecclesiastico, quia non constat eo irritari, nisi matrimonium factum ex metu graui iniusto, & ad id exterius incusso, vt significatur in Iuribus Difficultate 1. & 11. adductis, in quibus supponitur, matrimonium ex hoc metu factum esse irritum, & non absque congruentia; quia istud fit omnino ab extrinseco, & quod ex metu iusto non tam dicitur fieri ab extrinseco, quam ab ipso qui cogitur, cum ipse dederit causam, vt sibi licitè & iuste possit coactio inferri, quamuis causa non sit ex se inducens ad eam coactionem.

Vnde quando quis inuentus cum femina, cum ea coactus contrahit ex metu accusationis incusso, validè contrahit, quia contrahit ex metu iuste illato, inualidè tamen, si contrahit ex metu mortis incusso ad id; quia iste est grauis & iniustus, & talis fuit metus ex quo iuuenis ille, cuius fit mentio in dicto cap. *Veniens*, contraxit. Ex quo constat ad fundamentum aduersariorum, ex eo capite desumptum.

Ad rationem verò concedimus, metum grauem, quamuis iustum, aliquo modo impedire libertatem, non minus quam iniustum; negamus tamen, ex iusto contractum, esse nullum, quamuis sit nullum contractum ex iniusto: quia ex hoc contractum non est nullum Iure naturali, quia, quamuis aliquo modo impediatur libertatem, non tamen sufficientem ex natura rei, sed est nullum, quia Iure Ecclesiastico irritatur; contractum verò ex iusto, non irritatur.

DIFFICULTAS IV.

Utrum, quando Matrimonium fuit nullum ob iniustum metum, cuius alter contrahens fuit causa, iste alter teneatur postea contrahere, si velit qui fuit coactus.

Certum est, eum, qui omnino liberè contraxit cum coacto ex metu irritante matrimonio, non teneri postea contrahere cum eo, quando

R r non

12
Rebellus.

Sancius.
Henriquez.
Ledesma.
Egidius.

13

14

15

non fuit causa dicti metus; quia ex nullo cap. obligatur. Est ergo difficultas, An teneatur quando fuit causa aut occasio dicti metus.

Nauarrus.
Henriquez.
Ægidius.
Basilius.

Nauarrus cap. 22. num. 51. Henriquez cap. 10. Ægidius disp. 28. num. 7. & Basilius lib. 4. cap. 17. affirmant. Quod deduci videtur ex cap. 1. de Eo qui duxit, dum in eo quidam, qui secundam deceptorat, obligatur, mortua priori non separari à posteriori, si ipsa velit, ne deceptor ex dolo commodum reportet; ergo etiam in nostro casu, cogens nequit à contractu discedere. Et ratione probatur Primò, quia cogens intulit iniuriam coacto, quam resarcire tenetur, & nequit aliter quam stando contractui, si coactus velit. Secundò, quia in alijs contractibus coactis cogens, v. g. ad venditionem, tenetur venditioni stare, si coactus venditor velit; ergo etiam in contractu matrimonij.

16
Sancius.
Ochagavia.

Sancius verò lib. 4. disp. 15. & Ochagavia de Matrimonio, Tractatu 3. quæst. 30. negant, & meritiò: quia non tenetur cogens in pœnam iniuriæ coactione illatæ, quia nullo Iure talis pœna statuta est; neque tenetur vt eam iniuriam resarciat, quia seclusis alijs damnis extrinsecis inde secutis, iniuria illa ratione sui non exigit recompensationem (aut saltem non exigit tantam) imò ex sua natura non est resarcibilis; neque tenetur ex eo quòd consensum præbuit, quia ex consensu præstito in contractu mutuo non manet quis obligatus, nisi quando alter etiam obligatur; in nostro autem casu coactus non obligatur, ergo neque qui ad matrimonium cogit, manet obligatus ad denuò contrahendum, nisi quando ex matrimonio coacto secutum est aliud damnum extrinsecum, quod nequit aliter resarciri, & est adedò graue, vt ob eius recompensationem non iudicetur rigidum ad tantum obligari.

17

In dicto verò cap. 1. pro aduersarijs adducto, tantum continetur pœna deceptionis (nò coactionis) imò non incurrenda ipso facto ante Iudicis sententiam; pro coactione verò non est imposita similis pœna, saltem ipso facto incurrenda. Ad primam autem rationem negamus, dictam iniuriam debere resarciri, quia non est resarcibilis, & quamuis esset & deberet, sed non tanta recompensatione. Et ad secundam concedimus, in alijs contractibus coactis, cogentem teneri illis stare, si coactus velit, quia sunt validi; non verò in contractu matrimonij, quia Iure Ecclesiastico fit nullus.

DIFFICULTAS V.

Vtrum peccet, qui contrahit Matrimonium ex metu illud irritante.

Non procedit difficultas de eo, qui inuincibiliter ignorat matrimonium sic contractum esse nullum, quia iste non peccat, quia bona fide procedit; sed de eo, qui scientia aut vincibili ignorantia nullitatis contrahit.

18

Ledesma.

Et Primò est difficultas de eo, qui consensu vero & non ficto contrahit. Non desunt qui doceant hunc peccare, & mortaliter, peccato sacrilegij, quod etiam indicat Petrus Ledesma q. 47. art. 3. in solut. ad 4. quia irritat Sacramentum, applicando formam materiæ incapaci valoris.

Sancius.
Ægidius.
Basilius.

Sancius verò lib. 4. disp. 16. Ægidius disp. 28. dub. 3. & Basilius cap. 16. docet, eum non peccare, adhuc venialiter, & meritiò: quia non irritat Sacra-

mentum, quia non efficit id cui ex Christi institutione conuenit ratio Sacramenti, nempe contractum validum; ac proinde neque applicat veram formam Sacramenti neque veræ materiæ: ille autem irritaret Sacramentum, qui efficeret validum contractum, & eum non efficeret Sacramentum ex defectu intentionis, & consequenter peccaret peccato mortali sacrilegij, vt diximus Disputat. III. Difficultate XVI.

Secundò est difficultas de eo, qui ex metu irritante fictè solis verbis absque vero consensu contrahit.

Scotus in 4. dist. 29. q. vnica §. *Hic dicitur*, & Scotus. Supplementum Gabrielis art. 2. docent, eum peccare mortaliter, quia sic fingens decipit alterum in re graui, quo ei grauem iniuriam irrogare videtur.

Sancius verò, Ægidius & Basilius vbi supra docent, eum non peccare mortaliter, & meritiò: quia nullam iniuriam irrogat alteri, eum decipiendo, tum quia, quamuis absque fictione contraheret, nihil magis efficeret, ac quando fictè loquitur, quia efficeret matrimonium nullum ob metum irritantem; tum etiam, quia ex iusta causa profert verba, quibus alter decipitur, ac proinde neque peccabit venialiter sic fingendo, si mentali restrictione vtatur, quia tunc ex iusta causa æquiocatur alterum.

19
Sancius.
Ægidius.
Basilius.

DIFFICULTAS VI.

Vtrum Matrimonium ratione metus inualidum, fiat postea validum, ob copulam subssecutam, aut ob iuramentum.

Circa prius conueniunt Doctores, matrimonium ratione metus inualidum, postea reualidari copulâ subssecutâ absque coactione, vt deducitur ex c. 2. de Eo qui duxit, & ex c. *Insuper*. 4. Qui matrimonium accusare possunt; & etiam reualidari ex cohabitatione diuturna, id est, perseverante vsque ad tempus in quo erat opportunitas fugiendi, vt constat ex c. *Ad id*. 21. de Sponsalibus: quod est verum, quamuis non interueniat copula, vt contra Innocentium docent communiter Doctores, quia in dicto cap. *Ad id*. supponitur, ex sola cohabitatione reualidari.

20

Existimamus tamen, prædicta matrimonia reualidari non quoad veritatem, & re ipsa, & in foro conscientiæ, sed tantum in foro exteriori, & quoad præsumptionem, non solum quando copula non fuit habita ex affectu coniugali, id est, tamquam cum coniuge, & quando cohabitatio non perseverat ex eo affectu (in quo conueniunt Doctores) sed etiam quando copula habetur ex affectu coniugali, aut quando ex eo perseverat cohabitatio, vt deducitur ex dictis capp. & constat ratione: quia affectus ille coniugalis, ex quo supponimus copulam & cohabitationem procedere, non est consensus, seu intentio ineundi seu ratificandi matrimonium, & quamuis sit, non sufficit; quia copula non est signum exterius, seu expressio exterior consensus (& multò minùs cohabitatio) sed tantum est pium & prudens indicium expressionis exterioris ante ea factæ, vt diximus Disputat. III. Difficultate XI.

Est tamen difficultas, An matrimonium antea nullum ob metum grauem, postea reualidetur ob copulam simili metu extortâ; & quoad hoc eadem est

21

est

est difficultas de cohabitatione diurna.
 Paludan. Paludanus in 4. dist. 29. quæst. 1. art. 4. Bartholo-
 Bar. Ledes. maus Ledesma dub. 23. & Angles. 1. par. de Ma-
 trimonio, quæst. de Consensu coacto, art. 1. diff. 4.
 docent reualidari; quia metus, quo quis cogitur ad
 copulam, quando matrimonium præsupponitur
 nullum, quantumuis grauis, non est cadens in con-
 stantem virum; quia cogitur ad peccandum, ad
 quod constans non cogitur.

Sancius. Sancius verò lib. 4. disp. 18. Egidius disp. 28.
 Egidius. dub. 4. & Basilius lib. 4. cap. 17. docent, non reua-
 Basilius. lidari, & merito: quia copula graui metu extorta,
 nequit esse sufficiens ad id, siue copula post mat-
 rimonium factum, quamuis nullum sit signum ex-
 ternum exprimens consensum coniugalem, vt vo-
 lunt Sancius & Egidius, quia signum consensus
 ex metu graui, vt pote pars contractus, est nullius
 22. valoris; siue non sit signum, sed tantum iudicium
 matrimonij antea valde facti, vt nos existimamus;
 quia copula extorta ex metu graui, seu magni ma-
 li, non est prudens iudicium matrimonij antea val-
 lidè facti, quamuis sit quando non extorquetur ex
 metu magni mali.

Ad rationem verò aduersariorum respondemus,
 quòd quamuis non sit viri constantis peccato cont-
 sentire, adhuc ex metu magni mali, ipse tamen ma-
 ritus, quo cogitur ad id, est cadens in constantem vi-
 rum; quia ex se virum, quantumuis constantem,
 terret, & concurrit, & pauere facit.

Circa potterius conueniunt Doctores, mat-
 rimonium ratione metus grauis inualidum, non va-
 lidari iuramento, simili metu extorto, eo videlicet,
 quo contrahens iurat se ex animo contrahere,
 etiam si addat se semper tale matrimonium ratum
 habiturum: imò communiter conueniunt, non va-
 lidari simili iuramento voluntariè absque coactio-
 ne adhibito, & merito: quia iuramento, adhuc
 absque coactione adhibito, non validatur ex pau-
 ra rei, seu Iure naturali, vt patet; nec Iure a quo
 positiuo, quia nullum extat quo id disponatur.

Est tamen difficultas, An quando ex dicto me-
 tu contrahens, ex eodem promittit se semper tale
 matrimonium ratum habiturum, seu de nouo illud
 contracturum, aut aliquam aliam ducturum, & id
 iurat, ad id teneatur ratione iuramenti.

Sancius. Sancius disp. 21. & Couarruuias 2. par. cap. 3.
 negant; quia impletio dicti iuramenti, quamuis sit
 licita, est tamen contra commune bonum.

Henriquez. Henriquez verò cap. 9. & Egidius affirmant, &
 Egidius. merito: quia omne iuramentum obligat quoties li-
 citè impleri potest, vt dicitur in cap. *Debitores*, 6.
 & in cap. *Si vero*, 8. de Iureiurando; prædictum
 autem iuramentum licitè impleri potest, vt patet,
 nec impletio illius directè nocet Reipublicæ,
 quamuis ei non sit expediens, quod non sufficit vt
 non obliget; sicut etiam, quòd impletio iuramen-
 ti, facti latroni inuadenti, dandi ei pecunias, non
 sit expediens Reipublicæ, non sufficit vt non ob-
 liget; quod est verum, quamuis iuramentum etiam
 sit metu graui extortum.

24. Addimus, quòd quamuis prædictus iurans te-
 neatur ratione iuramenti, non tamen tenetur sem-
 per ratione promissionis, quamuis etiam promit-
 tat, si coactè promittit, vt supponimus; quia ex vna
 parte promissio, aliàs nulla, non validatur iura-
 mento, quia non validatur Iure naturali, vt patet;
 nec positiuo, quia non extat: & ex altera parte di-
 cta promissio non semper obligat ratione sui, quia

in primis non obligat ex fidelitate, quia fides co-
 actè extorta non est necessariò seruanda; nec obli-
 gat ex iustitia, quando ipsi coactè promittenti non
 fit repromissio, quia tunc dictæ promissioni deficit
 titulus, quia nec fit pro aliquo, nec fit liberaliter, ac
 proinde poterit in eo iuramento dispensari; quia
 fiet absque præiudicio tertij, cum dictus promit-
 sarius & iurarius nullum acquirerit ius iustitiæ.
 Imò quamuis coactè promittenti fiat repromissio,
 si ipse non acceptet ius sibi repromissum, coacta
 promissio non obligat ex iustitia; quia tunc non fit
 pro aliquo; imò & post acceptatum, seu admissum
 ius (in quo casu coactè promittens manet obli-
 gatus ex iustitia) poterit deobligari cedendo iuri
 admissio, vt posse fieri diximus Disp. 1. Diffic. xv.
 ac proinde Iure oblato non admissio à coactè pro-
 mittente, aut post admissum renuntiato, poterit
 etiam in iuramento superaddito dictæ promissioni
 dispensari ob rationem dictam, quia scilicet fiet
 absque præiudicio tertij.

DIFFICULTAS VII.

*Utrum Princeps Ecclesiasticus, & etiam
 secularis possit subditos ad Matrimo-
 nium cogere.*

Primo est Primò (in quo conueniunt Do-
 ctiores) Principem Ecclesiasticum posse co-
 gere baptizatos sibi spiritualiter subditos, & Prin-
 cipem secularem non baptizatos sibi temporaliter
 subditos, ad matrimonium contrahendum, quan-
 do id exigit bonum commune, aut alia causa ob
 quam ipsi subditi contrahere teneantur.

Secundò certum est, dominos temporales, &
 Magistratus, qui suos subditos, vel quoscumque
 alios ad matrimonia cogunt, siue directè siue indi-
 rectè, puniri à Tridentino anathematis pœna, quam
 ipso facto incurrant, vt constat ex ipso sess. 24. c. 9.
 de Reform. matrimonij, quod intelligitur de co-
 actione iniusta, vt patet, & mortaliter peccaminosa,
 vt etiam ex ipsa pœna patet; quamuis non sit ca-
 dens in virum constantem, & quamuis implicite
 tantum incussa, & non expressè ad id; quia pu-
 niuntur, etiam si indirectè tantum ad id cogant:
 eam tamen non incurrant ex eo, quòd impediunt
 matrimonium, quamuis iniuste, vt aduertit Hen-
 riquez cap. 6. quia tantum puniuntur, qui cogunt
 ad matrimonium cum hac aut cum illa persona,
 & non qui impediunt.

Est tamen difficultas, An dicta pœna anathema-
 tis sit pœna excommunicationis maioris.

Vera-cruz. Vera-cruz in Appendice ad Speculum 1. par.
 art. 9. docet non esse pœnam excommunicationis
 maioris, sed maledictionis solemnis, Primò, quia
 anathema talem maledictionem videtur significa-
 re. Secundò, quia idem Tridentinum in eadem
 sess. cap. 6. vbi voluit raptorem pœna excommuni-
 cationis puniri, id expressit, dicens, *Sit ipso Iure
 excommunicatus.*

Sancius l. 4. disp. 22. Egidius dub. 5. & Hen-
 riquez docent, dictam pœnam esse excommuni-
 cationis maioris, & merito: tum quia in ipso Iure
 nomine *anathematis* excommunicatio maior si-
 gnificatur, vt constat ex can. *Debent*, 11. quæst. 3.
 & ex can. final. 30. quæst. 4. tum etiam, quia in
 dicto decreto Tridentini dicitur, *sub anathematis
 pœna,*

pœna, quam ipso facto incurrant. maledictio autem solemniter nequit ipso facto incurri, quia ferenda est ab Ecclesia; unde anathema non significat maledictionem solemnem, sed excommunicationem maiorem; & ad summum eam, cui, quando fertur ab homine, additur maledictio solennis. Quod verò Tridentinum dicto cap. 6. nomine excommunicationis excommunicet raptorem; non conuenit id non fieri nomine anathematis.

DIFFICULTAS VIII.

Utrum parentes possint cogere seu compellere filios ad Matrimonium.

28 **S**upponimus (in quo Doctores communiter conueniunt) parentes posse cogere filios ad matrimonium, quando filij aliâs promissione aut aliunde tenentur, quamuis coactione tantum moderata, ut decet patrem; quando verò aliâs non tenentur, & nolunt statum matrimonij eligere, sed meliorem, ut calibatus, aut Religionis, non posse à parentibus, adhuc paterna increpatione ad matrimonium cogi; quia contra rationem est, filium, qui est sui iuris ad eligendum statum, & vult meliorem eligere, cogi adhuc leuiter ad statum minorem. Ex suppositione tamen, quod filius velit matrimonium contrahere, poterit à parentibus cogi, quamuis paternè tantum & leuiter, ad matrimonium ipsi maximè expediens, & simili coactione retrahi à matrimonio ipsi indigno (quando filius ad id, quod intendit, non habet rationabilem causam) quia non est multum id concedere parentibus, quibus maximè incumbit prospicere bono filij, & cuius malum & bonum quodammodo est malum & bonum parentum; sed non poterit cogi, adhuc leui coactione, ad matrimonium ordinariè expediens, neque retrahi à simili matrimonio (quando non adest aliqua rationabilis causa) ob omnimodam libertatem filij ad electionem status perpetui.

Est tamen difficultas, An parentes, qui coactione iniusta & graui, sufficiente ad mortale, compellunt filium ad matrimonium, incurrant pœnam illam anathematis, seu excommunicationem maiorem, latam à Tridentino sess. 24. cap. 9.

29 **L**udouicus Lopez 1. par. Instruct. cap. 44. & Albornoz lib. 4. de Arte contractuum, tit. 1. affirmant; quia Tridentinum generaliter loquitur, dicens: *Præcipit sancta Synodus omnibus cuiuscumque gradus, dignitatis, & conditionis existant, sub anathematis pœna, &c.*

30 **S**ancius lib. 4. disp. 22. Ægidius disp. 28. dub. 5. Henriquez cap. 6. & communiter Doctores negant, & merito: quia Tridentinum vbi suprâ tantum loquitur de dominis temporalibus, & Magistratibus habentibus iurisdictionem in foro exteriori seculari, ut constat ex prioribus verbis, in quibus tantum loquitur de prædictis, & ex particula *quare* immediatè antecedente ad decretum in quo id præcipitur, quæ est causalis præcedentium, & ex posterioribus verbis, nempe *ne subditos suos cogant*; ac proinde illæ particula: *omnibus cuiuscumque gradus, &c.* tantum appellant suprâ antea dictos dominos & Magistratus.

Vnde Parochus non incurrit dictam excommunicationem, quia non habet iurisdictionem in

foro externo, saltem seculari; neque Episcopus qui non est dominus temporalis, quia non habet iurisdictionem in foro externo seculari; imò neque Imperator, neque Rex, ut optimè Sancius & Henriquez, quamuis habeant dictam iurisdictionem, quia isti exprimi debent, ut exprimuntur in Tridentino sess. 22. cap. 11. de Reformatione, & in Bulla Cœnæ Domini.

DIFFICULTAS IX.

Utrum filius teneatur contrahere Matrimonium, quod pater promisit aut præcipit.

31 **S**upponimus; consensum parentum non sufficere ad valorem matrimonij filij, ut definitur in can. *Sufficiat.* 27. quæst. 2. & in can. *Vbi non est.* 30. quæst. 2. de quo legendus est Bellarminus lib. 1. de Matrimonio cap. 19. & 20.

Est tamen difficultas, An filius teneatur ad contrahendum matrimonium quod pater promisit aut præcipit; & procedit ex suppositione, quod filius non eligat meliorem statum: quia si eligat, non tenetur, ut patet, & ex suppositione quod matrimonium à patre promissum aut præceptum non sit filio indignum; quia si ei sit indignum, non potest à patre ad illud obligari.

32 **N**auarrus ergo cap. 14. num. 15. Rebellus q. 14. sect. 2. & Bellarminus 1. de Matrimonio cap. 19. docent, filium teneri contrahere matrimonium quod parentes promiserunt, & volunt fieri. Et deduci videtur ex cap. 1. de Desponsat. impub. vbi dicitur: *Postquam filius ad perfectam ætatem peruenit, omnino debet hoc implere.* ibi autem sermo est de sponsione contrahendi matrimonium facta à patre pro filio. Et ratione probatur; quia parentibus incumbit procurare illis has aut illas nuptias, ergo liberi tenentur illis quoad hoc obedire.

Richardus verò in 4. dist. 29. art. 1. q. 4. Sancius lib. 4. disp. 23. & Ægidius disp. 28. dub. 5. docent, filium non teneri, & merito: quia matrimonium est quasi quædam perpetua seruitus; ergo quilibet est liber & sui iuris, & à cuiuscumque alterius voluntate independens ad illud contrahendum & non contrahendum; quia durum esset, homines pro mera voluntate aliorum, quamuis parentum, contra propriam, ad perpetuam quasi seruitutem adigi & obligari. Et non tantum quilibet est liber & independens à voluntate aliena ad contrahendum & non contrahendum, sed ex suppositione etiam, quod eligat statum matrimoniale, est liber ad contrahendum hoc aut illud; quia adhuc ex suppositione quod quis velit contrahere, & fieri quasi seruus, durum est, & contra rationem, pro sola voluntate alterius adigi & obligari ad hanc aut ad illam quasi seruitutem perpetuam; filius ergo, adhuc ex suppositione quod velit matrimonium contrahere, nequit pro sola voluntate parentum obligari ad hoc aut ad illud matrimonium. Et confirmatur, quia coniugium exigit indissolubilem vitæ societatem mutuo amore conglutinatam; ergo ab eius natura alienum videtur, aliquem aliena voluntate obligari ad hoc aut ad illud, præsertim cum raro amemus ea in quæ aliorum imperio adigimur.

In dicto autem c. 1. illa particula *omnino debet* à Glossa

Glossa.

Glossa & communiter exponitur de debito honestatis non præcepti, seu obligationis. Et ad rationem respondemus, quod quamuis parentibus incumbat providere nuptias filijs (quamuis non magis, quam alium statum;) non tamen tenentur filij quoad illas parentibus obedire, neque quoad alios status, vt Religionis & cælibatus.

DIFFICULTAS X.

Vtrum filij possint licite inire hoc aut illud Matrimonium, parentibus inuitis seu resistentibus.

34

Supponimus, ad valorem matrimonij filiorum non esse necessarium consensum parentum, sed absque eo, imò contra eum posse validè fieri, vt definitur in cap. *Cum vrum*. 12. de Regularibus, & in Tridentino sess. 24. c. 1. de Reformat. matrim. De qua re legendus est Bellarminus l. 1. de Matrimonio à c. 19.

Bellarmin.

Sotus.

Rebellus.

Bellarmin.

Hoc ergo supposito, circa difficultatem Sotus in 4. dist. 28. quæst. 1. art. 1. Rebellus q. 14. sect. 1. & Bellarminus docent, filios non posse licite parentibus inuitis matrimonium contrahere: quia id videtur contra pietatem & reuerentiam parentibus debitam, cuius signum videtur esse, quod parentes communiter offenduntur grauissimè.

35

Sancius.

Ægidius.

Vasquez.

Sancius verò lib. 4. disp. 23. Ægidius disp. 28. dub. 5. & Vasquez disp. 4. num. 24. docent, filios

id posse licite, & merito: quia quilibet, adhuc ex suppositione quod velit contrahere, est liber quoad statum matrimonialem: quia durissimum esset, quoad illum, ob eius perpetuitatem & onera, pendere à voluntate alterius, quamuis patris; ergo filius liberè & licite potest, non solum non inire matrimonium quod pater vult, vt diximus Difficultate præcedenti, sed etiam contrahere quod sibi placuerit; ac proinde contrahendo contra voluntatè patris hoc aut illud matrimonium, nullam in eum irrogat impietatem & irreuerentiam; etsi aliquando, quando matrimonium fit contra eorum voluntatem, offendantur, non offenduntur tamquam iniuriati contra debitum pietatis, sed contra debitum honestatis seu decentiæ; quia decens est filium conformari voluntati patris. Quomodo verò parentes non possint exheredare liberos, neque eis dotem negare, quia contrahunt matrimonium ipsis inuitis, contra Basilium lib. 2. cap. 1. & contra alios ostendunt Sancius à disp. 24. & Vasquez vbi supra.

Sancius.

Vasquez.

36

Sancius.

Ægidius.

Addimus (vt optimè Sancius & Ægidius) quod quamuis non fit contra reuerentiam parentibus debitam, filios illis inuitis hoc aut illud matrimonium contrahere, eis tamen inconsultis, seu non certioribus factis, contrahere matrimonium aliquod, esse grauem defectum irreuerentiæ, & peccatum mortale; nisi quando filij timent, parentes iniuste impedituros matrimoniū, aut quando adest alia rationabilis causa occultandi parentibus matrimonium.

DISPUTATIO VII.

De Matrimonio conditionato.

DIFFICULTAS I.

Quod Matrimonium sit conditionatum.

I

S

UPPONIMVS Primò, contractui matrimonij (sicut cuiuscumq; alij) posse conditionem apponi: est autem conditio illa, à cuius existentia valor contractus aut dispositionis dependet; quia fit dependenter ab illa, & explicatur particulà *si*, & particulà *dummodo*; vt quando dicitur, *Do tibi equum, si es cognatus meus*, aut *dummodo sis cognatus meus*.

Supponimus Secundò, conditiones, quæ contractui matrimonij & cuiuscumque alij apponi possunt, esse in duplici differentia. Alias esse necessarias contractui, & ipsi quasi intrinsecas, sine quibus contractus nequit validè fieri: & ex his quædam sunt ita necessariae, vt illis deficientibus contrahentes nequeant conari ad perficiendum contractum; vt quando dicitur, *Volo te in uxorem, si visis*, aut *si consenseris*; quædam verò, quæ, quamuis necessariae sint, non tamen ita, vt quamuis deficient, nequeant contrahentes conari ad perficiendum contractum, saltem inualidè, vt quando dicitur, *Volo te in uxorem, si non es soror mea*. Et alias esse conditiones non necessarias contractui, & ei quasi extrinsecas, sine quibus contractus potest validè fieri; ex quibus quædam sunt impossibiles,

2

quædam verò possibiles: & ex his possibilibus quædam sunt contingentes, quæ possunt euenire & non euenire, quædam verò necessariae, quæ non possunt non euenire.

His suppositis, certum est, contractum matrimonij, cui apponitur conditio ei extrinseca, absq; cuius existentia seu subsistentia potest validè celebrari, esse conditionatum, vt quando dicitur, *Duco te in uxorem, si es nobilis*; quia appositione conditionis extrinsecæ potest aliquid noui intendi & effici, quod nequit effici eo contractu absque tali conditione celebrato, nempe quod non valeat deficiente conditione, & valeretur, si non apponeretur; ac proinde contractus, cui apponitur talis conditio, est conditionatus distinctus ab absoluto, & habens aliquem effectum, quem absolutus ab illa conditione non haberet.

Circa matrimonium verò, cui apponitur conditio ipsi necessaria, & quasi intrinseca, distinguendum est (vt aduertit Ægidius disp. 29. du. 2.) & dicendum, quod matrimonium, cui apponitur conditio ita ipsi necessaria, vt absque existentia talis conditionis nequeant contrahentes conari ad contrahendum (vt quando dicitur, *Duco te in uxorem, si consenseris*, aut *si Deus permiserit*) non censetur conditionatum, sed absolutum, quia non magis refert apponere illam conditionem, ac illam tacere; quia illius appositione nequeunt contrahentes aliquid noui intendere, & consequenter est ita absolutum, ac est quando dicta conditio

3

Ægidius.

non apponitur. Et quòd matrimonium, cui apponitur conditio ipsi necessaria, sed non ita, vt si deficiat & non existat, contrahentes nequeant conari perficere contractum, vt quando dicitur, *Volo te in uxorem, si non es soror mea*, verè sit & censeatur conditionatum; quia appositione talis conditionis potest aliquid noui intendi; quia illius appositio potest ad aliquid conducere, nempe vt non contrahatur matrimonium illicitè contra pietatem consanguineis debitam, & vt non incurratur pœna diffidentiae dispensationis imposita in Tridentino sess. 24. cap. 5. de Reformat. matrimonij, contra contrahentes scienter in gradibus prohibitis, & quando denuntiationes illicitè omittuntur, etiam contra ignoranter contrahentes in illis; qua pœna, vbi Tridentinum viget, videtur cessasse pœna excommunicationis lata in Clementina vnica de Consanguinitate contra scienter contrahentes in gradibus prohibitis, & vbi Tridentinũ non viget, ne contrahatur dicta pœna excommunicationis.

Obseruandum tamen est, quòd cùm contractus matrimonij nequeat validè fieri absque consensu seu intentione contrahentium, semper standum est intentioni seu consensui contrahentis sub conditione, qualiscumque illa sit, siue turpis siue impossibilis, ita vt conditione non existente, non fiat verè contractus, quamuis in foro exteriori aliquando pro qualitate conditionis oppositum præsumatur & iudicetur.

DIFFICULTAS II.

Vtrum conditiones appositæ Matrimonio illud suspendant vsque ad notitiam existentiae ipsarum.

5 **C**onueniunt Doctores, existentiam seu subsistentiam conditionum, quæ apponuntur matrimonio, esse necessariam ad valorem illius; quia sit dependenter ab earum existentia. Est tamen difficultas, an etiam sit necessaria notitia existentiae seu impletionis earum.

Ægidius. Ægidius disp. 29. dub. 1. docet, matrimonium factum sub conditione, quamuis de præsentis & præterito, non valere, quamuis conditio existat & impleta sit, sed suspendi vsque ad notitiam, saltem probabilem existentiae conditionis appositæ, habitam à contrahentibus. Ratio illius est, quia ad contrahendum matrimonium necessaria sunt verba, quibus contrahentes sibi mutuò significant determinatè consensum; quia verbis, quibus æqualiter possunt significare consensum & dissensum, nequeunt matrimonium contrahere; sed quando existentia seu impletio conditionis appositæ ignota est contrahentibus, non significant suis verbis determinatè consensum: quia non magis significant consensum quàm dissensum; quia sub disiunctione significant vel consensum, si conditio existat, vel dissensum, si non existat; ex dictis enim verbis, quousque existentia conditionis sit nota, non magis colligitur consensus quàm dissensus; ergo verba, quibus contrahitur matrimonium sub conditione, non sufficiunt ad valorem, quousque positio seu existentia conditionis sit contrahentibus nota.

Sancius. Sancius verò lib. 5. disp. 7. docet, matrimonium sub conditione factum non suspendi vsque ad

notitiam impletionis conditionis, sed statim ac conditio existit, esse validum & perfectum, & meritò: quia qui contrahit matrimonium sub conditione v.g. nobilitatis vxoris, contrahit, & consentit sub conditione existentiae rei significatæ per conditionem, nempe nobilitatis, & non sub conditione notitiæ nobilitatis, & suum consensum alligat existentiae nobilitatis, & non notitiæ illius, vt constat ex verbis quibus fit matrimonium, nempe, *Duco te in uxorem, si es nobilis*; ergo non suspenditur vsque ad notitiam.

Quòd autem existentia seu positio conditionis non sit contrahentibus nota, non tollit, verba, quibus contrahitur matrimonium sub conditione, significare ipsis contrahentibus determinatè consensum sub illa conditione, quamuis ignorent existentiam conditionis sub qua præbetur consensus; quia verba determinatè illum significant sub ea conditione, & ipsis contrahentibus; quia ipsis proferuntur, & ad eos diriguntur, & ipsi ex verbis sub conditione prolatis colligunt determinatè consensum sub conditione appositæ, quamuis ignorando existentiam conditionis, ignorent contractum seu consensum absolutè valere; quia ignorant id sub quo consensus fuit præstitus: quia aliud est, ignorare, consensum absolutè valere ex eo quòd ignoretur existentia conditionis; & aliud est, ignorare, consensum fuisse sub conditione præstitum: contrahentes autem hoc non ignorant, quamuis prius illud ignorent.

Ex dictis constat, matrimonium contractum sub conditione de præsentis aut præterito, statim absolutè valere, aut esse omnino nullum: valere quidem absolutè, si conditio existat; & esse omnino nullum, si non existat.

DIFFICULTAS III.

Vtrum Matrimonium contractum sub conditione de futuro, ob quam suspenditur vsque ad euentum conditionis, fiat validum euentu ipso absque nouo consensu.

6 **S**otus in 4. dist. 29. quæst. 2. art. 1. Henriquez cap. 11. & Basilius lib. 3. cap. 14. docent, matrimonium contractum sub dicta conditione de futuro, v.g. sub hac, *si pater tuus consenserit*, non fieri validum euentu ipso conditionis, absque nouo consensu; sed absq; eo tantum habere vim sponsalium. Quod deduci videtur ex cap. *Super eo*. 5. de Conditionibus, dum dicitur, eum qui matrimonium contraxit cum femina sub conditione, *si pater illius consentiret*, non esse compellendum ad matrimonium ante euentum conditionis: quia ibi supponi videtur, impleta conditione compellendum fore ad contrahendum matrimonium, ac proinde non esse perfectum solo euentu & impletionem conditionis. Et ratione probatur, quia consensus de præsentis, sub conditione de futuro præstitus, non est in rigore de præsentis, vt significatur in dicto cap. sed est de futuro, vt pote alligatus euentui futuro; ergo non sufficit ad matrimonium, sed tantum ad sponsalia.

Paludan. verò in 4. dist. 29. q. 2. art. 5. Sancius lib. 5. disp. 8. & Ægidius disp. 29. n. 11. docent, matrimonium contractum sub dicta conditione

de futuro, perfici & purificari solo euentu conditionis absque nouo & superaddito consensu, & meritò: quia consensus per verba de presenti præstitus, quamuis sub conditione de futuro & contingenti, est verè consensus de presenti (quamuis inchoatus tantùm & imperfectus vsque ad euentum conditionis) quo contrahens ex tunc consentit, & vult alterum in coniugem sub conditione, id est, si ponatur conditio; ergo positione conditionis consensus ille perficitur, & à conditione absoluitur, ac proinde etiam contractus. Consequentia patet; quia consensus ille conditionatus habitualiter manet, vtpote non reuocatus, & iam positione conditionis ab ea absolutus & independens, imò manet moraliter præfens, vtpote elicitus dependenter ab euentu conditionis quem expectat, & iam euentu ipso conditionis ab ea absolutus. Et confirmatur, quia consensus illius, qui primò protulit verba, includit quasi intrinsecè hanc conditionem, *si tu etiam consenseris*; & tamen statim ac alter consentit, consensus & contractus fit perfectus & absolutus absque nouo consensu prioris: ergo etiam consensus in matrimonium sub conditione de futuro, etiam contingenti, fit absolutus & perfectus solo euentu conditionis.

11

In dicto autem cap. *Super eo*. pro aduersarijs adducto, tantùm dicitur, illum contrahentem non esse ante impletionem conditionis compellendum ad contrahendum (subintellige, absolutè, seu absque conditione); ex eo tamen non infertur, neque in eo supponitur esse compellendū, quando conditio est impleta; quia argumentum à contrario non est efficax, præsertim quando consequens, quod infertur, supponit alium statum, vt contingit in presenti casu, in quo consequens supponit impletionem conditionis. Et ad rationem respondemus, negando, consensum de presenti sub conditione de futuro præstitum, non esse in rigore de presenti (quamuis tantùm sit inchoatus) cum verè exprimat per verba de presenti. Ex eo verò, quòd alligetur euentui conditionis futuro, tantùm fit, ante euentum non esse perfectum & absolutum: & id tantùm significatur in dicto cap. dum dicitur, talem consensum non esse habendum de presenti, id est, non esse consensum de presenti perfectum & absolutum.

12

Obseruandum est, consensum in matrimonium sub conditione de futuro, illud suspendente in futurum, si reuocetur ante euentum conditionis, non sufficere ad matrimonium; quia reuocatione definit esse consensus, ac proinde non existit adhuc habitualiter, quando impletur conditio, vt illius impletionem perfici possit, & à conditione absolui. Verum est, eam reuocationem esse iniustam contra obligationem iustitiæ expectandi impletionem conditionis, & ob hanc rationem consensum sub conditione de futuro in alios contractus, si reuocetur, non sufficere ex Iure naturali ad eorum valorem; sufficere tamen de facto ex Iure positio, quod ob iniustitiam reuocationis vult supplere defectum consensus ad illos requisiti; quod non fit, nec fieri potest in contractu matrimonij, quia potestas humana nequit supplere defectum consensus ad eum requisiti.

13

DIFFICULTAS IV.

Vtrum Matrimonium contractum inter inhabiles inhabilitate, in qua Papa potest dispensare, sub conditione, si Papa dispensauerit, perficiatur absque nouo consensu, facta dispensatione.

Quamuis Difficultate præcedenti dixerimus, matrimonium sub conditione de futuro absolutè valere, absque nouo consensu, sola impletionem conditionis; Difficultas hæc adhuc habet locum ob peculiarem rationem contrahentium, & conditionis sub qua contrahunt.

Circa hanc ergo difficultatem Sotus dist. 29. quæst. 2. art. 1. & Henriquez cap. 12. docent, matrimonium in casu dicto non perfici absque nouo consensu, quamuis dispensatio obtineatur. Primò, quia matrimonium absque consensu de presenti absoluto, & inter personas habiles, nequit esse perfectum: in casu autem dicto numquam est consensus de presenti absolutus, & inter personas habiles, quia tempore, quo consensus fuit elicitus, & erat de presenti, personæ erant inhabiles; & quamuis tempore impletionis conditionis iam personæ erant habiles, tamen tunc non est consensus de presenti, sed præteritus & antiquus; ergo. Secundò, quia dicta conditio, *si Papa dispenderit*, pendet ex arbitrio Principis, ac proinde Iure censetur impossibilis, vt constat ex L. *Apud Iulianum*. §. fin. ff. De legatis; conditio autem impossibilis habetur pro non apposita, ac proinde contractus sub illa celebratus statim est absolutus: sed matrimonium absolutè factum, quando contrahentes sunt inhabiles, est nullum, & indiget nouo consensu tempore habilitatis; ergo matrimonium, sub dicta conditione contractum, est nullum, & indiget nouo consensu post obtentam dispensationem qua fiunt habiles.

14
Sotus.
Henriquez

Sancius verò lib. 5. disp. 8. & Ægidius disp. 19. num. 33. docent, matrimonium in casu dicto perfici obtenta dispensatione, absque nouo consensu, & meritò: quia in casu dicto reperitur consensus de presenti absolutus, & inter personas habiles; ergo absque nouo consensu est sufficiens ad matrimonium. Consequentia patet. Antecedens autem probatur simul & declaratur; quia consensus ille conditionatus, vt sic, est de presenti, & est inter personas habiles ad contrahendum sub dicta conditione, & aliàs perseuerat vsque ad impletionem conditionis, nempe dispensationis, qua ille consensus de presenti fit absolutus, & contrahentes fiunt habiles ad consensum absolutum: ergo verè adest consensus de presenti absolutus, & inter personas habiles. Ex quo constat ad priorem rationem aduersariorum. Et ad posteriorem respondemus, quòd quamuis dicta conditio pendeat ex arbitrio Principis, non est censenda impossibilis, quia dispensatio solet fieri; & id quod pendet à Principe, tunc tantùm censetur impossibile, quando non solet à Principe fieri, vt dicitur in dicta Lege.

15
Sancius.
Ægidius.

DIFFICULTAS V.

Quando conditio hæc de futuro, si patri placuerit, appositâ Matrimonio, censetur impleta, aut deficere, ut ex tunc Matrimonium absolute valeat, aut omnino evanescat.

16

Circa hanc difficultatem quod præcipuè controuertitur est, An quando pater primò dissentit, si tamen postea consentiat, consensu isto posteriori impleatur dicta conditio, & perficiatur matrimonium.

Sotus.
Sancius.
Basilus.

Sotus in 4. dist. 29. quæst. 2. art. 3. Sancius l. 5. disp. 7. & Basilus lib. 3. in fin. partem negatiuam tuentur, quia eo priori dissensu deficit conditio.

Nauarrus.
Ledesma.
Ægidius.

Nauarrus verò cap. 22. num. 61. Petrus Ledesma quæst. 47. art. 5. dub. 7. & Ægidius disp. 29. dub. 2. partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia quamuis, verbis dictæ conditionis in rigore sumptis, eo priori dissensu deficiat conditio; nihilominus, iuxta communem sensum & intentionem contrahentium, verba dictæ conditionis non sumuntur in rigore, sed morali quodam modo, ita ut sensus sit, Si à patre obtentus fuerit consensus intra tempus aliquod, arbitrio prudentis, attentis circumstantijs, sicut quando contrahitur sub conditione, si Papa dispensauerit: ergo quamuis pater initio dissentiat, si postea consentiat intra tempus, vsque ad quod, attentis circumstantijs arbitrio prudentis, intenderunt extendere consensum conditionatum, absolute valet: quia tunc non deficit conditio, cum intra tempus intentum obtineatur consensus patris; sicut etiam matrimonium, contractum sub conditione, si Papa dispensauerit, valet, quamuis Papa initio denegat dispensationem, si postea intra tempus aliquod arbitrio prudentis illam concedat.

18

Et ob eandem rationem existimamus, matrimonium, factum sub ea conditione, si patri placuerit, non valere, quamuis pater primò consentiat, si postea intra tempus aliquod, saltem breue, dissentiat & repugnet; quia scilicet, iuxta communem intentionem contrahentium, extenditur consensus conditionatus vsque ad aliquod tempus, tantum aut tantum, attentis varijs circumstantijs; quia absque dubio sensus & intentio contrahentium est, ipsorum matrimonium valere, si pater intra aliquod tempus tandem acquiescat, & non repugnet, quod deficit si intra tempus illud maneat repugnans.

Sancius.
Ægidius.

Obseruandum tamen est (ut optimè Sancius & Ægidius) quòd quamuis dicta conditio, si patri placuerit, significetur in rigore positius consensus; nihilominus, iuxta communem sensum contrahentium, ea conditione tantum significatur non-repugnantia patris; quia ipsi dicta conditione non tam intendunt quòd pater positiuè faueat, quam quòd non repugnet, & agrè ferat. Vnde (ut optimè Sancius & Ægidius contra Basilium lib. 3. in fin.) si pater moriatur antè quam rogatus sit an ipsi placeat, valet matrimonium, quia tunc repugnare nequit.

Sancius.
Ægidius.

Quæ autem dicta sunt circa matrimonium sub ea conditione, si patri placuerit, dicta etiam putamus circa sponsalia sub ea conditione facta, ob eandem rationes.

19

DIFFICULTAS VI.

Vtrum conditio necessaria de futuro, appositâ Matrimonio, illud suspendat in futurum.

Circa hanc difficultatem conueniunt communiter Doctores, matrimonium factum sub conditione necessaria de futuro, v. g. si Sol oriatur cras, statim ac fit, ante euentum conditionis absolute valere & perfici, quando cognoscitur ut necessaria. Ita Sancius lib. 5. disp. 2. Henriquez lib. 11. cap. 12. Rebellus lib. 2. quæst. 10. sect. 2. Ægidius disp. 29. num. 8. & Basilus lib. 3. cap. 1. Quia quamuis verbis dictæ conditionis in rigore significetur dependentia consensus ab euentu postea futuro, & posset sic à contrahentibus intendi; tamen, iuxta communem sensum & intentionem contrahentium, id non intenditur appositione talis conditionis; quia cum euentus illius sit necessariò contentus in causa necessaria, & cognoscatur ut talis, ita est certus, & ita moraliter censetur præsens, ut qui eam conditionem apponunt, non tam apponant ad suspendendum consensum, quam ad significandam certitudinem consensus præsentis absoluti; ac proinde quando non constat appositam fuisse ad suspendendum consensum; matrimonium censendum est in utroq; foro, tam interiori quam exteriori, statim absolute valere & perfici, & non solum ex tunc obligare, sed etiam pro tunc, quidquid dicat Basilus.

Sancius.
Henriquez.
Rebellus.
Ægidius.
Basilus.

20

Et idem dicendum est de conditione de futuro contingenti infallibili, seu certò futura cognita, ut tali, v. g. si Antichristus venerit; ut contra Adrianum & Couarruiam & Basilium docent Sancius & Rebellus: quia contrahentibus non minus constat, conditionem hanc certò futuram seu extituram, quam conditionem necessariam; conditio autem necessaria ob certitudinem suæ existentie & futuritionis, non tam apponitur iuxta communem intentionem ad suspendendum consensum, quam ad significandam certitudinem consensus de præsentis absoluti: ergo etiam conditio de futuro contingenti infallibilis cognita ut talis, ad id etiam apponitur iuxta communem contrahentium intentionem; ac proinde etiam dum non constat appositam esse matrimonium, ad illud suspendendum, iudicandum est statim absolute valere. Si tamen matrimonio apponeretur hæc conditio, si Antichristus venerit intra decem annos, verè illud suspenderet vsque ad tempus additum; quia ratione temporis superadditi aduentui Antichristi conditio non est certa.

Sancius.
Rebellus.

21

Addidimus, quando conditiones necessariae & infallibiles cognoscuntur ut tales; quia quando non cognoscuntur, sed earum euentus incertus existimatur, matrimonium, sub qualibet earum celebratum, non valet absolute vsque ad euentum earum; quia tunc apponuntur ad suspendendum consensum vsque ad dictum euentum.

DIFFI-

DIFFICULTAS VII.

Vtrum, ubi Tridentinum viget, ad valorem absolutum Matrimonij conditionati necessarium sit, conditionem coram Parocho & alijs testibus impleri.

21 **D**ifficultas hæc quoad matrimonium conditionatum conditione de futuro, non procedit iuxta opinionem asserentium, matrimonium sic contractum non purificari impletione conditionis, sed requiri novum consensum; quia iuxta hanc opinionem sufficit, & necessarium est, novum illum consensum exprimi coram Parocho & alijs testibus; quia tunc fit integrè matrimonium, & non antea: sed tantum procedit iuxta opinionem nostram, qua diximus, matrimonium conditionatum conditione de futuro purificari impletione conditionis absque novo consensu.

23 **S**upponimus autem, secundum nostram opinionem, sufficere contractum ipsum conditionatum, siue conditione de præsentis aut de præterito, siue conditione de futuro, & impletionem conditionis fieri coram Parocho & alijs testibus; quia eo ipso matrimonium perfectum & purificatum fit coram illis: & ad minus necessarium esse, contractum ipsum conditionatum coram illis fieri.

Est tamen difficultas, An etiam sit necessarium impletionem conditionis coram illis fieri.

Sancius.

— Circa quam Sancius lib. 5. disp. 8. partem negatiivam tuetur; quia, ut Parochus & alij testes validè assistant matrimonio, quod à Tridentino requiritur, non est necessarium ita assistere ut testari possint illud fuisse validè contractum; quia validè assistunt matrimonio eorum, quos nesciunt carere impedimento dirimente, & validè assistunt matrimonio factò per procuratorem, absque eo quòd coram eis fiat assignatio procuratoris, & absque eo quòd eis ostendatur assignatio illius, ut diximus Disputatione III. Difficultate xv. ergo non est necessarium, ut assistat impletioni conditionis sub qua matrimonium fuit celebratum; quia impletio conditionis tantum est necessaria ut matrimonium antea celebratum fiat absolute validum. Et confirmatur, quia ita assistendo satisfit intentioni Tridentini, vitandi omnia incommoda; quia ita assistendo poterit constare, matrimonium fuisse contractum sub conditione, & ita neuter permittitur aliud contrahere, nisi constet conditionem non fuisse impletam.

24

Ægidius.

Ægidius verò disp. 29. num. 15. partem affirmatiivam tradit, & merito: quia ad valorem matrimonij, ubi Tridentinum viget, necessarium est, quòd Parochus & alij testes assistant matrimonio essentialiter perfectò, quoad exterius ipsum, & non sufficit matrimonio essentialiter tantum inchoato; matrimonium autem absque impletione conditionis adhuc de præterito nō est essentialiter perfectum quoad exterius, quia eā perficitur, sed tantum est inchoatum.

Ad rationem ergo respondemus, quòd quamvis necessarium non sit ita assistere matrimonio, ut possint testificari de valore illius, assistendo omnibus quoquomodo requisitis ad valorem; est tamen necessarium, assistere matrimonio es-

25
sentialiter perfectò quoad exterius ipsum, in quo consistit essentia exterior matrimonij: & quia essentia exterior matrimonij conditionati perficitur essentialiter impletione conditionis, cum exterior expressio consensus, in qua consistit, eum alligauerit impletioni conditionis; idèd necessarium est assistere impletioni conditionis, & non est necessarium assistere carentiæ impedimenti inter contrahentes, nec assignationi procuratoris, nec ostensioni talis assignationis; quia istæ non perficiunt essentialiter exteriorè expressionem consensus, quamvis sint requisitæ, ut exterior expressio consensus sit valida, & ut habeat effectum.

82
Et ad confirmationem negamus, assistendo matrimonio conditionato satisfieri intentioni Tridentini, si non assistatur impletioni conditionis, qua essentialiter perficitur; quia, si non assistatur, uterque permittitur contrahere aliud matrimonium: quia dum non constat conditionem fuisse impletam, neuter poterit impediri ab Ecclesia à contrahendo aliud; quia asserenti conditionem fuisse impletam, incumbit probatio. Et quamvis forsitan non permittatur, dum non constet conditionem non fuisse impletam; tamen si de facto cum altera contrahat, Ecclesia pro hoc secundo contractu iudicabit, dum non constet conditionem primo contractui appositam fuisse impletam.

DIFFICULTAS VIII.

Vtrum conditio contra substantiam Matrimonij illud irritet.

26
Conditio contra substantiam matrimonij dicitur illa, quæ est contra materiam proximam & substantialem, circa quam contractus essentialiter seu substantialiter proximè versatur, seu quæ est impossibilis, & repugnans esse cum ea materia proxima; quia eo ipso talis conditio est contra essentialiam & substantiam contractus matrimonij, qui essentialiter & substantialiter circa illam versatur.

Hoc supposito, certum est, matrimonium contractum sub conditione contra substantiam matrimonij, esse nullum & irritum, cum fiat dependenter ab existentia conditionis impossibilis cum ipso contractu, & cum eius materia proxima.

Est tamen difficultas, quæ conditiones sint contra substantiam matrimonij, & ob id irritent matrimonium sub eis contractum.

27
Circa quam certum est, matrimonium contractum sub conditione, non transferendi dominium corporum ad usum coniugalem, neque se obligandi ad illum obligatione radicali, ex aduerso correspondente dicto dominio, esse matrimonium contractum sub conditione contra substantiam ipsius, & ob id esse nullum & irritum. Et in primis esse contractum sub conditione contra substantiam matrimonij, patet; quia ea conditio sub qua contrahitur, directe, & adæquatè & contradictoriè opponitur materiæ proximæ, circa quam matrimonium substantialiter versatur, nempe dictæ translationi dominij, & dictæ radicali obligationi, quæ matrimonio substantialiter intèduntur. Quòd verò sub ea contractum, eo ipso sit nullum, probatur; quia contrahitur sub conditione impossibili
cum

cum eo quod contractu ipso matrimonij intenditur effici, ac proinde appositione dictæ conditionis destruitur aut impeditur id quod contractu ipso construi & effici intenditur.

Supereft ergo difficultas, An conditiones contra bona matrimonij sint contra substantiam matrimonij, & ob id matrimonium sub eis contractum sit nullum.

28 Circa quod conueniunt Doctores, conditiones contra bona matrimonij (vt contra prolem, vt quando dicitur, *Contraho tecum, si prolis generationem eures*; aut contra fidem, vt quando dicitur, *Contraho tecum, si te adulterandum tradas*; aut contra indissolubilitatem, vt quando dicitur, *Contraho tecum, donec inueniam aliam pulchriorem te*) esse contra substantiam matrimonij, & ob id matrimonium sub qualibet earum contractum, esse nullum. quod supponitur & decernitur à Gregorio IX. in cap. fin. de Conditionibus apposis, & in Lege 5. Castellæ, tit. 4. part. 4.

Et in primis conditionem contra indissolubilitatem matrimonij, vt quando dicitur, *Contraho tecum, donec inueniam aliam pulchriorem te*, esse contra substantiam matrimonij (& ob id matrimonium sub ea contractum esse nullum) probatur; quia qui eo modo, & eam conditionem apponendo contrahit, non tradit suum corpus, nec se obligat absolute in perpetuum, sed tantum ad tempus, quod est contra materiam proximam, circa quam matrimonium essentialiter & proximè versatur, nempe contra perpetuam traditionem corporis, & contra perpetuam obligationem, quæ solum, & non temporaria, effici potest contractu matrimonij.

Quod verò matrimonium contractum sub conditione euitandi prolem, & etiam contractum sub conditione non seruandi fidem, sit etiam nullum, & contractum sub conditione contra substantiam ipsius, quando dictæ conditiones non apponuntur ad suspendendum consensum, aut quod idem est, quando non sumuntur pro executione euitandi prolem, & pro executione non seruandi fidem, sed pro obligationibus vitandi prolem, & non seruandi fidem, vt communiter apponuntur quando apponuntur, qua ratione dictæ conditiones potius habent rationem pactionum & modorum, quam conditionum, etiam constat, quia istæ duæ obligationes sunt impossibiles cum dicta materia proxima substantiali matrimonij; quia obligatio ad euitandum prolem illicitè, seu medio illicito, sumendo potionem sterilitatis, & emittendo semen extra vas, & obligatio non seruandi fidem, non sunt composibiles cum obligatione radicali ad vsum coniugalem ordinatum ad prolis generationem, & ad seruandam fidelitatem: hæc autem obligatio, sicut & dominium ei correspondens, est materia proxima, circa quam matrimonium essentialiter versatur, & quæ matrimonio valido omnino necessariò inducitur.

30 Addidimus, quando dictæ duæ conditiones sumuntur pro obligationibus ad executiones, & non pro executionibus ipsis; quia executiones, vt vitatio prolis, & adulteratio, siue præterita, siue præsentis, siue futura, non sunt impossibiles cum dicta substantia matrimonij, vt patet, sed tantum obligationes ad eas executiones, vt explicatum est.

Ex dictis constat, omnes prædictas conditiones

matrimonio appositas, vt pactiones seu modos, illud irritare ex natura rei, seu Iure naturali; quia ex natura rei opponuntur dictæ substantiæ matrimonij. Ex quo fit, Pontificem in dicto cap. nihil noui statere circa hoc, sed Ius ipsum naturale explicare; & etiam sit, matrimonium non baptizatorum sub aliqua ex illis contractum, etiam esse nullum, quia isti etiam comprehenduntur ipso Iure naturali.

31 Obseruandum est, quamlibet conditionem ex dictis, supradicto modo sumptam, matrimonium irritare, quamuis ab vno tantum contrahentium apponatur, vt contra Antoninum & alios docent Sancius l. 5. disp. 13. & alij; quia valor matrimonij essentialiter pendet à consensu vtriusque in materiam substantialem illius, ac proinde si consensus vnus elicitur dependenter à conditione contra substantiam, seu materiam substantialem matrimonij, nihil fiet.

DIFFICULTAS IX.

Utrum conditio numquam se copulandi, seu numquam reddendi aut numquam petendi, irritet Matrimonium.

32 **S**ancius lib. 5. disp. 10. Sotus in 4. dist. 29. quæst. 2. art. 3. Couarruias 2. par. de Matrimonio cap. 3. §. 1. & Henriquez lib. 11. cap. 4. partem affirmatiuam tuentur; quia conditio, *si prolem eures*, est contra substantiam matrimonij, & illud irritat, vt dicitur in cap. final. de Conditionibus; sed conditio numquam se copulandi, seu semper seruandi castitatem, est euitandi prolem; quia non se copulando, seu seruando castitatem, impeditur proles; ergo hæc conditio est contra substantiam matrimonij, & illud irritat. Et confirmatur, quia substantia matrimonij consistit in mutuo iure petendi, & in mutua obligatione reddendi: sed dicta conditio nequit consistere cum iure petendi, & cum obligatione reddendi, quia ex ea conditione oritur deobligatio reddendi, & priuatio iuris ad petendum; imò etiam oriri potest positua obligatio non petendi, & non reddendi, si id etiam dicta conditione contrahentes intendant: ergo dicta conditio est contra substantiam matrimonij, & illud irritat.

33 Vasquez verò 3. part. disp. 125. cap. 6. Rebelus quæst. 10. sect. 3. Egidius disp. 24. dub. 4. & plures alij partem negatiuam tradunt, & merito; quia dicta conditio non est contra materiam substantialem proximam matrimonij, sed est composibilis cum illa; ergo non est contra substantiam matrimonij, neque illud irritat. Consequentia patet, Antecedens autem probatur; quia materia substantialis, circa quam contractus matrimonij proximè essentialiter versatur, consistit in mutuo dominio corporum, in ordine ad vsum coniugalem, & in mutua obligatione radicali ad eundem: cum his autem non est impossibilis prædicta conditio & pactio; quia quamuis ex hac conditione seu pactione obligatio radicalis ad reddendum impediatur, & etiam ius remotum, seu dominium ad petendum, imò ex ea oriri etiam possit positua obligatio non petendi & non reddendi, hæc tamen non sunt impossibilia cum dicto dominio, &

34 & cum dicta obligatione radicali; quia dominium istud potest esse & perseverare, quamvis impeditum ad exeundum in actum, nempe in petitionem debiti, aut quod idem est, potest esse & perseverare cum priuatione iuris proximi ad petendum, & dicta obligatio radicalis ad reddendum potest esse & perseverare, quamvis impedita ad exeundum in actum, nempe in redditionem debiti, aut quod idem est, potest esse & perseverare cum priuatione obligationis proxima ad reddendum. Imò dictum dominium potest esse & perseverare cum positiva obligatione proxima non petendi, & dicta radicalis obligatio reddendi cum positiva obligatione proxima non reddendi, ut patet in iam coniugibus, qui post matrimonium factum paciscuntur de non petendo & non reddendo, in quibus verè manet mutuum dominium, seu ius radicale, & mutua radicalis obligatio absque iure proximo ad petendum, & absque obligatione proxima ad reddendum, imò cum obligatione positiva non petendi, & non reddendi, si id etiam suo pacto intendant. Ergo dicta conditio, seu pactio, & modus non repugnat materiae substantiali proxima matrimonij consistenti in dicto mutuo dominio, & in dicta mutua obligatione radicali, quamvis repugnet expeditioni tam dicti dominij, quam dictae mutuae obligationis radicalis ad usum coniugalem, seu tam iuri proximo ad petendum, quam obligationi proxima ad reddendum, quae quando pacto non impediuntur, oriuntur necessario ex dicto dominio, & ex dicta obligatione radicali.

Hoc autem, quod dicimus, posse contingere in matrimonio, nempe dominium in corpora ad usum coniugalem, & obligationem radicalem ad eundem manere absque expeditione ad eum usum, seu absque iure proximo ad petendum, & absque obligatione proxima ad reddendum, imò cum positiva obligatione ad non petendum & ad non reddendum, etiam potest contingere in alijs rebus; quia dominus qui alteri locaret omnem operam sui mancipij, quamvis retineret dominium in mancipium, seu ius radicale in ordine ad operas illius, & in ipso mancipio perseveraret obligatio radicalis; nihilominus in domino maneret dominium impeditum, seu non maneret ius proximum, sed hoc esset in conductore absque dominio, & in mancipio non esset obligatio proxima obediendi domino, sed conductori, quamvis in eo esset obligatio radicalis correspondens dominio domini: imò in domino potest manere obligatio positiva non occupandi mancipium, & in mancipio non obediendi illi, si de eo convenirent dominus & conductor, aut mancipium & dominus.

36 Quòd si respondeas, quòd quamvis dicta conditio non repugnet dominio in corpora iam translato, repugnat tamen dominio transferendo, seu dominio in fieri, & in transferri, sicut impedimentum dirimens antecedens matrimonium, illud irritat, & quando matrimonio iam facto superuenit, non dissolvit illud. Contra responsionem est, quòd quamvis, quando est aliquis defectus in causa efficiendi, à qua effectus tantum pendet in fieri, & non in conservari, impediatur ne fiat effectus, & effectum iam positum non destruat; quia (ut supponimus) effectus tantum dependet à causa in fieri, & non in conservari, & ob id impedimentum dirimens, quia est defectus in causa

efficiente, nempe in contrahentibus, eos inhabilitans ad matrimonium, & ab eis matrimonium tantum dependet in fieri, & non in conservari, irritat matrimonium efficiendum, & non dissolvit iam factum. At quando in aliquo est defectus repugnans essentiae rei, si defectus ille repugnat essentiae in fieri, etiam repugnabit essentiae in facto esse: & si non repugnat essentiae in facto esse, non repugnabit essentiae in fieri, cum essentia rei eadem sit quando fit, & quando est in facto esse. Quia ergo praedicta conditio, si esset defectus, non esset defectus in causa efficiente, sed quia repugnaret essentiae & substantiae matrimonij, & ei non repugnat in facto esse, quia non est impossibilis cum dicto dominio iam translato, & cum dicta obligatione radicali iam inducta, etiam non repugnabit translationi dominij, neque inductioni dictae obligationis radicalis.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, conditionem illam, *Si prolem eutes*, id est, si te obliges ad eam evitandam, tantum esse contra substantiam matrimonij quando est ad evitandam prolem medio illicito, non verò ad eam evitandam licite, non solum negativè, ut in casu praesentis difficultatis, sed etiam positivè medio licito, ut sanguinis missione tempore necessitatis; quia sola obligatio ad illicitè vitandam prolem est impossibilis cum obligatione radicali, orta ex matrimonio: quia sicut licite evitare prolem non petendo, & alijs medijs licitis quamvis positivis, & etiam non reddendo, quando licite fieri potest, non est contra obligationem, ortam ex contractu matrimonij in ipso, qui evitat, & consequenter neque contra dominium ortum in altero; ita etiam priuatio iuris proximi ad petendum, & priuatio obligationis proxima ad reddendum, imò positiva obligatio, siue iustitiae, orta ex contractu superaddito contractui matrimonij, siue religionis, orta ex voto ad non petendum, & ad non reddendum, & ad alia media licita, quibus proles impeditur, non est impossibilis cum obligatione radicali orta ex matrimonio: & sicut prolem vitare illicitè, est contra obligationem ortam ex matrimonio; ita etiam obligatio ad eam illicitè vitandam, est impossibilis cum obligatione radicali orta ex matrimonio.

Vnde ad confirmationem negandum est, ex dicta conditione oriri aliquid impossibile cum mutuo dominio ad petendum, & cum mutua obligatione ad reddendum, in quibus consistit materia substantialis proxima contractus matrimonij; quia ex illa conditione tantum oritur priuatio iuris proximi ad petendum, & priuatio obligationis proxima ad reddendum, & ad summum etiam positiva obligatio proxima ad non petendum, & ad non reddendum, quae non sunt impossibiles cum dicto dominio, quod est ius remotum ad petendum, & cum dicta obligatione radicali ad reddendum, ut explicatum est.

39 Quòd si positiva obligatio proxima non petendi & non reddendi, orta ex contractu seu conventionione, quamvis sit iustitiae, non est impossibilis cum dicto dominio, & obligatione radicali matrimonij; multò minus erit positiva obligatio non petendi, & non reddendi orta ex voto; quia est obligatio diversae rationis, utpote religionis, ab obligatione orta ex matrimonio, utpote iustitiae; ac proinde si matrimonium factum sub conditione,

&

& pacto non petendi & non reddendi, ex quo oritur obligatio iustitiæ non petendi & non reddendi, non est irritum, multò minùs erit irritum factum sub conditione, & pacto vouendi castitatem, ex quo oritur obligatio iustitiæ vouendi castitatem.

DIFFICULTAS X.

Vtrum conditio impossibilis habenda sit pro non adiecta.

40 **C**onueniunt Doctores, quòd quando contrahentes ita seriò apponunt conditionem impossibilem, vt nollent contrahere, nisi dependeret à subsistentia illius, vt quando dicitur, *Contrahe tecum si calum digito tetigisti, aut tetigeris*, tunc verè & in foro conscientiæ non contrahunt matrimonium; quia conditio illa, vt pòte impossibilis, nequit subsistere, quia absque consensu contrahentium, qui tunc deliceret ex defectu subsistentiæ conditionis, quem Ecclesia non potest supplere, nequit contrahi; ac proinde tunc dicta conditio verè & in foro interiori conscientiæ habenda est pro adiecta seu appositâ.

41 Est ergo difficultas, quomodo Pontifex in cap. fin. de Conditionibus appositis statuât conditionem impossibilem adiectam matrimonio habendam esse pro non adiecta; quia ea reiecta, seu habita pro non adiecta, matrimonium manet validum, aut verè & re ipsa, quod Pontifex efficere nequit absque consensu contrahentium, qui verè deficit quando contrahitur sub conditione impossibili, aut manet validum quoad præsumptionem, quod non videtur posse Pontificem præsumere, vbi appositio conditionis impossibilis est signum ita manifestum dissensus.

Sancius. Egidius. Omnis varij expositionibus dicti decreti, quæ videri possunt apud Sancium lib. 5. disp. 3. existimamus, vt optimè Egidius disp. 29. num. 42. decretum Pontificis intelligendum esse quoad forum exterius, & præsumptionem; quia quando oppositum non constat, præsumit conditionem impossibilem non fuisse seriò appositam, sed tantum iocose; ac proinde matrimonium fuisse validum præsumit, & id non præsumit absque congruentia: quia quando oppositum non constat, præsumit, contrahentes in re ad eò graui & sancta nolle nugari, & suum actum irritum reddere. Hoc autem decretum locum habet, siue ignoretur à contrahentibus siue non, & siue conditio impossibilis appositâ, sit impossibilis ex natura rei, siue ex Iure politico, & siue conditio sit de futuro, siue non: quia in omnibus his casibus eadem est congruentia, & ratio id præsumendi.

42 Vnde, quando aliunde non constat contrahentes seriò apposuisse conditionem impossibilem, reijciatur ab Ecclesia, & cogentur ab ipsa procedere vt coniuges, si alteruter ad ipsam recurrat; & tunc ipsi, vt in hoc licitè procedant, tenebuntur verè contrahere, quod non impedit Ecclesia: at quando ex aliqua prudenti coniectura constat, conditionem impossibilem fuisse seriò appositam, non reijciatur ab Ecclesia: id autem poterit prudenter conijci, si contrahentes, quando contrahunt, id expriment, aut si inter ipsos sit magna disparitas.

Obseruandum est, quòd quamuis in dubio, an conditio impossibilis fuerit seriò appositâ, præsumatur in foro exteriori fuisse iocose appositâ,

nihilominus in foro interiori conscientiæ procedendum est ac si fuerit seriò appositâ, & ac si matrimonium fuerit nullum; & consequenter non poterunt vt coniuges procedere (ne se exponant periculo accedendi ad non coniugem) nisi prius contrahant sub conditione, nempe, si matrimonium sub conditione impossibili antea celebratum, non fuit validum.

43

DIFFICULTAS XI.

Vtrum conditio turpis habenda sit pro non adiecta.

Difficultas procedit de conditione turpi, quæ non est contra substantiam matrimonij, v. g. *si furtum commiseris*; quia de conditione, quæ est contra substantiam matrimonij, iam vidimus habendam esse pro adiectâ, & irritare matrimonium.

44 Circa difficultatem ergo conueniunt Doctores, quando contrahentes ita seriò apponunt matrimonio dictam conditionem turpem, vt contrahere nolint, nisi illa existat, tunc verè & in foro conscientiæ matrimonium ante euentum conditionis tantum esse validum sub ea conditione, & illa non existente, omnino euanescere; quia absque consensu contrahentium, qui tunc eliceretur dependenter ab ea conditione, & quem Ecclesia in matrimonio supplere non potest, contrahi nequit aliter, quam contrahentes intendunt, & consequenter in foro conscientiæ, & re ipsa dictam conditionem habendam esse pro adiectâ.

Decretum autem Pontificis in cap. fin. de Conditionibus, quo decernitur, conditionem turpem, matrimonio adiectam, habendam esse pro non adiectâ; ac proinde matrimonium ex tunc absolute valere, etiam ante euentum conditionis: imò quamuis non impleatur, tantum intelligitur quoad forum exterius, & quoad præsumptionem, sicut diximus de conditione impossibili, & de matrimonio sub ipsa contracto; quia quando oppositum non constat, præsumit Pontifex, conditionem turpem, in cuius implerione committendum est peccatum, non fuisse seriò sed iocose appositam, ne præsumat peccatum faciendum; ac proinde matrimonium, cui fuit appositâ, fuisse absolute validum.

45 Decretum autem hoc habet locum, quamuis ignoretur à contrahentibus, & non nisi quando conditio est de futuro; quia in huius tantum implerione futurum est peccatum: at quando exterius constat ex aliqua prudenti coniectura, conditionem turpem fuisse seriò appositam, tunc non reijciatur ab Ecclesia, & matrimonium sub ipsa contractum ante euentum conditionis, tantum erit validum sub conditione; & si conditio deficiat, omnino euanescet, quia tunc contrarietatem oppositum præsumeret. Id autem poterit prudenter conijci, si contrahentes id expresserunt, quando contrahebant, aut si inter contrahentes est magna disparitas.

Obseruandum est Primò pro foro conscientiæ, quando dubium est, an conditio turpis fuerit seriò appositâ (in quo casu Ecclesia præsumit matrimonium ab initio esse absolute validum) coniuges non posse procedere vt coniuges, nisi prius contrahant de nouo sub conditione, nempe si matrimonium antea, sub conditione turpi celebratum,

non

non fuit validum, ne se exponant periculo accedendi ad non coniugem.

46 Observandum est Secundò, conditionem illam, si te virginem inuenero, appositam matrimonio, esse turpem, ac proinde reiiciendam ab Ecclesia, & matrimonium sub ea contractum præsumendum esse absolute validum, si inuentio facienda sit medio accessu, quia facienda est ante matrimonium absolute validum: quia ante euentum inuentionis non est absolute validum; nihilominus non esse turpem, quando facienda est iudicio Medicorum, aut alio licito modo; ac proinde tunc non esse reiiciendam ab Ecclesia, & matrimonium sub ipsa contractum non esse præsumendum à principio absolute validum.

DIFFICULTAS XII.

Quam vim habeant sponsalia conditionata.

47 Conueniunt Doctores, contractum sponsalitiuum sub conditione de futuro contingenti fallibili, non habere vim impediendi valorem matrimonij, postea cum altera persona facti, imò nec eam vim habere contractum sponsalitiuum absolute: quia contractus matrimonij, utpote translatiuus dominij corporum, est multò efficacior contractu sponsalitiuo, quo tantum confertur ius ad corpora, & non in corporibus. Quia tamen contractus sponsalitiuus dicto modo conditionatus inducit obligationem expectandi euentum conditionis, idè qui post ipsum contrahit matrimonium cum altera persona, id illicite facit; quia irrogat iniuriam seu iniustitiam sponsæ aut sponso sub conditione, quia facit contra ius illius, quod habet ad rem.

Sed quamuis contractus sponsalitiuus dicto modo conditionatus non habeat vim impediendi valorem contractus matrimonij postea cum altera facti, habet tamen vim impediendi valorem alterius contractus sponsalitiui sub conditione postea facti cum altera persona, non solum quando conditio huius posterioris non impletur, aut quando impletur post impletionem conditionis prioris contractus (quod est certissimum) sed etiam quando conditio posterioris prius impletur, ut docent Sancius lib. 5. disput. 8. Ægidius disp. 29. dub. 1. Basilius lib. 3. c. 13. & cõmuniter Doctores: quia prior contractus conditionatus, etiam ante euentum suæ conditionis, inducit obligationem absolutam expectandi euentum conditionis, quæ non est minor quàm obligatio absoluta contrahendi matrimonium (quam posterior contractus aliàs ex se est potens inducere, impleta sua conditione) quia utraq; obligatio tantum est promissoria, quia oritur ex contractu promissionum, non conferente dominium: & ob hanc rationem etiam habet vim impediendi valorem contractus sponsalitiui absolute postea facti. Vnde à fortiori contractus sponsalitiuus sub conditione prior impedit valorem posterioris sub conditione, quando impletio conditionum vtriusque simul contingit.

Addit Sancius, quòd prior contractus, quando conditio posterioris prius aut simul impletur, præualeat contra posteriorem in ratione tantum promissionis, non verò in ratione contractus; ac proinde quòd prior in ratione contractus destruat, & consequenter, quòd ex priori non oriatur impedimentum publicæ honestatis, quod oritur ex contractu sponsalitiuo. Fallitur tamen Sancius, ut opti-

mè Basilius: quia si prior contractus præualeat, & Basilius. obligat in ratione promissionis ex fidelitate, etiam præualeat in ratione contractus sponsalitiui ex iustitia: quia ipso priori contractu sponsalitiuo collatum est ius iustitiæ sub conditione, quod semel acceptata, nequit auferri ille qui contulit, quamuis per posteriorem contractum impleta conditione reuocet voluntatem impossibilitate huiusiam absolute cum priori; sicut nec ius iustitiæ collatum contractu sponsalitiuo absolute, & ab altero acceptatum, potest alio contractu simili auferri, quia contractus sponsalitiuus vnus tantum voluntate non dissoluitur. Vnde ex dicto priori contractu sponsalitiuo conditionato, post impletionem conditionis, oriatur impedimentum publicæ honestatis.

Circa matrimonia verò dicto modo conditionata, successiue facta cū duabus (quæ in nostra opinione distincta sunt ab sponsalibus, quia in nostra opinione purificantur solo euentu conditionis absq; nouo consensu) est difficultas, quod eorum præualeat.

Supponimus, contractum illum matrimonij, siue priorem siue posteriorem, cuius conditio prius impletur, præualere alteri, ut docent Sancius & Ægidius, quia ex vna parte contractus ille impletionem conditionis perficitur & purificatur, ac proinde, quantum est ex se, est sufficiens ad transferendum dominium absolutum corporum inamissibile, & ad inducendam obligationem inextinguibilem, seu vinculum indissolubile, & ex altera parte, obligatio orta ex altero contractu, quamuis priore conditionato nondum absolute, quia eius conditio nondum est impleta, non inhabilitat ad contrahendum cum altera persona.

Hoc supposito superest difficultas, quòd matrimonium ex illis præualeat, quando conditio vtriusque simul impletur.

Tabiena v. *Matrimonium*. 2. q. 11. nu. 12. docet, Tabiena. prius matrimonium præualere, quia potior & melior est conditio ipsius, ob ius acquisitum ante posterius.

Petrus Ledesma q. 47. a. 5. dub. 1. e contra docet, Petrus Ledesma. posterius matrimonium præualere; quia per consensum in posterius, reuocatus fuit consensus in prius; consensus autem reuocatus, quamuis sufficiat ad contractum sponsalitiuum, non tamen ad matrimonium.

Sancius verò & Ægidius vbi supra docent, tunc Sancius. neutrum matrimonium valere, & merito: quia Ægidius. quando conditio vtriusque simul impletur, tunc consensus absolute & perfecte fertur simul in vtrumque, quia vterque consensus euentu conditionis simultaneo simul perficitur & absoluitur; ergo neuter est sufficiens ad valorem alicuius matrimonij, sicut quando consensus à principio absolute simul fertur in duas.

Ad rationem ergo Tabienæ respondemus, quòd quamuis conditio seu fors prioris contractus sit potior, ut obliget ad expectandum impletionem conditionis sibi appositæ, ita ut contra eam obligationem fiat, contrahendo cum altera, non tamen ut sufficiat ad valorem matrimonij; quia quamuis fuerit prius sub conditione elicitus; non tamè fuit prius perfectus & absolute, sed simul cum altero.

Et ad rationem Petri Ledesmæ negamus, per posteriorem consensum sub conditione, reuocari priorem sub conditione; quia posterior quoad suam substantiam non est impossibilis cum priori; quia quis potest, in quantum possit, sub conditione consentire in secundam personam post consensum

sum sub conditione in primam, quamvis quoad valorem & efficaciam ad matrimonium absolutum sit impossibilis cum priori, quando conditio vtriusque simul impletur, ob rationem dictam.

DIFFICULTAS XIII.

Vtrum conditio contra substantiam Matrimonij, sponfalibus apposita, irritet illa.

52 **C**onueniunt communiter Doctores, conditionem contra substantiam matrimonij sponfalibus appositam, ea irritare. Quod intelligitur (vt optimè Sancius lib. 5. disp. 14.) quando conditio immediatè cadit supra matrimonium ipsum, & non immediatè circa sponfalia, vt quando dicitur, *Promitto me contracturum tecum matrimonium, quod tantùm duret vsquequò inueniam aliam pulchriorem te.* aut, *Promitto me contracturum tecum, sub conditione obligationis, qua tenearis procurare sterilitatem, vel adulterari.* quia qui promittit contrahere sic, non promittit contractum possibilem, ac proinde promissio seu sponso est nulla.

53 Quando verò conditio contra substantiam matrimonij non cadit immediatè supra matrimonium, sed supra sponfalia, seu eis immediatè apponitur, non irritat illa; quia tunc promittitur matrimonium possibile & licitum, vt quando dicitur: *Promitto me contracturum tecum, si sterilitatem procuraueris, aut si fornicationem commiseris,* quæ sint ante matrimonium executioni mandanda; & consequenter conditione impleta, manet obligatio absoluta contrahendi matrimonium.

DIFFICULTAS XIV.

Vtrum conditiones impossibiles & turpes appositæ sponfalibus, habendæ sint pro non adiectis.

54 **C**onueniunt communiter Doctores, conditiones impossibiles & turpes sponfalibus appositas, habendas esse pro non adiectis; ac proinde sponfalia sub qualibet earum contracta, statim esse absolutè valida, ac si tales conditiones non fuissent illis appositæ. Id autem intelligitur, quando dictæ conditiones cadunt immediatè supra matrimonium ipsum; quia ex cap. fin. de Conditionibus apposis, dictæ conditiones tantùm reuocantur à matrimonio, & non ab sponfalibus; & iudicandum est de matrimonio sub qualibet earum contracto, ac si non fuissent appositæ, quod Difficult. x. & xi. diximus esse verum, non quoad veritatem & forum interius, sed tantùm quoad præsumptionem in foro externo, quando non constat, dictas conditiones seriò fuisse appositas; & erit verum in præsentî casu, quando promissio fiat de matrimonio contrahendo sub conditione impossibili aut turpi ipsi matrimonio apponenda, & non constat promitti matrimonium sub conditione impossibili aut turpi contrahendum, ipsi matrimonio seriò apponenda.

At quando dictæ conditiones cadunt immediatè supra sponfalia, & ipsis immediatè apponuntur, vt quando dicitur, *Contraham tecum matrimonium, si mecum fornicationem commiseris,* aut, *si calum digito tetigeris,* habendæ sunt pro adiectis, & iudicandum est de talibus sponfalibus, vt verè contractis sub illis, non solum quoad veritatem, sed etiam quoad præsumptionem, vt contra San-

cius docet Rebellus quæst. 10. sect. 5. quia in dicto cap. final. vbi de conditionibus impossibili & turpi dicitur, habendas esse pro non adiectis, tantùm est sermo de eis quando immediatè apponuntur matrimonio, quod non est extendendū ad sponfalia, sicut neq; dispositio Tridentini irritans matrimonia clandestina extenditur ad sponfalia.

Vnde sponfalia contracta sub conditione impossibili, immediatè afficiente illa, statim sunt nulla quoad veritatem, & quoad præsumptionem ex defectu possibilitatis impletionis conditionis, quia impleri non potest; & sponfalia contracta sub conditione turpi, ea impleta, fiunt absolutè valida, & ante impletionem conditionis sunt valida sub conditione, etiamsi non sit obligatio absoluta expectandi conditionem, vt pote turpem.

56 Obseruandum est, sponfalia contracta sub conditione, si Papa dispensauerit, esse valida conditionatè, quando Papa solet in eo impedimento dispensare, vt contra Sotum aduertit Sancius disp. 5. quia tunc ea conditio, quamvis pendens ex arbitrio Principis, censenda est possibilis; cum dispensatio in eo impedimento fieri soleat ab illo, vt diximus Difficult. 14.

Sed quando conditio, si patri placuerit, apposita sponfalibus censetur impleta, aut iam deficere, vt ex tunc sponfalia incipiant absolutè valere, aut omnino euanescent, constat ex dictis Diffic. v. de eadem conditione matrimonio apposita.

DIFFICULTAS XV.

Quid operentur tempus, demonstratio, causa, & modus, quando apponuntur Matrimonio & sponfalibus.

57 **S**upponimus, contractui matrimonij & sponfalitio (sicut cuicumque alij) non solum posse apponi conditionem, sed etiam tempus, demonstrationem, causam, & modum.

Hoc ergo supposito circa tempus matrimonio appositum, vt quando dicitur, *Accipio te in meam in crastinum,* conueniunt communiter Doctores, suspendere matrimonium vsque ad illud tempus, & eo tempore accedente, ex tunc valere absque nouo consensu (nisi interim consensus fuerit reuocatus) quia tempus ad id apponitur, vt vsque ad illud suspendatur id cui apponitur, & vt ex eo incipiat valere; quia sensus est, Ex nunc volo & consensio, vt eras incipias esse mea.

58 Circa demonstrationem matrimonio additam, vt quando dicitur, *Contraho tecum, qua es diues,* & circa causam, vt quando dicitur, *Contraho tecum, quia es diues,* conueniunt Doctores, non irritare matrimonium, quamvis sint falsæ, quia ex defectu earum formaliter neque deficit materia substantialis ad matrimonium; quia quatenus demonstratio & causa non necessariò significant aliquid inclusum in materia substantiali matrimonij: neque deficit consensus; quia iste non elicitur dependenter ab illis, quia non sunt conditiones, sed tantùm significant iudicium & estimationem circa materiam & iurca causam motiuam. Addidimus, ex defectu earum formaliter; quia quando demonstratione demonstratur materia substantialis, & deficit, vt quando dicitur, *Contraho tecum, qua es Rachel,* & non est nisi Lia; & quando causa significatur conditio,

ditio, seu fors & status ad valorem matrimonij necessarius, & deficit, vt quando dicitur, *Contraho tecum quia es libera*, & non est libera, sed setua, tunc quamuis matrimonium sit irritum, non tamen sit irritum quia formaliter appositae sint demonstratio & causa, & deficient, sed quia deficit materia essentialiter requisita, & status essentialiter requisitus; quia quamuis non apponerentur dicta demonstratio & causa, etiam esset nullum matrimonium.

59 Addimus demonstrationem, & causam contra substantiam matrimonij appositae matrimonio nō irritare illud, si deficient, vt quando dicitur, *Contraho tecum, quia obligaris ad adulterandum*. & *Contraho tecum, quia obligaris ad adulterandum*; quia consensus iste matrimonialis, quamuis ei addantur demonstratio & causa, non elicitur dependenter ab illis, cum non sint conditiones; ac proinde quamuis deficient, non deficit consensus matrimonialis sufficiens. Quod si verè adsint, & persistant, non fiet validè matrimonium, non quia consensus elicitur dependenter ab eis, sed quia in altero, vt supponitur, est simul & concomitanter intentio se obligandi ad aliquid contra obligationem substantialem matrimonij, qua intentione persistente, impediatur dicta obligatio substantialis in eo altero. Vnde demonstratio & causa contra substantiam matrimonij, habendae sunt pro adiectis, vt dicto modo impediatur valorem matrimonij; reliquae verò, etiam possibiles & honestae, non sunt habendae pro adiectis, quia impertinentes sunt ad valorem & ad vitium matrimonij.

60 Circa modum matrimonio appositum, vt quando dicitur, *Duco te vt mihi seruias*, conueniunt Doctores, non suspendere matrimonium; quia eo modo tantum significatur aliquid faciendum post matrimonium iam absolutè & perfectè factum.

Est tamen difficultas, An quando modus appositus matrimonio est contra substantiam illius, irritet matrimonium, sicut conditio, vt quando dicitur, *Duco te vt obligeris ad adulterandum*.

Sancius. Aegidius. Sancius lib. 5. disp. 19. & Aegidius disp. 29. in fine, partem affirmatiuam tuentur; quia dicto modo appposito, intenditur in altero obligatio contraria obligationi substantiali matrimonij in eodem; ergo non minus irritat matrimonium, quam conditio contra substantiam matrimonij.

Sotus. Petrus Ledesma. Sotus verò in 4. dist. 29. q. 2. ar. 1. & Petrus Ledesma qu. 47. art. 5. dub. 3. partem negatiuam tra-

dunt, & merito: quia consensus in matrimonium, cui additur modus, non elicitur dependenter à modo ipso, cum non sit conditio; ergo non elicitur dependenter ab aliquo contra substantiam matrimonij.

Ex eo autem, quod apponens dictum modum, intendat in altero obligationem contrariam obligationi substantiali matrimonij, oritur in eo altero, non impedit in illo oriri hanc substantialem obligationem, vt patet; neque inuoluitur consensus sui, quia non elicitur illum dependenter ab eo modo, cum non sit conditio, sed modus. Et quamuis in altero futura sit intentio se obligandi ad contrarium substantiae matrimonij, non frustrabit alteram intentionem se obligandi obligatione substantiali matrimonij; quia haec obligatio praesupponitur iam ad eam intentionem obligationis ad oppositum substantiae matrimonij, & consequenter etiam obligatio substantialis matrimonij, quae ex ea intentione necessariò oritur, sicut intentio contractus & eius obligatio praesupponuntur ad intentionem obligationis modo ipso significatae; quia intentio & obligatio modalis annectuntur & superadduntur contractui cui apponitur modus, praesertim quod dicta intentio obligationis ad oppositum substantiae matrimonij potest non esse in altero, adhuc absque praedictio valoris consensus ipsius, & consensus apponentis modum; quia neuter elicitur dependenter ab eo modo, cum non sit conditio. Ex quo fit, quemcumque modum, siue honestum siue turpem, siue possibilem siue impossibilem, siue contra substantiam matrimonij siue non contra substantiam, haberi pro non adiecto, quod attinet ad valorem aut ad vitium matrimonij.

62 Ex dictis circa tempus, demonstrationem, causam, & modum appositam matrimonio, facile constat, quomodo philosophandum sit circa illa appositae sponsalibus, attendendo ad naturam sponsalium. Est tamen aduertendum, quod quamuis ex defectu demonstrationis, aut causae, aut modi, sponsalia possint aliquando dissolui, vt quando defectus ignoratur, & est adeò notabilis, vt si promittens illum sciret, prudenter retraheretur ab sponsione, iuxta ea quae diximus Disputatione 11. de Sponsalibus, nihilominus non redduntur dissolubilia ex defectu praedictorum formaliter, id est, quia sint appositae, & deficient; quia quamuis non apponerentur sponsalibus, si tamen verè & re ipsa deficerent, fierent sponsalia dissolubilia.

DISPUTATIO VIII.

De indissolubilitate Matrimonij.

DIFFICULTAS I.

Vtrum Matrimonium sit indissolubile.

1 **N**ON desunt Gentiles, imò & haeretici, qui existiment, matrimonium pro coniugum arbitrio, absque alia causa, dissolui posse; & qui de facto, relictis prioribus coniugibus, cum aliis contrahant, & non absque apparenti ratione, quia *omnis res* (vt dicitur in cap. 1. de Regulis Iuris) *per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur*: sed matrimonium fit solo con-

iugum consensu, ergo solo ipsorum potest, sicut quicumque alius contractus, dissolui.

Conueniunt nihilominus Doctores, matrimonium, etiam non baptizatorum, esse indissolubile & perpetuum, quod generaliter de omni matrimonio tradit Tridentinum sess. 14. in principio, de Reformatione matrimonij, & satis significat Gregorius IX. in cap. fin. de Conditionibus appositis, dum ait, conditionem repugnantem perpetuitati matrimonij, esse contra substantiam illius, & deducitur ex Genes. 2. dum generaliter dicitur: *Quā-obrem relinquet homo patrem & matrem, & adhaerebit*

rebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. & ex Matth. 19. dum de matrimonio dicitur: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* & ex Marci 10. & Luca 16. dum omnis qui dimittit uxorem, & aliam ducit, dicitur mœchari; & maximè ex illo ad Rom. 7. *Mulier vivente viro alligata est legi;* quod non solum conuenit matrimonio copulâ ipsâ consummato, sed etiam matrimonio tantum rato, vt constabit ex dicendis, & deducitur ex dictis locis, dum in eis, excepto illo Matth. 19. generaliter est sermo de matrimonio, absque discrimine inter consummatum & tantum ratum.

- 2 Ad rationem autem apparentem in oppositum respondemus, prædictum Antecedens, & Regulam *Omnis res,* &c. non habere locum in contractu matrimonij, ob eius peculiarem naturam, vt ex dicendis constabit.

DIFFICULTAS II.

Quo Iure Matrimonium sit indissolubile.

- 3 **S**upponimus, matrimonium consummatum, à tempore Christi Domini Iure diuino ipsius Christi esse indissolubile, seu dissolui non posse, non solum licitè, vt constat ex illis verbis Christi Matth. 19. *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet;* & clariùs ex illis verbis Pauli 1. ad Cor. 7. *His qui matrimonio coniuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere:* sed etiam esse indissolubile, seu non posse dissolui validè, vt dictis verbis vtriusque loci significatur.

Est tamen difficultas, An matrimonium, tam ratum quam consummatum, sit ex sua natura, seu ex Iure naturali ipsius indissolubile omni modo, licitè videlicet & validè.

Medina.
Sancius.
Aegidius.

Michaël Medina lib. 5. de Sacrorum hominum continentia, c. 89. Sancius lib. 2. disp. 13. Aegidius disp. 26. dub. 2. & plures alij Theologi & Iurisperiti docent, matrimonium, adhuc consummatum, non esse indissolubile Iure naturali, seu ex natura rei: quod deduci videtur ex S. Augustino lib. de Bono coniugali, cap. 7. 15. 18. & 24. dum ostendit, matrimonium esse indissolubile, quia est Sacramentum, id est, quia significat coniunctionem indissolubilem Christi cum Ecclesia, media incarnatione; matrimonium autem ex sua natura non habet hanc significationem. Et ratione probari potest à simili, quia quicumque alius contractus ex sua natura est dissolubilis, ergo etiam contractus matrimonij.

- 4 Prædicti tamen Doctores non conueniunt in explicando, vnde matrimonio conueniat indissolubilitas, quia nonnulli existimant, indissolubilitatem matrimonij, adhuc tantum rati, conuenire ipsi ex institutione diuina in principio mundi facta, cui Medina tribuit dictam indissolubilitatem tantum vsque ad tempus legis Moylis, in quo existimat, Deum eam abrogasse, concedendo repudium; & postea tempore legis gratiæ Christum renouasse indissolubilitatem matrimonij consummati, & Ecclesiam indissolubilitatem matrimonij rati.

Vasquez.
Bellarmin.
Rebellus.
Basilus.

Vasquez verò de Matrimonio disput. 2. cap. 7. Bellarminus 1. de Matrimonio, cap. 12. Rebellus q. 15. sect. 1. Basilus lib. 1. cap. 13. & communiter Scholastici in 4. dist. 33. docent, & meritò, matrimonium, etiam tantum ratum, Iure naturali, seu ex natura sua esse indissolubile. Quod deduci videtur ex illo Gen. 2. *Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhaerebit uxori suæ, & erunt*

duo in carne una. vbi, vt definit Tridentinum sess. 24. in principio, de Reformat. matrim. significatur inseparabilitas coniugum, seu indissolubilitas coniugij, quod verba ipsa præferunt: sed matrimonium tunc non habebat indissolubilitatem ex aliqua libera Dei institutione, quia non constat Deum tunc id instituisse, ergo illam habet ex sua natura, seu ex suo Iure naturali. In prædictis autem verbis etiam traditur indissolubilitas matrimonij tantum rati, quia antequam dicatur, *& erunt duo in carne una,* quo matrimonium consummatum, significatur indissolubilitas matrimonij aliis antecedentibus verbis, nempe, *Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhaerebit uxori suæ.*

Idem quoque efficaciter deducitur ex decreto Pontificis in cap. fin. de Conditionibus, dum dicitur, conditionem repugnantem perpetuitati matrimonij (intellige contrahendi, ac proinde etiam tantum rati) esse contra substantiam illius: sentit ergo Pontifex, matrimonium, etiam tantum ratum, esse ex sua natura & substantia perpetuum & indissolubile.

Et ratione probatur Primò ab absurdo, quia aliàs, cessante positua institutione (ob quam matrimonium de facto est indissolubile, & quod non celebratur in perpetuum, fit inualidum) fornicatio simplex non esset illicita, aut saltem posset non esse; quia fornicator, quantum est ex se, confert aut saltem conferre potest feminæ, & e contra, facultatem & dominium in suum corpus ad copulam ad tempus quo copula durat; ac proinde accessus esset, aut posset esse, ad suam, ad eam videlicet quæ pro eo breui tempore esset aut posset esse sua; ergo fornicatio simplex non esset aut posset non esse illicita.

Secundò à priori probatur, quia contractus matrimonij per se & ex sua natura ordinatur ad propagandam prolem, & ad eam benè & debitè educandam seu instituendam: sed dissolubilitas matrimonij ex se est contra propagationem proles, & contra eius bonam educationem, vt patet, etiam si aliquando per accidens non noceret, vt si dissolueretur, postquam matrimonio superuenit sterilitas, & post perfectam proles educationem; ergo dissolubilitas est contra naturam matrimonij ad illas ex se & sua natura ordinati, ac proinde matrimonium suâ naturâ est indissolubile & perpetuum; & aliter factum, non solum est illicitum, sed etiam inualidum.

S. Augustinus autem pro aduersariis abductus, non dixit, matrimonium esse indissolubile, quia repræsentat seu significat vnionem indissolubilem Christi cum Ecclesia, sed deduxit esse indiuisibile, ex eo quòd repræsentet illam, id tamen non deduxit à priori, sed à posteriori; quia ideò illam repræsentat, quia est indissolubile: quia si non esset, non assumeretur congruenter ad illam repræsentandam; quia res, in qua non est aliqua aptitudo & proportio ad aliquid significandum, non assumitur, seu non instituitur ad id.

Vnde matrimonium Gentilium, vtpote ex sua natura indissolubile, congruenter etiam fuit assumptum ad significandam vnionem Christi cum Ecclesia, quod satis significatur in c. *Gaudemus*. 8. de Diuortijs, dum matrimonium infidelium dicitur Sacramentum: quod non negauit Augustinus, dum lib. de Bono coniugali, c. 18. & 24. affirmat, solum in populo Dei, & in eius Ecclesia matrimonium esse Sacramentum, id est, significare vnionem indissolubilem Christi cum Ecclesia (vbi nomine

8 mine populi Dei non tantum Christianum, sed etiam antiquum fidelium intelligit: quod ex eo solum affirmavit, quia apud Gentiles, etiam sapientes, vinculum matrimonij erat solubile non vere & iure, sed existimatione & facto; in populo vero Dei erat insolubile non solum vere & iure, sed etiam existimatione & facto.

Ad rationem vero desumptam a simili ex aliis contractibus, qui sua natura solubiles sunt, Respondemus, disparem esse rationem inter eos ex vna parte, & inter contractum matrimonij ex altera, ob peculiarem naturam matrimonij, qua ordinatur ad propagationem prolis, & ad eius debitam institutionem, quibus solubilitas per se repugnat.

Constat ergo, matrimonium, etiam tantum ratum, esse indissolubile Iure naturali, & consummatum etiam Iure diuino: non tamen constat, matrimonium etiam tantum ratum esse tale Iure humano, quia non constat id fuisse Iure humano, adhuc Ecclesiastico institutum, quamuis in Iure humano supponatur matrimonium esse tale.

DIFFICULTAS III.

Vtrum Pontifex dissoluere possit Matrimonium baptizatorum.

9 **C**onueniunt Doctores, matrimonium consummatum baptizatorum non posse ab Ecclesia nec a Pontifice dissolui, quia ex vna parte est indissolubile Iure diuino & naturali, & ex altera neque in Ecclesia neque in Pontifice agnoscitur peculiaris aliqua facultas ad id concessa, absque qua nequit dissoluere, quod Iure diuino & naturali est indissolubile.

Est tamen difficultas, an possit dissoluere matrimonium ratum nondum consummatum baptizatorum.

Scotus in 4. dist. 31. q. 1. Paludanus dist. 27. q. 1. ar. 2. Sotus q. 1. ar. 4. Basilius lib. 9. c. 3. & Couarruias 4. Decret. p. 2. c. 7. §. 4. n. 14. partem negatiuam tuetur, quæ deduci videtur ex illo Matth. 19. *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* ergo nullus homo, quantumuis summus Pontifex, potest matrimonium, quamuis nondum consummatum, dissoluere. Et ratione probari potest Primò, quia matrimonium, etiam nondum consummatum, est Sacramentum significans vnionem Christi cum Ecclesia; ergo sicut vnio Christi cum Ecclesia nequit dissolui, neque Pontifex poterit dissoluere matrimonium, quamuis tantum ratum.

10 Secundò, quia matrimonium, quamuis tantum ratum, est sua natura seu Iure naturali, & etiam Iure diuino indissolubile, ergo Pontifex nequit illud dissoluere.

Tertiò, quia Pontifex nequit dissoluere matrimonium consummatum baptizatorum, ergo neque ratum; quia vtrumque habet eandem naturam & essentiam.

Quartò, quia aliàs Princeps gentilis posset dissoluere matrimonia rata suorum subditorum, quia non habet minorem auctoritatem circa contractus civiles & profanos suorum, qualis est contractus matrimonij eorum, quam Pontifex circa contractum matrimonij sacrum baptizatorum; quia Princeps gentilis etiam habet supremam auctoritatem in suos.

11 Caietanus Tom. 1. opusc. tractat. 24. Nauarrus cap. 22. n. 21. Henriquez lib. 11. c. 8. Sancius lib. 2. disp. 14. & Antoninus 3. par. tit. 1. c. 2. partem affir-

matium tradunt, & merito: quia dissolutio matrimonij rati sape expedit bono fidelium, & aliàs fieri potest absque magno inconuenienti; ergo credi potest, Pontificem peculiarem potestatem accepisse à Christo ad id. Quod non leuiter confirmat, Primò, id sæpissimè fecisse Pontifices, vt affirmant Caietanus & Henriquez, & Antoninus affirmat se vidisse dissolutionem matrimonij rati, factam & à Martino V. & ab Eugenio IV. & Nauarrus affirmat, se obtinuisse plures dissolutiones factas à Paulo III. & à Pio IV. Quod etiam confirmatur Secundò, quia matrimonium ratum dissoluitur per professionem solemnem in Religione, vt constat ex capp. 2. & 7. & 14. de Conuersione coniugatorum, & ex Tridentino sess. 24. can. 6. & tamen non dissoluitur Iure naturali professionis, neq; Iure diuino, vt dicemus Diffic. 1v. ergo iure Pontificis; potest ergo Pontifex dissoluere matrimonium ratum baptizatorum.

Addimus tamen, dissolutionem matrimonij rati baptizatorum non fieri à Pontifice auctoritate generali superioris humani, sed vt gerente vicè Dei, peculiari & extraordinaria potestate superaddita potestati ordinariæ, qua non posset separare *quod Deus coniunxit*. Et quia Pontifex id non efficit potestate ordinaria superioris humani, sed extraordinaria, credimus, vt optimè Sancius & plures alij, dissolutionem matrimonij rati absque rationabili causa factam, non solum esse illicitam, qualis etiam esset, si potestate ordinaria fieret absque causa, sed etiam esse inuolidam; quia credendum non est, eam potestatem extraordinariam accepisse Pontificem ad id validè faciendum pro solo suo arbitrio absque causa.

Testimonium autem Matth. 19. adductum pro aduersariis, tantum intelligitur de matrimonio consummato, vt constat ex contextu, & ait Alexander III. in c. 7. de Conuersione coniugatorum. Et ad primam rationem respondemus, matrimonium ratum defectu commixtionis corporum, qua coniuges fiunt vna caro, non significare vnionem Christi cum Ecclesia factam media incarnatione, quam consummatum significat; ratione tamen coniunctionis animorum pertinentis ad ipsum matrimonium ratum, quod quodammodò est indissolubile, nempe à Pontifice potestate ordinaria, & quodammodò est dissolubile, nempe potestate extraordinaria Pontificis, congruenter fuisse assumptum ad significandam vnionem Christi cum Ecclesia media charitate factam, quæ est indissolubilis quoad Ecclesiam semper sanctam, & dissolubilis quoad membra particularia.

Ad secundam respondemus, quòd quamuis obligatio radicalis orta ex matrimonio correspòdens dominio orto in altero coniuge (in qua vinculum consistit) nequeat sua natura seu suo Iure naturali extingui & dissolui ab ipsis coniugibus, neque à Pontifice potestate ordinaria generali; potest tamen ab ipso dicta potestate extraordinaria.

Ad tertiam respondemus, quòd quamuis eadè sit natura matrimonij rati & consummati; quia tamen consummatum addit supra ratum commixtionem carnalem coniugum, ratione cuius eius dissolutio nequit regulariter fieri absque inconuenienti, idè non accipit à Deo peculiarem potestatem ad dissolutionem eius, quamuis acceperit ad dissolutionem tantum rati.

Ad quartam respondemus, Principem gentilem

Caietan.
Henriq.
Antonin.

12

13

Scotus.
Paludan.
Sotus.
Basilius.
Couarr.

Caietan.
Nauarrus.
Henriquez.
Sancius.
Antonin.

14

non posse dissolvere matrimonium, adhuc tantum ratum, suorum subditorum: quia non habet potestatem peculiarem ad id à Deo, sed tantum habet ordinariam superioris humani, quia neque Pontifex potest.

DIFFICULTAS IV.

Quo Iure Matrimonium ratum baptizatorum dissolvatur per professionem solemnem in Religione.

15 **S**upponimus (in quo conveniunt Doctores) matrimonium ratum baptizatorum non dissolui per susceptionem Ordinis sacri (ut definitur in Extravag. *Antiqua*, de Voto) quia nullo Iure id convenit Ordini sacro, adhuc Episcopatus; & verè dissolui per professionem solemnem ab altero coniuge in Religione factam, ut constat ex cap. 2. & 7. & 14. de Conversione conjugatorum: quod etiam definitur in Tridentino sess. 24. can. 6. ac proinde semel facta professione, posse alterum ad alias nuptias transire; non tamen dissolui matrimonium iam consummatum, quia de huius dissolutione nullatenus constat. Quod si matrimonium ratum professione unius dissolvitur, multò melius fiet professione utriusque, quidquid nonnulli dicant.

Hoc ergo supposito, est difficultas, quo Iure matrimonium ratum baptizatorum dissolvatur per professionem solemnem in Religione.

Durandus. Durandus in 4. dist. 27. quæst. 2. *Paludanus.* quæst. 3. art. 4. & *Couarruias* 2. part. c. 7. § 4. docent dissolui naturam ipsam, seu Iure naturali professionis solemnem. Primum, quia professio solemnem est mors civilis, aut spiritualis: ergo suam naturam est sufficiens ad dissolvendum matrimonium ratum, quod ante consummationem tantum est vinculum spirituale animorum. Secundò, quia unicuique Iure naturali licet, transendo ad perfectiorem statum, priorem relinquere, sed coniux profitendo solemniter in Religione transit ad statum perfectiorem, ergo profitendo solemniter dissolvit priorem statum conjugij.

16 **Sotus.** Sotus in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 4. *Sancius* lib. 2. disp. 19. & *Basiliius* lib. 9. cap. 5. docent, dissolui Iure divino, quod deduci videtur ex c. 7. de Conversione conjugatorum, dum Alexander III. ait, dissolutionem matrimonij per professionem, deduci ex sacri Eloquij interpretatione, & ex cap. 14. dum Pontifex ait, Sanctos ex revelatione divina à matrimonio rato transisse ad perfectiorem statum. Et ratione potest probari, quia professio solemnem non dissolvit suam naturam matrimonium adhuc ratum, ut statim dicemus, neque Iure Ecclesiastico, quia nullum tale reperitur scriptum, quo hoc de novo statuatur, quavis in aliquibus canonibus id professione fieri supponatur: ergo id efficit Iure divino.

17 **Michael Medina.** Michael Medina lib. 5. de Sacrorum hominum continentia, c. 86. *Lessius* cap. 41. dub. 8. & *Aegidius* disp. 26. dub. 3. docent, dissolui solo Iure Ecclesiastico, & merito: quia matrimonium ratum non dissolvitur naturam ipsam, seu Iure naturali professionis, neque Iure divino; ergo solo Iure Ecclesiastico. Consequentia patet, Antecedens autem probatur. Et in primis, non dissolvitur naturam ipsam professionis, quia traditio, qua quis professione traditur Deo & Religioni, non est suam natu-

ram impossibilis cum vinculo matrimonij, ut patet in eo, qui post matrimonium consummatum, ex licentia alterius conjugis proficitur solemniter, in quo post professionem perseverat vinculum. Quod etiam ratione declaratur; quia professio solemnem in primis non est impossibilis cum vinculo matrimonij ratione traditionis, qua professus se tradit Deo; quia si ratione alicuius, maxime ratione illius quæ fit voto solemnem castitatis: sed non ratione huius, quia Religiosus eo voto non aliter traditur Deo, quam obligando se ex virtute Religionis ad servandam castitatem, sicut voto simplicem; hæc autem obligatio non est impossibilis cum vinculo seu obligatione radicali iustitiæ ad reddendum alteri debitum, ut patet: quia habens votum simplex castitatis, validè contrahit matrimonium, & tamen in eo est & perseverat obligatio Religionis ad servandam castitatem: obligatio enim Religionis & iustitiæ sunt diversæ rationis, ac proinde non sunt impossibiles, quamvis circa obiecta impossibilia versentur. Deinde, professio solemnem non est impossibilis cum vinculo matrimonij adhuc consummati ratione traditionis, qua Religiosus se tradit Religioni, quia per eam tantum se tradit Religioni ut obediat Superioribus, & ab eis dirigatur quoad observantiam Religiosam, ac proinde si obligatio Religiosa, etiam quoad castitatem, non est impossibilis cum vinculo matrimonij, neque traditio Religionis facta erit, præferim quod Religiosus tantum traditur Religioni ad prædicta ex virtute Religionis, & non ex iustitiæ; & non ut mancipium, sed ut filius & subditus. Et quamvis admittatur, tradi ex iustitiæ, & quasi ex pacto, ut possit dirigi & compelli, non obest vinculo seu obligationi iustitiæ matrimonij reddendi debitum, quia horum actus, aut obiecta optimè compatiantur; quia reddendo non efficeret contra admissam obligationem iustitiæ, ut possit dirigi & compelli. Accedit, quod quamvis professio solemnem suam naturam esset impossibilis cum vinculo matrimonij, potius hoc vinculum, utpote antecedens, impediret valorem professionis, quam dissolveretur per eam supervenientem; quia per contractum matrimonij coniux est iam ex iustitiæ factus alterius, ac proinde non posset postea alteri professione validè conferri.

Deinde matrimonium ratum non dissolvitur per professionem Iure divino, quia ab Ascensione Christi Domini nullum est novum Ius divinum, & tamen solemnitas votorum introducta est & inventa ab Ecclesia, ut constat ex cap. unico de Voto, in 6. & Extrav. *Ascendente Domino*, edita à Gregorio XIII. & absque dubio introducta fuit multò post Ascensionem Christi; ergo professio solemnem non dissolvit matrimonium ratum Iure divino; quia credi nequit, Christum concessisse dictam vim solemnitati votorum nondum inventæ & introductæ.

20 **Quod si matrimonium ratum non dissolvitur per professionem solemnem Iure naturali ipsius, neque Iure divino, restat ut per eam dissolvatur Iure Ecclesiastico extraordinaria potestate lato, non quod modò habeamus scriptum, sed quod olim fuerit scriptum, & postea perditum, aut quod tantum fuerit viva voce traditum; modò tamen in dictis capp. Iuris supponitur olim fuisse traditum, ex quo constat ad rationem pro Soto, Sancio & Basilio. In cap. autem illo 7. pro ipsis adducto, non habetur,**

habetur, dissolutionem matrimonij deduci ex sacri Eloquij interpretatione; sed tantum habetur id quod Christus Matth. 5. & 19. dixit, nempe non esse dimittendam uxorem nisi ob fornicationem, intelligi de matrimonio consummato, quod ipsis non fauet; & in cap. 14. tantum habetur, nonnullos Sanctos ex diuina reuelatione, quæ est supra omnem legem, coniuges deseruisse ante consummationem matrimonij, quod ipsis non fauet, imò potius aduersatur; quia ibi supponitur, eos aliquos Sanctos id fecisse non lege aliqua diuina communi, sed peculiari reuelatione & inspiratione ipsis & pro ipsis facta.

21 Ad priorem verò rationem pro Durando & Paludano respondemus, concedendo Antecedens, & negando Consequentiam: quia quamuis professio solemnitas sit mors ciuili, aut spiritualis, sed in eo tantum sensu, quod per eam quis obligatur ad desertionem vitæ mundanæ; hoc tamen genus mortis non est impossibile cum vinculo matrimonij, vt patet. Et ad posteriorem negamus, vnicuique licere Iure naturali ad perfectiorem statum transire, quando Iure iustitiæ tenetur alio statu: aliàs mancipio liceret domino inuito Religionem profiteri; & etiam liceret coniugi post matrimonium consummatum, altero inuito.

DIFFICULTAS V.

Vtrum Matrimonium ratum baptizatorum dissoluatur per tria vota Societatis post biennium emissa.

22 **B**asilii lib. 9. c. 6. partem affirmatiuam tuetur, quia professioni solemniti conuenit efficacia dissoluendi matrimonium ratum baptizatorum, ex eo solum, quod constituit statum Religiosum, quia antiquitus ante introductionem solemnitatis professionis per statum Religiosum, qui tunc votis simplicibus non solemnibus constituebatur, etiam dissoluebatur matrimonium ratum; sed tria vota in nostra Societate post biennium emissa etiam constituunt statum Religiosum, vt constat ex Extrauag. Gregorij XIII. quæ incipit, *Ascendente Domino*, quam Gregorius XIV. confirmauit: ergo etiam per dicta tria vota dissoluitur.

Vasquez. Sancius. Henriquez. 23 Vasquez verò 1. 2. disp. 165. cap. 10. Sancius libro 2. disp. 18. & Henriquez lib. 11. cap. 8. partem negatiuam tradunt, & merito: quia status Religiosus id non habet suo Iure naturali, nec diuino (vt de professione solemniti, quæ non minus constituit statum Religiosum, quam vota simplicia, diximus Diffic. 1v.) nec Iure Ecclesiastico seu Canonico, quia ex eo tantum constat id conuenire professioni solemniti, cum in Tridentino sess. 24. can. 6. id tantum tribuatur professioni solemniti. Et quamuis in cap. 2. & 7. & 14. de Conuersione coniugat. id attribuitur statui Religioso, absque expressa mentione professionis solemniti, eo tamen ipso id tribuitur professioni solemniti, quia status Religiosus à sui initio ante nostram Societatem tantum fiebat votis solemnibus, votis videlicet absolute perpetuis, & ex parte vouentis, & ex parte admittentis illa, & emissa sub vno capite, habente iurisdictionem ad compellendum vouentem ad eorum obseruantiam: quia vsus trium votorum, quæ post biennium emittuntur in nostra Societate, quibus vouentes fiunt Religiosi, & tantum sunt simplicia,

& non solemnia, quia non sunt absolute perpetua ex parte admittentis illa, quia ex rationabili causa potest sic vouentes à Societate dimittere, quo cessant dicta vota, est in Ecclesia nouiter introductus, vt Vasquez c. 9. expendit ex dicta Extrauag. Gregorij XIII. ergo absque Iure & fundamento dicitur, per tria vota nostra Societatis post biennium emissa, dissolui matrimonium ratum.

Id, quod dicimus de tribus votis emissa post biennium, etiam est verum de eisdem post longa tempora emissa à Coadiutoribus, etiam spiritualibus, ob eandem rationem, quia scilicet non sunt solemnia, quia non sunt absolute perpetua ex parte admittentis illa.

Ad rationem ergo constat, professionem solemnem dissoluere matrimonium ratum, quia est professio solemnitas, & non præcisè, quia constituit statum Religiosum, qui verè non fuit in Ecclesia ante introductionem solemnitatis votorum, & quem non suscepit, nec professus est S. Alexius, sed tantum continentiam, ad quam fuit peculiariter à Deo vocatus, relicta uxore ante consummationem, sed non dissoluto vinculo matrimonij. Vnde ex illis quibusdam Sanctis, qui in cap. 2. de Conuersione coniugat. significantur vocati de nuptiis ad Monasteria, seu ad statum Religiosum, non fuit Alexius.

DIFFICULTAS VI.

Vtrum per vota Ordinum militarium dissoluatur Matrimonium ratum.

25 **C**onueniunt Doctores, per vota Clericorum, & Monialium Ordinis militaris in claustro viuentium, dissolui matrimonium non consummatum, quia sunt solemnia, & absoluta. Ita Sotus in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 4. & Sancius lib. 2. disp. 18.

Est tamen difficultas, An per vota Equitum militantium non viuentium in claustro, dissoluatur.

Sotus vbi supra, & Sarmiento lib. de Redditi- bus Ecclesiasticis, part. 4. cap. 1. quoad omnes dictos Equites docent, non dissolui, quod nos verum existimamus quoad vota & professionem Equitum Calatravæ, & Alcantaræ, & S. Iacobi, quamuis sint verè Religiosi; quia matrimonium antea factum est compatibile cum eorum votis, quia tantum vouent castitatem conjugalem. Quoad Equites verò S. Ioannis id falsum existimamus, vt contra prædictos docent Sancius vbi supra, Azor lib. 13. cap. 6. quæst. 4. & Basilius lib. 9. cap. 7. quia professio horum est solemnitas, & in ea vouent castitatem absolutam, absque restrictione. Ab illis tamen excipit Basilius Clericos S. Iacobi viuentes extra claustrum, vt eorum professio dissoluat matrimonium ratum, sed absque sufficienti fundamento, imò & contra rationem; quia eadem est Clericorum & non Clericorum professio.

DIFFICULTAS VII.

Vtrum per vota Mantellatarum & Mantellatarum dissoluatur Matrimonium ratum.

27 **S**upponimus, per vota Mantellatarum S. Francisci & S. Dominici (quas Beatas seu Tertiarias vocant) quæ collegialiter viuunt sub regimi-

Sancius.
Basilius.

ne praelati ex vi suae Regulae approbatae, sub qua emittunt vota illa, dissolui matrimonium non consummatum. Ita Sancius lib. 2. disp. 18. & Basilus lib. 9. c. 8. quia earum vota absoluta, & absque restrictione sunt professio solemniter, ut respondit Paulus III. consultus à Patribus Dominicanis; quia nihil deficit illis, ut sint solemniter, seu professio solemniter, iuxta ea quae diximus Diffic. v.

Et idem ob eandem rationem dicendum est, ut aduertit & expendit Basilus de votis Mantellatarum S. Augustini, quae collegialiter viuunt sub regimine Praelati ex vi suae Regulae, quod per earum vota dissoluatur matrimonium ratum, etiam si id neget Rodriguez Tom. 3. q. 72.

28 Circa vota verò Mantellatarum & Mantellatorum S. Dominici, S. Francisci tertij Ordinis, & S. Augustini non viuentium collegialiter, sed in propriis domibus, quamuis communiter negetur, eorum vota dissoluere matrimonium ratum, Basilus tamen id affirmat de votis viuentium sub arbitrio & regimine Praelati, quamuis in propriis domibus; quod mihi non displicet, quia eo ipso eorum vota sunt professio solemniter.

DIFFICULTAS VIII.

Quantum temporis concedatur coniugibus ad ingrediendam Religionem ante consummationem Matrimonij.

29 Conueniunt Doctores, ex cap. 7. de Conuersione coniugum, concedi coniugibus ab Ecclesia duos menses, numerandos à die contractus matrimonij, ut intra eos non teneantur consummare, quamuis alter petat, & ut possint Religionem ingredi; & eis completis statim teneri aut consummare matrimonium si alter petat, aut Religionem ingredi. Ita Sancius lib. 2. disput. 24. & Basilus lib. 9. cap. 9. qui addunt, iudicem, causam cognitam, posse restringere aut prorogare dictum tempus duorum mensium iure ipso taxatum, ut constat ex dicto cap. 7.

Sancius.
Basilius.

Hoc ergo supposito, difficultas est Primò, An coniux, qui non cogitat ingredi Religionem, possit duobus primis mensibus non reddere alteri petenti.

Sancius.
Basilius.

Sancius & Basilus partem affirmatiuam tuerunt; quia in dicto cap. conceditur tempus illud bimestre, non tantum ad deliberandum de ingressu Religionis, sed etiam ut coniuges fiant sibi inuicem chariores, desiderio se inuicem cognoscendi.

Angelus.

Angelus verò v. *Debitum*, num. 14. & Aegidius disp. 26. dub. 4. partem negatiuam tradunt, & merito: quia ex vna parte statim ac fit contractus matrimonij, traditur dominium corporis alteri; & ex altera parte in dicto cap. 7. tantum conceditur dictum tempus cogitanti & volenti ingredi Religionem, ut ingrediatur, & non ut coniuges sibi inuicem fiant chariores, ut constat ex contextu: ergo qui non cogitat ingredi Religionem, statim ac fit contractus, tenetur reddere alteri petenti.

Secundò est difficultas, An transacto bimestri, possit quilibet coniux ingredi Religionem, si matrimonium nondum sit consummatum.

30

Sancius.
Aegidius.
Basilius.

Sancius, Aegidius, Basilus, & alij conueniunt, quemlibet posse Religionem ingredi, quamuis plures anni elapsi sint à matrimonio inito, dum consummatum non sit, quamuis alter nolit, & pe-

tae, & quamuis antea interuenerit iniusta debiti negatio, si quando petit, statim (intellige moraliter) ad Religionem tendat; quia in dicto cap. absolute conceditur facultas ingrediendi Religionem ante consummatum matrimonium, & duo menses tantum assignantur, ut intra eos nequeant cogi ad consummandum, & ut eis transactis possint cogi vel ad consummandum, vel ad Religionem ingrediendum, & non ut postea nequeant ingredi. Unde quamuis transierit bimestre ante consummationem, volenti ingredi Religionem irrogabitur iniuria, si vi comprimatur ad consummationem (quidquid dicat Basilus) quando statim, ac ab ipso petitur debitum, vult Religionem ingredi; quia ei licet ingredi statim.

Basilius.

Tertio est difficultas, An dictum bimestre praescriptum sit ad profitendum, ita ut non sufficiat Religionem ingredi, sed necessarium sit eo completo statim profiteri, aut consummare matrimonium, si alter petat.

Nauius c. 16. n. 27. docet, coniugem eo tempore completo statim teneri aut profiteri, aut consummare altero petente, & non sufficere si Religionem ingrediatur; quia in eo cap. 7. obligatur coniux ad Religionem transire, aut ad coniugem redire: pertransire autem ad Religionem, intelligi videtur profiteri; quia in cap. 14. eodem tit. supponitur, transitu ad Religionem dissolui matrimonium, & tamen non dissoluitur ingressu, sed professione.

31
Nauius.

Sancius verò, Aegidius & Basilus docent, dictum coniugem eo bimestri completo non teneri profiteri, sed satisfacere ingrediendo Religionem, & tempore solito profitendo, & merito: quia ex vna parte non tantum profiteri est transire ad Religionem, sed etiam ingredi est transire, quauis inchoatiue; & ex altera parte congruum est, quod in eo cap. 7. transire ad Religionem sumatur pro ingressu, ne decreto huius destruat ius antiquius c. *Ad Apostolicam*. 16. de Regularibus, concedens annum probationis ante professionem; quod non inconuenit, nec est mirum, quamuis in c. 14. sumatur pro professione (ut ex contextu patet) cum transire ad Religionem possit pro vno & pro altero sumi, & dicta cap. sint diuersorum Pontificum, septimum Alexandri III. & decimum quartum Innocentij III.

32

DIFFICULTAS IX.

Quando Matrimonium censetur consummatum, ita ut nequeat professione dissolui, & cessare faciat licentiam ingrediendi Religionem.

Conueniunt Doctores (quamuis Basilus c. 10. dubitet) quod ut matrimonium sit consummatum (quod eo ipso nequit professione dissolui, & cessare facit licentiam ingrediendi Religionem, ut supponitur in c. 14. de Conuers. coniug.) sufficit, quod semen prolificum viri receptum sit intra vas femineum, etiam si vas penetratum non fuerit; quia hoc sufficit ad generationem, ad quam commixtio carnalis & matrimonium ordinantur, sicut etiam sufficit ad contrahendam affinitatem; quia eo coniuges fiunt vna caro inchoatiue, id est, principium vnius carnis, seu prolis, de quo iterum & latius dicemus Disput. xx.

33
Basilius.

Sufficit

Sufficit autem prædicta commixtio carnalis, quamuis obtenta fuerit per iniustam coactionem, quia etiam sic obtenta est sufficiens ad generationem. Nihilominus, ut contra Basilium & alios optimè Paludanus in 4. dist. 27. qu. 3. art. 2. & Sancius lib. 2. disp. 2. poterit persona intra dictos duos menses iniuste coacta Religionem ingredi; quia sic sibi satisfaciatur quoad oblationem iuris ingrediendi sibi concessi ab Ecclesia, & cogens non poterit aliud matrimonium inire, quamdiu coacta viuat, quia dictum matrimonium, utpote consummatum, non dissoluetur per professionem. Et idem credimus, quando persona post bimestre volebat, quando ab ipsa petebatur debitum, statim ingredi, & fuit iniuste coacta, ut sibi satisfaciatur quoad oblationem dicti iuris.

Addimus, ad consummationem matrimonij non sufficere, quòd dicta commixtio fiat ante contractum matrimonium (in quo conueniunt Doctores, vno aut altero excepto), quia antea facta non poterit matrimonium, utpote nondum inchoatum, consummare seu perficere.

Est tamen difficultas, An ad consummandum matrimonium sufficiat vas femine penetratio, absque dicta seminis prolifici receptione.

Medina lib. 5. de Sacrorum hominum continentia, c. 76. & Petrus Ledesma quæst. 61. artic. 1. partem affirmatiuam tuentur; quia in dicto c. 14. supponitur, matrimonium consummari carnali copula; & in c. 7. carnali cognitione, & in cap. 2. commixtione carnali: penetratio autem vas, adhuc absque intromissione seminis, est carnalis copula, & cognitio, & commixtio; ergo sufficit ad consummationem matrimonij, quod eo ipso nequeat professione dissolui, & cessare faciat licentiam ingrediendi Religionem.

Sancius verò lib. 2. disp. 21. Egidius, Basilius, & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò: quia sola vas penetratio non est commixtio perfecta & sufficiens ad generationem, ergo non perficit seu consummat matrimonium, ad generationem ordinatum. Accedit, quòd in dicto cap. 2. supponitur, quòd commixtio carnalis, cuius defectu matrimonium non consummatur, & potest quis ad Religionem transire, debet esse sufficiens, ut per eam coniuges fiant vna caro, quæ nequeunt fieri, deficiente seminis prolifici emissionem intra vas, ut dicemus Disp. xx. imò in ea etiam dicemus, ad id quòd coniuges fiant vna caro, & matrimonium consummetur, necessariam esse seminum viri & femine commixtionem, quamuis quoad hoc Basilius renuat.

DIFFICULTAS X.

Vtrum Matrimonium infidelium, etiam consummatum, dissolui possit per conuersionem alterius ad fidem.

36 **C**onueniunt Doctores, coniugem non baptizatum, postea tamen conuersum, id est, baptizatum, posse deserere coniugem non baptizatum, adhuc post consummationem matrimonij, & nouum matrimonium inire, quando non baptizatus non vult cohabitare cum iam baptizato, aut si vult, cum contumelia tamen Creatoris, vel ut ipsum baptizatum pertrahat ad peccatum mortale, ut definitur in cap. Quanto. 7. & in cap. Gaude-

mus. 8. de Diuortis. & in hoc sensu Ecclesia intelligit illud Pauli 1. ad Corinth. 7. *Quod si infidelis discedit, discedat* (subintellige, conuersus) non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi; in pace autem vocant nos Dominus.

Vnde in his verbis Pauli continetur peculiaris concessio Domini ad dissoluendum matrimonium, etiam consummatum, in fauorem Baptismi; quia in Ecclesia non agnoscitur potestas dissoluedi matrimonium consummatum, adhuc non baptizatorum, ac proinde verba illa priora Pauli, *Ceteris ego dico, non Dominus*, tantum referuntur ad verba immediatè sequentia, in quibus continetur consilium, quod præbet baptizatis, non dimittendi coniuges infideles, contentientes cohabitare pacificè; & non referuntur ad illa maximè distantia, *quod si infidelis discedit, discedat*. Id autem concessit Christus in fauorem Baptismi, ne conuersio seu susceptio Baptismi esset onerosa baptizato; quia alias cogerebatur aut cælibem vitam transigere, aut molestè & periculosè cohabitare.

Ex dictis autem verbis, *si discedit, discedat*, optimè deducit Ecclesia, conuersum, seu iam baptizatum posse dissoluere matrimonium, non solum quando infidelis physicè discedit, nolendo cohabitare, sed etiam quando discedit moraliter, cohabitando videlicet cum contumelia Creatoris, aut cum intentione pertrahendi conuersum ad peccatum mortale; quia ita procedendo cogit alterum, ut ipsum deserat.

DIFFICULTAS XI.

Vtrum iam conuersus possit dissoluere Matrimonium, & aliud inire, quando infidelis non vult conuerti, quamuis velit cohabitare pacificè.

38 **B**ellarminus 1. de Matrimonio, cap. 12. & Egidius disput. 26. dubit. 5. partem affirmatiuam tuentur, Primò, quia id, quod ait Paulus 1. ad Corinth. 7. nempe, quòd baptizatus non dimittat coniugem non baptizatum volentem cohabitare pacificè (id est, absque contumelia Creatoris, & absque animo pertrahendi alterum ad peccatum mortale) tantum est consilium, & non præceptum, ut patet ex contextu, & docet Augustinus 1. de Adulterinis coniugiis c. 13. & 18. ergo coniugis iam baptizatus potest dimittere non baptizatum, quamuis volentem pacificè cohabitare, dimisso autem, de qua ibi loquitur Paulus, est absoluta quoad vinculum, sicut & discessio, quando postea ait, *si infidelis discedit, discedat*: ergo in dicto casu potest dissoluere matrimonium, & aliud inire. Secundò, quia infidelem non conuerti, seu non baptizari, est contumelia Creatoris; ergo quamuis velit cohabitare, si non vult conuerti, non vult cohabitare absque contumelia Creatoris, ergo conuersus poterit matrimonium cum eo contractum dissoluere, & aliud inire.

Sancius verò lib. 7. disp. 74 & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò; quia facultas, concessa iam baptizato ad dissoluendum dictum matrimonium, deducitur ab Ecclesia in c. Quanto. 7. & in c. Gaudemus. 8. de Diuortis, ex illis verbis Pauli, *si discedit, discedat*; & solum deducitur in duobus casibus, nempe aut quando infidelis non vult cohabitare, quia tunc discedit physicè;

Paludan.
Sancius.

37

34

Medina.
Petrus
Ledesma.

35

Sancius.
Egidius.
Basilius.

38
Bellarmin.
Egidius.

Augustin.

39

ficè; aut quando vult cohabitare, sed cum contumelia Creatoris, vel vt pertrahat alterum ad peccatum mortale, quia etiam tunc discedit moraliter, cum tunc baptizatus cogatur ad non cohabitandum cum infideli: & quicumque alius casus expressè excluditur in dicto cap. *Gaudemus*. & implicite in dicto cap. *Quanto*; ergo absque fundamento dicitur, imò contra decretum c. *Gaudemus*, esse etiam dictam facultatem in illo alio casu, quando videlicet infidelis non vult baptizari, si velit pacificè cohabitare; quia tunc vult cohabitare, vt supponimus, & absque contumelia Creatoris, & absque intentione pertrahendi alterum ad peccatum mortale; quia non se conuertendo non afficit contumelia Creatorem. Nec intendit pertrahere, neque pertrahit alterum ad peccatū mortale; aliàs Paulus non consuleret baptizato, vt non dimitteret coniugem infidelem, etiam non volentem se conuertere, quando pacificè vult cohabitare, vt verè consulit in eodem cap. infidelis enim siue dominus siue coniux, qui cohabitatur cum seruo aut cum coniuge iam conuerso, potest cohabitare, nihil dicendo neque efficiendo contra honorem Christi & fidei, & non intendendo suis verbis neque factis alterum pertrahere ad peccatum mortale, neque de facto pertrahendo. Et sanè in dictis duobus capp. iuris supponitur, infidelem non volentem se conuertere, posse cohabitare cum baptizato, absque contumelia Creatoris, & absque intentione pertrahendi, & absque pertractione ad peccatum mortale, dum dicitur, conuersum ad fidem posse discedere, seu dissoluere matrimonium, quando infidelis non vult cohabitare cum conuerso; aut si vult, sed non absque dictis contumelia & intentione pertrahendi, & pertractione ad peccatum mortale. Ex quo constat ad posterius fundamentum aduersariorum.

41 Ad prius verò desumptum ex Paulo 1. ad Corinth. 7. fatemur, quod admonet, nempe coniugem baptizatum non dimittere non baptizatum, consentientem pacificè cohabitare, non esse præceptum (quidquid dicat Basilius lib. 9. cap. 4.) sed tantum esse consilium, ac proinde licitum esse illum dimittere; quia quod non est contra præceptum, quamuis sit contra consilium, non est illicitum: id tamen intelligit Paulus de dimissione quoad torum & quoad cohabitationem, non quoad vinculum, vt supponit Augustinus capite illo 18. in fine, ac proinde posterior discessio, de qua postea loquitur Paulus, est quoad vinculum, vt matrimonium dissolui possit; non verò prior desertio, seu dimissio. Quod non leuiter deducitur ex eo, quod Paulus, reddens rationem posterioris discessionis, ait, *non enim seruituti* (id est vinculo) *subiectus est frater, aut soror in huiusmodi*, supponens in hoc posteriori casu, quando scilicet infidelis discedit, siue physicè siue moraliter, conuersum non manere subiectum; & etiam ex eo, quod Ecclesia dictam facultatem dissoluendi matrimonium deducit tantum ex illis verbis, *si discedat*, &c. & non ex eo, quod conuersum non dimittere infidelem, sit consilium.

Augustin.

42

DIFFICULTAS XII.

Vtrum existente prohibitione cohabitandi cum infideli, possit conuersus dissoluere Matrimonium, & aliud inire, quamuis infidelis velit pacificè cohabitare, si non vult conuerti.

Sancius lib. 7. disp. 74. Henriquez lib. 11. c. 8. 43
 Rebellus lib. 3. quæst. 10. sect. 2. & Basilius *Sancius, Henrig. Rebellus, Basilius.*
 lib. 9. cap. 4. nu. 22. partem affirmatiuam tuentur, Primò, quia quando adest prohibitio cohabitandi cum coniuge infideli non volente se conuertere, cogit conuersum vt cum eo non cohabitaret; quia tunc conuersus nequit cum eo cohabitare, ac proinde infidelis moraliter discedit à conuerso, sicut quando non vult cohabitare, nisi cum contumelia Creatoris, aut pertrahendo ad mortale. Secundò, quia tunc infidelis cohabitando cum conuerso, pertrahit ipsum ad peccatum mortale, quia pertrahit vt secum cohabitaret, quod existente dicta prohibitione est ipsi conuerso mortaliter illicitum, & addunt Sancius & Henriquez, de facto esse dictam prohibitionem, & consequenter existimant, conuersum de facto posse dissoluere matrimonium, & aliud inire.

S. Thomas in 4. dist. 9. qu. vnica, art. 5. Paludanus ar. 2. Toletus in Summa c. 7. Valentia disp. 10. 44
S. Thomas, Paludan. Toletus, Valentia.
 qu. 1. puncto 7. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò: quia Christus non dedit conuerso facultatem dissoluendi matrimonium, quando infidelis cohabitatur cum conuerso perseverans in sua infidelitate, sed tantum quando non vult cohabitare cum ipso conuerso, aut quando cohabitatur efficiendo Creatorem contumelia, aut pertrahendo conuersum ad mortale; & non præcisè quia cohabitatur in sua infidelitate perseverans: quia cohabitatio hæc, perseverando in infidelitate, non sufficit, vt conuersus possit dissoluere matrimonium; aliàs posset præcisè ex eo quod infidelis perseveret in infidelitate, siue cohabitaret siue non cohabitaret, quod falsum est; quia Paulus, ex quo deducitur dicta concessio Christi, supponit, infidelem posse permanere infidelem, & non eo ipso discedere discessione sufficiente, vt conuersus possit dissoluere matrimonium. Et Ecclesia ex Paulo in c. *Quanto*, & in cap. *Gaudemus*. supponit, posse infidelem, permanendo talem, cohabitare cum conuerso, absque eo quod iste possit dissoluere matrimonium. Discessio ergo moralis ex parte infidelis, consistens in contumelia Creatoris, aut in prouocatione ad mortale, sufficiens ad dissolutionem matrimonij, non est contumelia aut prouocatio orta immediatè & præcisè ex cohabitatione, permanendo in infidelitate, vt contingit in casu præsentis Difficultatis, sed ex alio actu distincto, & superaddito ipsi cohabitationi, & eam præsupponente. Ex quo constat ad vtramque rationem aduersariorum. Coactio autem, qua conuersus in casu dictæ prohibitionis Ecclesie cogeretur vitam cælibem transire, non tam esset ab infideli, quam ab Ecclesia cohabitationem prohibente; imò tantum esset per accidens, sicut esset, eam prohibitionem esse; in coactione autem contingente, aut per accidens, ad id nullum est inconueniens, vt dicitur in cap. *Quanto*.

Addimus (vt aduertit Rebellus lib. 3. q. 10. sect. 1. *Rebellus.* & in-

Aegidius. & insinuat *Aegidius* disp. 20. dub. 5.) non esse de facto prohibitionem aliquam, qua conuersus prohibetur cohabitare cum infideli nolente baptizari, si velit pacifice cohabitare; quia non est prohibitio introducta per consuetudinem, imò potius oppositum audimus seruari in India & in Laponia; neque est scripto aliquo tradita, quia in can. *Iudæi*. 28. q. 1. desumpto ex Concilio Toletano IV. c. 62. in quo solo prohibitio scripta reperitur, tantum decernitur, Iudæos habentes uxores Christianas, separandos esse ab illis, nisi ab Episcopo admoniti conuertantur: in hoc tamen decreto non prohibetur cohabitatio cuiuscumque conuersi, sed tantum uxoris, quia facilius potest peruertere à viro, quam e contra; & non cum quocumque infideli, sed tantum cum Iudæis, ob eorum peculiarem obstinationem: imò non præcipitur uxori, quod à marito Iudæo statim discedat, sed tantum postquam Episcopus monuerit, & Iudæus baptizari nolit, quod arbitrium aut sententiam Iudicis requirit. Adde, dictum Concilium Toletanum, ex quo desumptus est dictus canon, fuisse particularem, ac proinde non obligans nisi pro suo districtu.

DIFFICULTAS XIII.

Quando dissoluatur Matrimonium conuersi cum infideli nolente cohabitare, aut non nisi cum contumelia Creatoris, aut pertrahendo ad mortale.

Richardus. *Panormit.* *Angelus.* *Rodriguez.* **R**ichardus in 4. dist. 39. ar. 2. q. 2. Panormitanus in cap. *Quanto*. de Diuortijs, nu. 6. & 7. Angelus v. *Matrimonium*. 3. nu. 3. & Rodriguez Tom. 1. c. 250. docent, dictum matrimonium dissolui statim, ac licitum est conuerso aliud inire, antequam illud ineat; ac proinde statim ac infidelis non vult cohabitare, aut si non vult, nisi cum contumelia Creatoris, aut pertrahendo ad mortale. Quod significari videtur in can. *Si infidelis*. 28. quæst. 2. dum dicitur, contumeliam Creatoris soluere ius matrimonij; & deduci videtur ex verbis Pauli, *Si discedit, discedat; non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi*. Si ergo conuersus, quando alter discedit, siue phytice siue moraliter, non est subiectus seruituti (id est vinculo, quia nulla alia potest esse seruitus) liber est à seruitute, seu vinculo; ac proinde discessione infidelis vinculum statim dissoluitur. Et ratione probatur, quia posterius matrimonium nequit valide contrahi perseverante priore, ergo antequam posterius contrahatur, præsupponitur dissolutum prius.

Sancius. *Aegidius.* *Rebellus.* *Basilius.* Sancius verò lib. 7. disp. 75. *Aegidius* disput. 26. n. 63. *Rebellus* lib. 3. q. 10. lect. 2. & *Basilius* lib. 9. cap. 4. docent, dictum matrimonium non dissolui statim, ac licitum est conuerso aliud inire, sed quando posterius contrahitur, ita ut contractio posterioris sit distractio seu dissolutio prioris, & merito: quia in cap. *Gaudemus*. 8. de Diuortijs, conuersus ad fidem compellitur recipere alterum coniugem, si, antequam ineat matrimonium, conuertatur infidelis; ergo prius matrimonium non dissoluitur antequam posterius contrahatur.

Ad primum ergo aduersariorum, desumptum ex dicto can. respondemus, contumeliam Creatoris soluere matrimonium in eo sensu, quod eo perseverante, non impediatur conuersus aliud con-

trahere; & in eodem sensu dicitur à Paulo, conuersum non esse subiectum, quia scilicet liberè potest aliud matrimonium contrahere. Ex quo constat ad secundum ex Paulo desumptum. Et ad rationem respondemus, concedendo, non posse contrahi posterius matrimonium, priori perseverante, post ipsum; imò nec in eo instanti, in quo posterius perficitur; posse tamen, quamuis prius perseveret exclusivè usque ad instans in quo posterius perficitur: in quo sit verum dicere, Nunc matrimonium posterius est perfectum, & immediatè antea non erat; & nunc non est matrimonium prius, & immediatè antea erat.

Observandum est Primò (in quo Doctores communiter conveniunt) conuersum non possè licitè transire ad aliud matrimonium, nisi ei moraliter constet esse causam, ob quam possit dissolvere matrimonium, aut eam esse, prudentissimè præsumat; potest autem sic præsumi, quando infidelis inueniri non potest à fideli. Si tamen causa præsumpta verè & re ipsa non subsistat, matrimonium re ipsa erit nullum; ut quando præsumitur infidelis nolle cohabitare, & tamen re ipsa vult, tunc matrimonium re ipsa erit nullum, nisi facta sit dispensatio auctoritate Summi Pontificis ad secundum matrimonium.

Observandum est Secundò (in quo etiam Doctores conveniunt) infidelis relicto non posse validè contrahere novum matrimonium, quousque prius matrimonium dissolutum sit; hoc tamen dissoluto, posse non solum validè, ut patet, sed etiam licitè; quia nullo Iure prohibetur.

DIFFICULTAS XIV.

Utrum Matrimonium conuersi, cum infideli contractum ante Baptismum, dissoluatur per solemnem professionem in Religione.

Difficultas hæc non habet locum in opinione eorum, qui dicunt, dictum matrimonium dissolui statim, ac licitum est conuerso ad aliud transire, sed tantum in nostra, iuxta quam diximus, non dissolui quousque conuersus transeat ad aliud matrimonium. Est ergo difficultas, An sicut dissoluitur per novum matrimonium conuersi, ita etiam dissoluatur per professionem solemnem eius. Et non est difficultas, quando matrimonium non est consummatum; quia tunc absque dubio dissoluitur non minus, quam matrimonium ratum celebratum post Baptismum; sed tantum est, quando matrimonium est consummatum.

Sancius ergo lib. 7. disp. 77. *Henriquez* lib. 1. c. 8. & communiter Doctores partem affirmatiuam tuentur; quia dictum matrimonium contractum ante Baptismum, quamuis consummatum, dissoluitur per novum matrimonium ratum conuersi; sed hoc dissoluitur per professionem solemnem, ut diximus Difficultat. IV. ergo etiam illud, quamuis consummatum sit. Consequentia patet ex L. *De accessionibus*. ff. De diuersis temporaneis præscriptionibus. *Si vinco vincentem te à fortiori vincam te.*

Aegidius. *Abulensis.* *Aegidius* verò disp. 26. dub. 5. *Abulensis* 1. Regum 8. q. 68. & alij partem negatiuam tradunt, & merito: quia vis seu efficacia, quam professio solemnis habet ad dissoluendum matrimonium ratum baptizatorum, tantum provenit ex Iure Ecclesiastico,

52 clesiastico, vt diximus Diffic. IV. & ex auctoritate Ecclesiæ, quamuis extraordinaria, & peculiariter à Christo concessa: sed in Ecclesiâ non agnoscitur facultas ad dissoluendum matrimonium consummatum, vt omnes admittunt, ergo in professione solemnî non est vis ad dissoluendum matrimonium consummatum conuersi. Accedit, quòd ratio, ob quam dicta efficacia concessa fuit à Christo matrimonio rato conuersi, ad dissoluendum matrimonium antiquum ante Baptismum, quamuis consummatum, non currit in professione solemnî; quia efficacia illa fuit concessa dicto matrimonio rato, ne conuersio esset onerosa conuerso, quæ verè esset, si cogeret aut vitam cælibem transigere, aut cum infideli molestè cohabitare: hæc autem ratio cessat, quando conuersus profiteatur solemniter; quia tunc perseverantia vinculi antiqui non est onerosa ipsi, utpote eligenti statum continentia, & dissolutio illius non esset ipsi utilis, sed tantum infideli.

Ad fundamentum ergo aduersariorum respondemus, regulam illam, *Si vinco vincentem te, a fortiori vincam te*, non semper habere locum in his quæ constant ex Iure positiuo, nisi quando eadem ratio in vtroque militat, & quando vtrumque ex eodem Iure constat. In præsentî autem casu neque currit eadem ratio, vt nuper dicebamus, neque vtraque dissolutio fit ex eodem Iure; quia dissolutio matrimonij antiqui iam consummati conuersi fit Iure diuino Christi per matrimonium nouum ratum; dissolutio verò matrimonij rati per professionem, fit tantum Iure Ecclesiastico.

53 Obseruandum est, dictum matrimonium multò minùs dissolui sacris Ordinibus, vt contra nonnullos docent Sancius & Aegidius, quia oppositum nulli sufficienti fundamento innitur: nihilominùs conuersus, quando legitimè & licitè est professus, aut Sacris initiatus, quia infidelis noluit cohabitare cum illo, aut non nisi cum contumelia Creatoris, aut pertrahendo ad mortale, non est restituendus infideli relicto, quamuis conuerso post professionem aut sacram ordinationem; secùs tamen si priùs conuersus nondum est professus, quamuis ingressus sit Religionem, vt contra Abulensem docet Sancius: imò existimamus tunc restituendum esse infideli volenti pacificè cohabitare, quamuis non conuertatur.

Sancius.
Aegidius.

Sancius.

DIFFICULTAS XV.

Virum in lege veteri per libellum repudij dissoluebatur Matrimonium quoad vinculum.

54 SUpponimus in lege veteri Deut. 24. statutam fuisse legem repudij his verbis: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudij, & dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit: non poterit prior maritus*

recipere eam in uxorem; quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino.

Est ergo difficultas, An per libellum repudij in ea lege dissolueretur matrimonium quoad vinculum.

Magister in 4. dist. 33. & ibidem Bonauentura & Sotus, & Couarruias 2. parte c. 7. §. 4. docent, quòd non dissoluebatur quoad vinculum, sed tantum quoad torum & cohabitationem, quod etiam senserunt Glossa in c. 24. Deur. Augustinus, Origenes, & alij Patres. Id autem expressisse videtur Christus Dominus Matth. 19. dum dixit: *Moses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras. vbi satis exprimitur, Deum non concessisse, sed tantum permisisse dimissionem vxoris; ac proinde matrimonium non dissoluebatur quoad vinculum, quia absque Dei concessione dissolui non poterat. Quòd etiam deducitur ex dictis verbis Deuteronomij, quibus dicitur, vxorem repudiatam, quæ alterum maritum duxerit, isto mortuo, aut etiam repudiante, non posse à primo marito recipi, quia polluta erat, & abominabilis facta coram Domino: sed ex nullo alio videtur facta abominabilis coram Domino, nisi quia nupsit secundo viro, qui eam cognouit; ergo prius matrimonium non dissoluebatur, quia si dissolueretur, non fieret abominabilis coram Domino ob celebrationem secundi, & ob vsum illius.*

55
Magister.
Bonauent.
Sotus.
Couarr.
Glossa.
Augustin.
Origenes.

Sancius verò lib. 10. disp. 1. Bellarminus 1. de Matrimonio, c. 17. Aegidius disp. 26. dub. 1. & Bassilius lib. 7. c. 50. docent, quòd per libellum repudij matrimonium dissoluebatur quoad vinculum: quod etiam sensit Chrysostomus Homil. 24. in Mathæum, & satis efficaciter deducitur ex dictis verbis Deuter. 24. quia in eis aperte supponitur, vxorem repudiatam validè nubere alteri, ac proinde prius matrimonium fuisse dissolutum. Et sanè si prius non dissolueretur, posterius fieret inualidè & illicitè, & vsum illius etiam esset illicitus: credi autem non potest id fuisse illicitum; quia non defuisset aliquis ex Prophetis qui id reprehendisset, & tamen nullibi legitur reprehensum.

56
Sancius.
Bellarmin.
Aegidius.
Bassilius.
Chrysost.

Ad prius ergo fundamentum aduersariorum, desumptum ex illo Matth. 19. respondemus, verbo *permisit* non significari rigorosam permissionem, sed veram concessionem & relaxationem obligationis naturalis iustitiæ alteri coniugi, sed illis factam ob eorum duritiem, & facilitatem ad dimittendas vxores. Et ad posterius, desumptum ex illo Deut. 24. respondemus, repudiatam, quæ alterum ducebat, dici pollutam & abominabilem coram Domino, non quia alterum ducebat, sed quia publicè, & consequenter coram Domino, fuit iudicata talis à priori marito, & ob id non permittebatur iterum ab eo recipi.

57 Obseruandum tamen est, dictam legem & concessionem repudij & dissolutionis matrimonij Iudæis factam, cessasse non tantum morte ipsa Christi, qua omnes leges positivæ diuinæ generaliter cessarunt, sed etiam cessasse specialiter viuente Christo: quia reuocata fuit ab ipso Matth. 19. vt ex contextu constat, & definitum est in c. *Gaudemus*. 8. de Diuortiiis.

DISPUTATIO IX.

De vnitate Matrimonij.

DIFFICULTAS I.

Vtrum pluralitas coniugum simul, sit illicita & nulla.



CONVENIUNT Primò Doctores Catholici contra hæreticos, matrimonium esse necessariò vnius cum vna, seu, vnum non posse, priori vxore viuente, aliam ducere, neq; econtrà, vt definitur in cap. *Gaudemus. 8.* de Diuortijs, & deducitur ex illo *Genesis 2. Et erunt duo in carne vna*; vbi supponitur, coniuges non posse esse plures quàm duos: ex quo Christus Dominus *Matth. 19.* probat, esse adulterum eum, qui dimissa vxore ducit aliam; & tamen non esset adulter, si viuente priori, etiam posterior fieret vxor illius. Ex quo constat, vnum non posse, non solùm licitè, sed neque validè, viuente priori, aliam ducere; quia si validè illam duxisset, non esset adulter ad eam accedendo, vt pote ad propriam.

2 Conueniunt Secundò Doctores, hanc polygamiã seu pluralitatem coniugum simul (id est, vnum coniugem simul habere plures coniuges) esse illicitam & irritam Iure diuino Christi *Matthæi 19.*

Est tamen difficultas, An etiam sit illicita & inualida Iure naturali.

Conueniunt Doctores, pluralitatem maritorum simul cum vna vxore, esse etiam Iure naturali illicitam, & nullam; quia hæc pluralitas est contra finem primarium contractus matrimonij, nempe contra prolis generationem; quia, vt experientiã constat, pluralitas virorum generationi nocet: & etiam est contra bonam educationem prolis; quia nullus virorum, quibus eadem vxor esset communis, sufficienter prospiceret educationi filiorum, quia nullus proprium filium agnosceret.

Est ergo difficultas, An pluralitas vxorum simul, etiam sit Iure naturali illicita & irrita.

Abulensis. Durandus. Palacios. Caietanus. Vera-cruz. August.
Abulensis 1. Reg. 8. quæst. 25. Durandus in 4. dist. 33. quæst. 1. Palacios disp. 1. Caietanus c. 16. in *Genesis*, & *Vera-cruz 2. par. Speculi, art. 15.* partem negatiuam tuentur, quam tradidisse videtur *Augustinus 16. de Ciuitate Dei, cap. 38.* dum ait, pluralitatem vxorum nulla lege fuisse prohibitam. Et ratione probatur, quia si esset contra Ius naturale, maximè, quia ducere secundam est contra Ius primæ; ergo saltem secunda cedente iuri suo, siue quando sit contractus, siue postea, possit vir Iure naturali validè & licitè aliã ducere.

3 *Sanctius. Couarr. Bellarmin. Henriquez.*
Sanctius verò lib. 7. d. 80. *Couarruias 4. Decretalium 2. par. cap. 7. §. 3.* *Bellarminus lib. 1. de Matrimonio cap. 11.* & *Henriquez lib. 12. cap. 6.* partem affirmatiuam meritò tradunt, quæ definita videtur in cap. *Gaudemus. 8.* de Diuort. dum dicitur, *nulli umquam licuisse habere plures vxores simul, nisi cui fuit ex diuina reuelatione concessum.* in quibus verbis supponitur, id fuisse Iure naturali illicitum, & non solo Iure positiuo; quia ante istud

fuiisset licitum. Quòd si Iure naturali est illicitum, eodem Iure contractus cum posterioribus erit irritus; quia si esset validus, licitum esset post semel factum contractum, quamuis illicitè factum, omnes simul habere; quia contractu valido, quamuis illicito, acquisitum esset dominium in illis. Quod etiam confirmatur ex eo, quòd in dicto cap. subditur, nempe Patriarchas excusari ab adulterio, ob diuinam concessionem: at si absque diuina concessione possent validè, quamuis illicitè, aliam ducere, etiam possent absque adulterio eam cognoscere, quia esset propria.

4 Et ratione probatur; quia matrimonium per se & ex sua natura ordinatur non tantùm ad prolis generationem & educationem vt ad finem primarium, sed etiam ad pacificam societatem & gubernationem, & ad communicationem operum quæ ad vitam sunt necessaria tamquam ad finem secundarium; quia, vt *Aristoteles ait 8. Ethic. cap. 12.* vir & vxor coniunguntur non solùm ad procreandum vt cetera animalia, sed etiam ad cohabitandum pacificè, & ad pacificè simul regendam familiam, officia domestica partiendo; quia alia munia viro, alia vxori conueniunt: sed pluralitas vxorum, quamuis aliquando per accidens non sit contra pacificam cohabitationem, & pacificam gubernationem domus, ex se tamè est contra illam; quia quælibet vxor quoad id quod ad vxorem attinet, potest pretendere domum regere & gubernare, quo diuisio & rixæ inducerentur. Quòd autem quælibet id possit pretendere, constat; quia vxor quamuis sit subdita viro, sed non nisi vt socia & collateralis, ac proinde etiam est domina in domo, habens in ea auctoritatem & principatum, qui in ipsa vxore necessariò oritur ex matrimonio, & nequit à viro prohibito auferri, & cui ipsa non potest cedere, vt pote qui necessariò oritur ex natura ipsius contractus, sicut nequit cedere iuri radicali, seu dominio in corpore mariti. Ergo pluralitas vxorum simul est contra naturam contractus matrimonij, vt pote suã naturã ordinari ad dictos fines, quamuis secundariò; ac proinde contractus matrimonij ita necessariò est vnius cum vna, vt factus cum pluribus non solùm sit illicitus, sed etiam nullus. Et etiam ob hanc rationem desumptam ex dictis finibus secundarijs, pluralitas maritorum simul cum vna nõ solùm est illicita, sed etiam nulla; quia est magis contra pacificam cohabitationem & gubernationem domus, quàm pluralitas vxorum cum vno marito, ob superioritatem maritorum, non recognoscentium superiorem in domo.

6 *Augustinus* ergo pro aduersarijs adductus, tantùm loquitur ex suppositione diuinæ concessionis; quia hac supposita, pluralitas vxorum non est contra Ius aliquod, adhuc naturale; sicut non est contra Ius naturale, accipere ex diuina concessione bona aliàs alterius. Et ad rationem respondemus, accipere secundam, esse contra Ius naturale, quia est contra ius radicale seu remotum primæ, cui nequit ipsa cedere, neque quando fit contractus,

si velit contractum fieri; quia non potest non oriri ex matrimonio, utpote primarius & immediatus effectus, sicut dominium in corpore mariti; neque potest postea illi cedere, sicut neque dicto dominio.

DIFFICULTAS II.

Utrum pluralitas conjugum simul, aliquando fuerit valida & licita.

7 **C**onueniunt Doctores, polygamiam, seu pluralitatem vxorum simul, fuisse validam & licitam antiquis Patriarchis ex diuina concessione, ut supponitur Deuter. 21. dum dicitur: *Si habuerit homo vxores duas*, &c. & id dicitur in cap. *Gaudemus*. Quod autem posteriores vxores aliquando in Scriptura vocentur concubinae, non obest; quia etiam vocantur vxores, Genes. 16. & 25. imò vnica vxor Leuitae dicitur concubina, Iudic. 19. Communiter autem in Scriptura dicuntur concubinae, vxores, quae tantum assumebantur ad generationem, & non ad domus administrationem.

Quod verò id ex se sit contra Ius naturale, non obstat quin id Deus concedere possit; quia ipsius concessione definit esse contra Ius naturale, quia definit esse contra ius vxoris; cum Deus, ut supremus Dominus corporum, possit viro concedere facultatem, ut validè & absque iniustitia in vxorem, etiam tradat suum corpus alijs vxoribus, & ut tradat gubernationem domus ei cui sibi placuerit, sicut etiam concessione diuina facta alicui ut alterum occidat, aut ut eius bona accipiat, occisio illius, & eius bonorum acceptio definit esse contra Ius naturale, & iniusta; quia Deus est supremus Dominus bonorum, & vitæ omnium.

8 Vbi autem, & quando, & quibus facta fuerit dicta diuina concessio, non constat; creditur tamen facta primis Patriarchis populi Dei, pro ipsis, & pro toto populo Dei; quia in toto eo vsitata erat pluralitas vxorum simul, ut patet ex Deut. 21. & à nullo Propheta reprehensa.

Hac autem consuetudo, exemplo populi fidelis, extensa fuit ad reliquas Gentes, sed non diuina concessio, ut aduertit Sancius lib. 7. disp. 80. quia Deus soli populo suo, ex quo Messias venturus erat, id concessit, ut tunc exiguus multiplicaretur sicut arena maris; & consequenter pluralitas vxorum in Gentibus erat nulla, & ex obiecto illicita, quamuis communiter à culpa excusarentur ob ignorantiam, & bonam fidem.

9 Dicta tamen concessio, populo fideli facta, reuocata fuit à Christo Domino Matth. 5. & 19. reducens matrimonium ad suam primam & naturalem institutionem, quando dixit, eum, qui dimissa vxore aliam ducit, mœchari, & esse adulterum. Vnde nulli, quamtumuis baptizato, licet habere plures vxores simul, ut contra Lutherum definit Tridentinum sess. 24. can. 2. addens id esse Iure diuino prohibitum, de quo legendus est Bellarminus 1. de Matrimonio cap. 10.

Sed quamuis pluralitas maritorum simul cum

vna vxore numquam fuerit valida, neque licita, quia est Iure naturali illicita & nulla, & ad eam Deus numquam concessit facultatem; potuit tamen diuina concessione fieri valida & licita, ut contra Bellarminum docent Sancius vbi supra, & *Sancius. Ægidius.* Ægidius disp. 26. num. 29. quia Deus, ut supremus Dominus corporum omnium, potuit concedere vxori facultatem, ut validè & absque iniustitia in maritum, etiam tradat dominium sui corporis alijs, & ut ab eis accipiat dominium corporum ipsorum, & ut reliqua necessaria ad complementum vinculi efficiat.

Et quamuis Deus potuerit & possit concedere facultatem ad pluralitatem vxorum cum vno marito, & ad pluralitatem maritorum cum vna vxore, ob suum dominium supremum in omnia; Pontifex tamen ad neutram potest concedere facultatem, quia vtraque est Iure naturali illicita & nulla, in quo nequit dispensare, nisi potestate extraordinaria à Deo peculiariter concessa, quam non constat esse in Pontifice.

DIFFICULTAS III.

Utrum pluralitas conjugum successiue sit valida & licita.

11 **C**onueniunt Catholici contra hæreticos, pluralitatem coniugum successiue esse validam & licitam. Ita Bellarminus 1. de Matrimonio c. 9. Sancius lib. 7. disp. 81. & Ægidius 26. num. 2. & id tradit Ambrosius lib. de Viduis, Hieronymus Epist. 11. Augustinus lib. de Bono viduitatis, c. 11. & Chrysostomus Homil. 20. in Epist. ad Ephesios. Quod expressit Paulus ad Roman. 7. & 1. ad Corinth. 7. Et constat ex Ecclesiæ consuetudine, imò & omnium Gentium, & definitur in Concilio Florentino in Instructione Armenorum. Et ratione constat, quia morte vnus coniugis dissoluitur vinculum & obligatio in superstiti, quia iam non est cui sit obligatus; ergo poterit, utpote iam liber ab obligatione, contrahere cum altero, quia ex priori matrimonio nullum relinquitur impedimentum, ut patet.

12 Quod si aliquando denegatur benedictio secundis nuptijs, nempe quando saltem alteri fuit aliquando concessa, fit, non quia sint inualidæ aut illicitæ, sed ne benedictio repetitione vilescat. Et si in Concilio Laodicensi can. 1. imponitur pœnitentia ijs qui ad secundas nuptias transeunt, non est quia sint illicitæ, quia ibi dicuntur licitæ; sed ob eorum præsumptam intemperantiã, quia transeunt ad illas, censentur incontinentes. Et si ob polygamiam statuitur irregularitas, non est quia sit illicita, sed quia secundo matrimonio deficit perfecta ratio Sacramenti, non Sacramenti propriè gratiam conferentis, quia hæc non deficit illi; sed Sacramenti impropiè, id est significationis coniunctionis vnus Christi cum vna Ecclesia. A quibus autem hæc irregularitas incurratur, dicimus in Tractatu de Irregularitate, Disputatione 11. Difficultate xiiii.

Trident.

Bellarmin.

DISPUTATIO X.

De usu & debito coniugali.

DIFFICULTAS I.

Vtrum usus seu actus coniugalis sit licitus.

1
Bellarmin.

PRÆTER hæreticos, qui (vt refert Bellarminus 1. de Matrimonio cap. 1.) dixerunt, vsum coniugalem esse illicitum, etiam fuerunt Catholici, qui (vt refert Bonaventura in. 4. dist. 31. ar. 2. q. 1.) docuerunt, in omni copula coniugali ad minus esse culpam venialem, ducti auctoritate quorundam Patrũ, dicentium, in ea esse immunditiam quamdam. quod etiam significatur Apocalypf. 14. dum de viris virginibus dicitur, *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt conquinati.*

2 Veritas tamen Catholica est, copulam coniugalem ex se esse licitam: quod aperte constat ex eo, quod Deus Gen. 1. primis parentibus commendauit vsum coniugalem illis verbis, *Crescite, & multiplicamini;* & ex eo, quod ad Hebr. 7. torus coniugatorum dicitur à Paulo *immaculatus.* Id quoque ab absurdo constat, quia aliàs matrimonium esset illicitum, vtpote ordinatum ad vsum illicitum. Et tandem à priori probatur, quia ex vna parte actus coniugalis est vsum corporis coniugis, cuius quis habet dominium & potestatem in ordine ad talem vsum; & ex altera parte actus coniugalis suã naturã ordinatur ad procreandam prolem in cultum Dei, & ad conseruandam speciem hominum, ad quod ratio ipsa inclinatur; ergo ex se seu ex suo obiecto est licitus.

Vnde quamuis in actu seu vsum coniugali semper reperitur immundities quãdam naturalis, quatenus fit membris pudendis, & fœdo motu, de qua Patres loquuntur, & quæ in dicto testimonio Apocalypf. significatur; non tamen reperitur immundities moralis, seu culpa, de qua procedit difficultas.

DIFFICULTAS II.

Quo sine exercendus sit vsum coniugalis, vt licite fiat.

3 CONueniunt Doctores, vsum coniugalem, factum ob proles generationem, aut ob vitandam incontinentiam, quam in altero coniuge videtur alter esse in periculo, licitum esse, quia isti sunt fines proprii & immediati ipsius vsum coniugalis; & ad vitandam propriam incontinentiam, non esse illicitum mortaliter.

Est tamen difficultas, An in vsum coniugali, facto ad vitandam propriam incontinentiam, sit culpa venialis.

Magister in 4. dist. 31. (quem non pauci Scholastici & Summistæ sequuntur) docet, in eo esse culpam venialem; quia qui vitatur actu coniugali ob dictum finem, non intendit proprium finem ipsius actus, quia non intendit proles generationem, vt patet; neque bonum fidei, quia ad hoc

tantum pertinet reddere debitum petenti, & abstinere ab actu carnali cum alio. Id autem Sancius *Sancius.* lib. 9. disp. 9. & alij limitant, vt tantum sit verum, quando ille potest alijs medijs incontinentiam in se ipso vitare; quia qui potest alijs, videtur inordinate vti actu rationem absorbente.

Durandus verò in 4. dist. 31. quæst. 4. Nauarrus in Summa cap. 16. num. 32. Rebellus lib. 3. quæst. 19. lect. 1. Egidius disp. 34. num. 6. & Basilius lib. 10. cap. 8. absolute docent, in eo nullam esse culpam, nec venialem, & merito: quia id supponit Paulus 1. ad Corinth. 7. dum ait: *Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat.* & dum subdit iterum: *Reuertimini in id ipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.* Eo verò, quod subdit, *Hoc secundum indulgentiam dico, non secundum imperium,* quo significat se id dicere secundum permissionem, non significat, in eo actu coniugali ad propriam incontinentiam vitandam esse culpam, alias non suaderet ad illum; sed significat esse minorem perfectionem quam in abstinentia à copula: sicut quando subdens, *& si nupserit virgo, non peccabit, ego autem vobis parco,* non significat reperiri culpam in nuptijs, cum immediate ante à dixerit, non reperiri peccatum, sed in eis esse minorem perfectionem quam in ælibatu.

Et ratione constat, quia vsum coniugalis, supposito peccato seu lapsu naturæ humanæ, ordinatur suã naturã in remedium concupiscentiæ propriæ (vt ex se patet, & significat Paulus vbi supra) quamuis minus principaliter quam in proles generationem: ergo in vsum coniugali ob eum finem facto nulla est inordinatio, quia vsum coniugalis, quamuis aequaliter rationem absorbens, ex se tamen & ex suo obiecto est licitus, & suã naturã ordinatur in eum finem qui est licitus, & nulla est lex quæ cogat vt in vsum rei principaliorem finem intendamus; aliàs in præsentia materia vsum coniugalis ad vitandam incontinentiam, in altero coniuge existente in periculo illius, non esset licitus, & sterilis non posset vti matrimonio, quia nequit proles generationem intendere; imò non posset alteri petenti reddere, quia alter non posset petere, cum nequeat ex ipso sterili proles generationem intendere.

Addimus Primò (vt contra Magistrum & alios docent Almaynus in 4. dist. 31. quæst. vnica, Maior *Almayn. Maior.* ibid. concl. 4. Egidius & Basilius vbi supra, & Henriquez lib. 11. cap. 15.) vsum coniugalem ob sanitatem corporalem, & ob quemlibet alium finem honestum, quamuis ipsi vsui extrinsecum, esse licitum, relicto adhuc omni fine proprio; quia nulla est, neque ostendi potest inordinatio in eo, quod quis, relicto proprio fine operis, id assumat ad alium finem honestum, ad quem habet proportionem. Imò, vt optime Basilius, erit licitus, etiam si quis ob paupertatem, aut ob alium licitum finem, inefficaciter desideret non sequi prolem, quia bonitas aut malitia affectus inefficacis voluntatis ex motu pensatur.

Almayn.
Basilus.
Maior.

Addimus Secundo, vt optimè Almaynus & Basilus vbi supra, & Maior concl. 7. actum coniugalem exercitum solùm ob capiendam delectationem carnalem (ipsi actui annexam, vt auidius appetatur ob conseruationem speciei) esse immunem à culpa adhuc veniali, & hoc non carere probabilitate, docet Vera-cruz 3. par. Speculi art. 16. concl. 2. quia dicta delectatio seu voluptas verè est licita, sicut & actus ipse. Nihilominus non carebit culpa veniali, si fiat ob capiendam nimiam delectationem, seu ex desiderio nimie delectationis, vt significat Augustinus de Bono coniugali, cap. 6. dum ait: *Coniugalis concubitus generandi causa non habet culpam, concupiscentia verò facienda venialem habet culpam.*

Ve ra-cruz

7

DIFFICULTAS III.

Quo tempore actus coniugalis sit illicitus.

8

Primo est difficultas, An actus coniugalis ante benedictiones nuptiales sit illicitus.

Paludan.
Sotus.
Richardus.
Antonin.
Henric.

Paludanus & Sotus in 4. dist. 28. quæst. 1. art. 2. Richardus art. 2. quæst. 3. Antoninus 3. par. tit. 1. cap. 16. & Henriquez lib. 11. cap. 5. docent esse illicitum; ex quibus nonnulli existimant tantùm esse venialem, & alij esse mortalem; & ex his vltimis alij id tantùm attribuunt primo actui, alij verò tantùm actui petendi, & non actui reddendi.

Sancius.
Nauarrus.
Vera-cruz.
Ochagau.
Basilus.

Sancius verò lib. 3. disp. 12. Nauarrus cap. 22. num. 83. Vera-cruz in Appendice ad Speculum dub. 11. Ochagauia tract. 3. quæst. 5. & Basilus lib. 10. cap. 4. docent, non esse illicitum, & meritò: quia quamuis Tridentinum sess. 24. de Matrimonio cap. 1. suadeat & hortetur ne habeatur ante dictas benedictiones, nullibi tamen prohibetur.

Secundo est difficultas, An actus coniugalis in diebus festis sit illicitus.

Magister.
Durandus.

Magister in 4. dist. 32. & Durandus quæst. 1. affirmant esse illicitum; quod docere videntur nonnulli Patres, relati 33. quæst. 4. Et ratione probatur; quia diebus festis vacandum est Deo, ergo contra rationem est vacare Veneri, quo mens à diuinis abstrahitur: quod non pauci etiam extendunt ad diem Communionis, & ad diem ieiunij, & ad diem Supplicationum solemnium, vt in quolibet sit illicitus: & ex his Doctoribus quidam existimant esse mortalem, alij verò non nisi venialem.

9

Bonauent.
Scotus.
Richardus.
Sancius.
Ægidius.
Basilus.

Bonauentura, Scotus & Richardus in 4. dist. 32. Sancius lib. 9. d. 12. Ægidius disp. 34. dub. 9. & Basilus lib. 10. cap. 9. docent, non esse illicitum in diebus festis, quantumuis solemnissimis, & multò minùs in diebus ieiunij & Supplicationum, & meritò: quia actus coniugalis ratione sui nullo peculiari Iure prohibetur in dictis diebus, neque impedit fieri id quod in eis fieri præcipitur, vt patet; ergo in dictis diebus non est illicitus, quamuis in eis nonnihil habeat indecentiæ. Quod solum insinuant Patres, dum dicunt, in eis diebus abstinendum esse ab eo actu, & non licere: quod etiam est verum in die Communionis, tam ante eam, quam post eam, quamuis etiam nonnihil habeat indecentiæ.

Tertio est difficultas, An actus coniugalis tempore fluxus feminei sit illicitus.

Conueniunt Doctores, non esse illicitum, quando fluxus est innaturalis & perpetuus; aliàs con-

iuges rarissimè possent vt iure suo, quod esset durissimum; & quando est necessarius ad vitandum dissidium inter ipsos coniuges, aut ad vitandum periculum incontinentiæ, vel in se vel in altero. Cui non obstat, quòd eo tempore proles aliquando concipiatur monstruosa; quia præterquam quòd rarissimè concipitur talis, melius est proli talem concipi, quàm absolutè non concipi.

Est tamen difficultas, An sit illicitus tempore fluxus naturalis menstrui, & quando non est necessarius ad vitandum dictum dissidium & periculum.

Bonauentura, Scotus, Sotus in 4. dist. 32. Henriquez 11. de Matrimonio d. 15. & Basilus cap. 14. docent esse illicitum; ex quibus nonnulli existimant esse mortalem, quia proli concipiendæ imminet periculum grauis mali, quia facile poterit concipi monstruosa aut leprosa; alij verò, esse tantùm venialem, ex eo quòd sit superfluous, quia tunc femina sit inepta, aut ferè inepta conceptioni.

Glossa verò in can. *Si causa*, v. *Conceptus*. 33. Glossa q. 4. Castro de Lege pœnali lib. 1. & vlt. & alij docent, non esse illicitum (quod probabile existimat Sancius lib. 9. di. p. 21.) & meritò: quia actus coniugalis eo tempore neque est illicitus ratione periculi infectionis prolis, vel quia non est, vel quia est exiguissimum; & quia quamuis sit, & magnum, & magni mali, in eo tamen nulla sit iniuria proli; quia melius est ei sic nasci, quàm non nasci: neque est illicitus ex eo quòd sit superfluous ad conceptionem; quia quamuis hoc obstat, vt fiat ob prolis generationem, non tamen vt fiat ob alios plures fines honestos, vt patet.

Quarto est difficultas, An actus coniugalis sit illicitus tempore prægnationis.

Conueniunt Doctores, esse illicitum, & mortaliter, quando est probabile periculum abortus prolis iam formatæ; id tamen accidere, rarissimum est, vt experientiâ constat; ac proinde ex hac parte, quando ob aliquam aliam peculiarem rationem id prudenter non timetur, actus coniugalis non erit mortalis.

Addimus, *prolis iam formatæ*; quia ante formationem, tempore quo materia incipit coagulari seu formari, quamuis sit probabile periculum dissipationis materiæ, non ob hoc erit mortaliter illicitus, vt contra Tabienam docet Sancius d. 22. quia dissipatio hæc non videtur tanti momenti, vt ob eius periculum actus coniugalis sit mortalis eis qui habent ius ad ipsum actum; erit tamen illicitus venialiter, quia in ea dissipatione (ac proinde in probabili periculo illius) aliqua inordinatio cernitur: id tamen accidere, etiam est rarissimum, vt experientiâ constat, & non mirum, quia (vt testis est Auicenna) matrix statim post conceptionem ita clauditur, vt difficillimè sit aperiri, ac proinde etiam ex hac parte, quando ob aliam peculiarem rationem id non timetur prudenter, actus coniugalis non erit illicitus adhuc venialiter.

Est ergo difficultas, An actus coniugalis, cessante dicto periculo abortus, & dissipationis materiæ, ex eo præcisè quòd habeatur tempore prægnationis, sit illicitus.

Conueniunt Doctores, non esse illicitum mortaliter; quia quamuis tunc semen frustretur sine generationis, id tamen non sufficit ad culpam mortalem, cum non proueniat ex defectu aliquo in concubitu, sed per accidens ratione prægnationis.

Est

Est tamen difficulas, An sit illicitus venialiter.

13
Paludan.
Vterque
Sotus.
Basiliius.
Sancius.
Ægidius.
Henriq.

Paludanus in 4. dist. 32. quæst. 1. art. 3. vterque Sotus & Basiliius cap. 14. affirmant, & quia id Patres reprehendunt, & quia semen frustratur sine generationis, ad quem ordinatur. Sancius verò disp. 22. Ægidius disp. 34. num. 78. & Henriquez lib. 11. can. 15. negant, & merito: quia ex nullo capite ostendi potest esse aliquo modo illicitum: quia quod effusio seminis frustratur generationis sine, non refert ut sit illicita, cum ex vna parte fiat debito modo, & ex altera possit ad alios fines honestos deferuire. Et quamuis Patres id reprehendant, non sufficit; quia non constat id reprehendere tamquam illicitum, & possint solum reprehendere tamquam minus perfectum.

Sancius.
Henriquez.

Addidimus contra nonnullos (vt optimè Sancius, Henriquez & Ægidius vbi supra) actum conjugalem tempore purgationis post partum non esse mortale; imò (vt contra Ochagauiam tract. 5. quæst. 3. & contra Basilium docent prædicti) non esse venialem: quia in eo actu tunc habito nulla apparet inordinatio.

Sancius.
Ochagan.
Basiliius.

Idem quoque docent Sancius, Ochagauia & Basiliius de actu conjugali habito tempore, quo proles nata lactatur, nempe non solum non esse mortalem (vt nonnulli absque fundamento affirmant esse) cum nullum imminet periculum proli quæ lactatur, neque fœtui qui concipitur, vt experienciâ constat; sed neque esse venialem (vt nonnulli affirmarunt esse) quia nulla in eo ostendi potest inordinatio.

Quintò difficultas est, An actus conjugalis tempore ameniæ sit illicitus.

14
Sancius.
Ægidius.

Sancius disp. 23. Ægidius disp. 34. num. 79. & communiter Doctores docent, quando ambo coniuges sunt amentes, actum conjugalem ex suo obiecto esse mortalem, saltem ob periculum malæ educationis prolis (quamuis ex defectu deliberationis à culpa exculantur) & ob id separandi sunt ne carnaliter coniungantur; & etiam esse mortalem, quando vxor est furiosa, & non est sterilis (quamuis vir sit sanæ mentis) ob periculum suffocationis prolis; non verò esse mortalem, imò neque venialem, si vxor sit sterilis, aut si non sit furiosa, quamuis sit amens, si non sit omnino mente capta; quia tunc non est periculum suffocationis, neque malæ educationis prolis, & aliunde non est vnde reddatur illicitus, & ob eandem rationem non esse illicitum, quando maritus est emnino amens, imò & furiosus, si vxor sit sanæ mentis. Sed an coniux sanæ mentis teneatur amenti petenti reddere, dicemus Difficultate XI.

DIFFICULTAS IV.

In quo loco actus coniugalis fiat illicitus.

Conueniunt Doctores, actum conjugalem habitum in loco publico, seu coram alijs, esse mortaliter illicitum (quod est verum, adhuc secluso scandalo); quia id ob turpitudinem actus, adhuc secluso scandalo, grauiter dissonat rationi.

Paludan.
Antonin.
Toletus.

Circa locum sacrum aut benedictum, Paludanus in 4. dist. 18. quæst. 8. art. 4. Antoninus 3. par. tit. 1. cap. 20. & Toletus lib. 5. cap. 8. absolute docent, actum conjugalem in dicto loco habitum esse illicitum, & sacrilegium; quia est prohibitus

intuitu loci sacri, vt supponitur in cap. vnico de Consecratione Ecclesiæ, in 6. & in cap. final. de Consecratione Ecclesiæ: quod limitant Sancius lib. 9. disp. 15. Suarez Tom. 1. de Religione lib. 3. cap. 8. & Ægidius disp. 34. dub. 9. vt tantum sit illicitus, quando non est necessarius ad vitandum periculum incontinentiæ; non verò quando ad id est necessarius, vt continget, quando habetur à coniugibus diu (id est, per vnum mensem) conclusis intra corpus Ecclesiæ, & non possunt ad turrim aut ad cubicula ei adhærentia exire.

Sancius.
Suarez.
Ægidius.

Glossa verò in can. *Ecclesiæ*, de Consecratione d. 1. Hugo, Laurentius & Gandulphus ibid. Henriquez in cap. fin. de Consecratione Ecclesiæ, n. 3. Rosella v. *Consecratio*. 1. num. 9. & Basiliius l. 10. cap. 10. absolute docent (& non absque probabilitate) actum conjugalem in loco sacro, aut benedicto, non esse illicitum nec sacrilegium; quia in eo loco non est illicitus Iure naturali, nec diuino, vt patet; nec Iure Ecclesiastico, quia nullibi prohibetur, nec supponitur prohibitus, quia si alicubi, maximè in dicto cap. fin. de Consecratione Ecclesiæ, dum dicitur: *Si Ecclesiæ cuiuscumque fuerit semine aut sanguinis effusione polluta*, &c. In eo autem non constat esse sermonem de effusione conjugali seminis; quia ad veritatem dictorum verborum illius sufficit effusio seminis non conjugalis, illicita contra castitatem, cuiuscumque sit, siue feminae siue viri, siue Clerici siue non clerici: imò id indicatur in eo capitulo, dum dicitur, *si fuerit polluta*; quia dum aliàs non constat actum conjugalem in Ecclesiâ esse prohibitum intuitu reuerentiæ Ecclesiæ, non est dicendum eo pollui Ecclesiam, sicut nec polluitur sanguinis effusione aliàs licita.

16
Glossa.
Hugo.
Laurent.
Gandulph.
Henriq.
Rosella.
Basiliius.

Ecclesiâ ergo non polluitur actu conjugali, sed tantum non conjugali contra castitatem illicito (& idem est de effusione seminis) & non occulto, sed publico (id est, qui confessione rei in iudicio, aut euidentiâ facti, deuenit in multorum notitiam) vt contra Paludanum, Antoninum, Rebellum, Sancium & Suarez docent Vasquez 1. 2. disp. 98. num. 6. Toletus lib. 5. cap. 8. Azor lib. 10. cap. 26. quæst. 13. & Basiliius vbi supra: polluitur autem dicto actu factò tantum intra corpus Ecclesiæ, & non factò in turri, nec in cubiculis corpori Ecclesiæ adhærentibus, nec in cellulis, seu tribunis, ex quibus Principes, qui domos Ecclesiæ coniunctas habent, audiunt Sacrum, nec in Sacristia, de quo legendus est Basiliius.

17

Vasquez.
Toletus.
Azor.
Basiliius.

Basiliius.

DIFFICULTAS V.

Quomodo, aut quo situ actus coniugalis fiat illicitus.

Conueniunt Doctores, actum conjugalem variato modo, aut situ naturali, vt quando femina non est succuba, & vir non est incubus, esse illicitum, quando id fit absque aliqua necessitate, quia in dicta variatione verè apparet inordinatio. Et esse mortalem, quando est probabile periculum effusionis seminis extra legitimum vas, ne prodigatur semen à natura in generationem ordinatum.

18

Est tamen difficultas, An cessante dicto periculo, & non existente aliqua necessitate ob quam fiat variatio, verè sit mortalis.

Paludanus in 4. dist. 31. quæst. 3. art. 2. Præposi-

19

Paludan.
tus

Præ Rubr.
Monaldus.
Henriq.

tus Rubric. de Sponsalibus num. 13. Monaldus de Matrimonio tit. de Bonis matrim. & Henriquez cap. Inquisitioni. de Sententia excom. num. 12. docent, esse mortalem (quod nonnulli alij specialiter docent, quando fit modo præpostero more brutorum) quia quando variatur modus aut situs naturalis, tunc actus coniugalis est contra naturam, utpote contra modum à natura præscriptum, in quo videtur esse grauis inordinatio.

Sancius.
Henriq.
Ægidius.
Toletus.

Sancius verò lib. 9. disp. 16. Henriquez lib. 11. cap. 16. Ægidius disp. 34. dub. 9. & Toletus lib. 7. cap. 20. docent, variationem modi naturalis non esse mortalem, quocumque modo fiat, siue à latere, siue sedendo, siue stando, siue præpostere, siue viro succumbente, & merito: quia nulla variatio modi naturalis obstat generationi; ergo nulla est censenda grauius inordinata. Antecedens autem probatur, quia variatio, quæ non impedit infusionem seminis intra vas, non obstat generationi, quia non obstat aduentui seminis ad matricem, quia semen ad eam non venit per descensum, sed per attractionem factam virtute naturali matricis, ut docet Aristoteles 2. de Generat. animal. cap. 4. nulla autem variatio modi naturalis impedit immissionem seminis intra vas.

20

Ex eo autem quòd actus coniugalis fiat variato modo naturali, non est contra naturam quoad substantiam, cum fiat intra legitimum vas, sed tantum est contra naturam quoad modum, & taliter ut non impediatur generatio, in quo nõ cernitur grauis inordinatio, sed tantum leuis, à qua (ut optimè Sancius & Toletus) facile excusabit ægritudo, aut dispositio corporis, aut alia rationabilis causa difficile admittens modum naturalem.

Sancius.
Toletus.

Basilius.

Addit Basilius lib. 10. cap. 11. non esse peccatum mortale, etiam si ex eo quòd varietur modus naturalis, elabatur aliqua pars seminis, dum retineatur alia.

Circa eandem circumstantiam modi conueniunt Doctores, vxorem, quæ in actu ipso iam seminavit, si seminationem viri non expectet, peccare mortaliter peccato contra naturam, quia tunc prodigit suum semen ad generationem ordinatum; & si id efficiat contra voluntatem mariti, etiam peccat alio peccato mortali iniustitiæ contra ius mariti. Et ob easdem rationes, si, postquam vxor seminavit, maritus desistat à seminando, peccat peccato mortali contra naturam, frustrando semen femineum, & si id efficiat contra voluntatem vxoris, etiam peccabit peccato mortali iniustitiæ contra ius vxoris.

21

Addimus, maritum, qui iam in actu ipso seminavit, si non expectet seminationem vxoris, peccare mortaliter contra naturam, ut contra Sancium lib. 5. disp. 17. & contra Basilium lib. 10. c. 11. docet Ochagauia tract. 5. quæst. 3. quia ad generationem etiam requiritur seminatio feminae, & ob eandem rationem femina tunc nequit desistere quousque seminet. Quòd si neuter coniux in actu ipso seminavit, possunt absque peccato contra naturam ab ipso actu seu copula desistere, nullam expectando seminationem; quia copula absque seminatione est tantum quidam tactus, qui licitus est coniugibus; & etiam possunt ex consensu vtriusque absque peccato iniustitiæ, ut optimè Sancius disp. 19. & Filiucius tract. 10. cap. 9.

Sancius.
Filiucius.

DIFFICULTAS VI.

Vtrum actus coniugalis fiat illicitus, quando cognatio spiritualis superuenit Matrimonio iam contracto.

TVnc cognatio spiritualis superuenit matrimonio iam contracto, quando vnus coniux, post matrimonium contractum, prolem alterius coniugis, siue ex priori coniuge iam mortuo, siue communem, & ex se habitam, baptizat, aut tamquam patrinus tenet in Baptismo, vel in Confirmatione, in quo mortaliter peccat, si id scienter, vel ex ignorantia vincibili absque necessitate efficiat; quia est res grauis, & prohibita 30. quæst. 1. ferè per totam.

22

Hoc ergo supposito, conueniunt Doctores, quando Baptismus fit absque culpa, vel quia fit ignoranter inuincibiliter, vel quia fit in casu necessitatis, quando scilicet urget necessitas, & non est alius qui id possit facere, tunc cognationem spiritualement, ex eo prouenientem, nullo modo impedire actum coniugalem, ut satis insinuat in can. *Ad limina*, 30. quæst. 1. & quando fit culpabiliter ab vno coniuge, non impediri alterum innocentem à petendo, & ipsi petenti debitum esse reddendum. Quod est verum, etiam in coniuge tenente ut patrino, non solum quando ignoranter inuincibiliter tenet, sed etiam quando tenet in necessitate, ut contra Henriquez & contra Basilium docent communiter Doctores; quia quando fit in necessitate, fit absque culpa, etiam si tentio non sit necessaria necessitate salutis, sicut est Baptismus.

23

Est tamen difficultas, An quando cognatio spiritualis, siue ab vno siue ab utroque culpabiliter contrahitur, siue baptizando, siue tenendo, tunc nocens, siue vterque, siue vnus, impediatur à petendo.

Antoninus 3. part. tit. 1. cap. 15. Sancius lib. 9. disp. 26. Henriquez lib. 11. cap. 15. & communiter Doctores partem affirmatiuam tuentur, quæ expressa est in can. 1. & 2. 30. quæst. 1. imò & quando inculpabiliter contrahitur. Et deduci videtur primò ex can. *Noſſe*, 30. quæst. 1. dum dicitur coniuges non esse separandos, si leuatio de sacro Fonte non fuerit facta vtriusque consensu; ergo si vtriusque consensu fiat, separandi sunt, & non ad aliud, nisi ut neuter petat: & etiam si vnus tantum consensu fiat, ille priuatur iure petendi. Secundò deduci videtur ex can. *Ad limina*, 30. quæst. 1. dum dicitur, eum qui filium in necessitate baptizauerat, non esse à coniuge separandum, quia id laudabiliter fecit; ergo qui id culpabiliter fecerit, separandus est toro, vedelicet ut non petat.

Antonin.
Sancius.
Henriq.

Durandus in 4. dist. 42. quæst. 1. art. 3. Ægidius disp. 34. dub. 8. Glossa in cap. *Si vir*, 2. de Cognatione spirituali, & Raconis tit. 2. de Sacramentis p. 2. art. 4. partem negatiuam tradunt, quod etiam sentit Suarez 3. par. quæst. 67. art. 8. §. pænult. & merito: quia dicta priuatio seu prohibitio petendi, in nullo iure, perseverante in sua viridi obseruantia continetur: quia quamuis id contineatur in can. 1. & 2. 30. quæst. 1. etiam quando cognatio inculpabiliter contrahitur (si in eis est sermo de

24

Durandus.
Ægidius.
Glossa.

Suarez.

cogna-

cognitione superueniente matrimonio, vt impediatur actus coniugalis, vt nos existimamus contra Basilium cap. 6. credentem, in eis tantum esse sermonem de cognitione antecedente matrimonium, & eius valorem impediende) hi tamen canones correcti sunt quoad separationem à toro per can. 4. & 5. 30. quæst. 1. & per alios eiusdem quæst. & per cap. *Si vir.* 2. de Cognitione spirituali, vt statim dicemus: & non solum id in nullo Iure perseverante continetur, sed nec ex aliquo Iure sufficienter deducitur, vt constabit ex expositione canonum qui pro aduersarijs adducuntur.

25 Imò coniuges, siue ambo, siue vnum, quamuis cognitionem spiritualem culpabiliter contrahentes, nullo modo priuari actu coniugali, deducitur in primis ex can. *De eo.* 30. quæst. 1. dum dicitur: *Si autem coniuges legitimi vnus aut ambo ex industria fecerint, vt filium suum de fonte susceperint: si inuupti (id est, continentes) permanere voluerint, bonum est; sin autem, gratis penitentia insidiatori iniungatur, & simul maneant.* Vbi supponitur, quòd quamuis ambo, & de industria id fecerint, possint simul permanere, id est, in eadem domo & toro cohabitare. Deinde idem etiam deducitur ex cap. *Si vir.* 2. de Cognitione spirituali, dum dicitur: *Sine ex ignorantia, siue ex malitia id fecerint, non sunt ab inuicem separandi: quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur; si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari.*

26 Vnde in hoc cap. *Si vir.* & in dicto can. *De eo.* dicti canones 1. & 2. corriguntur, non quoad contractionem cognitionis, sed quoad separationem à toro; quia in eo cap. *Si vir.* & in eo can. *De eo.* statuitur, non impediri ab vsu coniugali, qui ex malitia contrahunt cognitionem spiritualem: quo etiam comprehenduntur, qui scienter absq; fraude eam contrahunt; quia ex fraude eam contrahere, est maius & peius, quàm scienter absque fraude. Et etiam statuitur, non impediri eos, qui eam contrahunt ex ignorantia: quo etiam comprehenduntur, qui ex ignorantia vincibili eam contrahunt; quia ignorantia vincibilis etiam est simpliciter ignorantia, & aliquo modo excusat factum ex ipsa.

Addimus, ex can. *Nosse.* adducto pro aduersarijs, etiam deduci efficaciter, quòd quando vnus solus culpa, & non amborum superueniat cognitio spiritualis, neuter impediatur; quia dicitur quòd quando leuatio non fuit facta vtriusque consensu, non sunt separandi (subintellige quoad torum.) Ex eo autem quod in eo dicatur, quòd si leuatio non fuit facta vtriusque consensu, non sunt separandi, non potest efficaciter deduci, quòd quando fuit vtriusque consensu, separandi sint. Et ex eo quod in can. *Ad limina.* adducto pro aduersarijs, dicatur, quòd qui in necessitate baptizauit filium suum, non sit à coniuge separandus, quia id laudabiliter fecit, non deducitur efficaciter, quòd quando id fecit culpabiliter, separandus sit à toro; aliàs non solum non posset petere, sed nec reddere innocenti. Ex hoc ergo can. *Ad limina.* & ex illo can. *Nosse.* non deducitur efficaciter, quod aduersarij intendunt; quia ad summum id posset deduci à contrario sensu: deductio autem à contrario sensu, in Iure est inefficax (præsertim ad deducendam pœnam, quæ potius est restringenda:) quia Pontifices sæpè sua responsa

limitant, aut eorum rationem aliquam afferunt, non quia, deficiente ea limitatione aut ratione, responsa ipsorum non teneant, & oppositum sit dicendum; sed sua responsa limitant, vt præcisè ad interrogata respondeant, & rationem aliquam afferunt, vt ostendant sua responsa esse certa.

DIFFICULTAS VII.

Utrum actus coniugalis fiat illicitus, quando Matrimonio superuenit affinitas.

Conueniunt Doctores, maritum incestuosum cum consanguinea vxoris, non posse ab vxore petere, vt constat ex cap. 1. de eo qui cognouit consanguineam; teneri tamen reddere petenti, vt constat ex cap. 6. & 10. & 11. eodem titulo. Cui non obstat can. *Qui dormierit.* 27. quæst. 2. dum dicitur, *incestuoso non licere reddere;* quia sensus est, vxori non licere reddere incestuoso, vt pote non petenti petere, ita vt supra particulam *incestuoso* immediatè cadat particula *reddere*, & non particula *licere*. Et idem est, si vxor cognoscat consanguineum mariti, vt non possit petere, & teneatur reddere, vt ostendit Sancius lib. 9. d. 27. Prædicta autem doctrina procedit, quando incestus sit scienter & absque vi, vt constat ex dictis cap. 1. & 6.

Id verò quod addunt Sancius & Basilius cap. 7. nempe, coniugem consentientem incestui, etiam priuari iure petendi, falsum est, vt aduertit Ochagavia tract. 5. quæst. 5. quia id nullo Iure statuitur; & argumentum à contrario sensu, ex quo id inferunt, inefficax est saltem ad inferendam pœnam.

Est tamen difficultas, in quoto gradu consanguinitatis sufficiat, quòd sit persona consanguinea coniugis cognita ab altero coniuge, vt iste alter priuetur iure petendi. Procedit autem post Tridentinum, à quo affinitas dirimens matrimonium contrahendum, orta ex copula fornicaria, fuit restricta vsque ad secundum gradum, quæ Iure antiquo sufficiebat ad id vsque ad quartum.

Angles in Floribus 1. par. de Matrimonio q. 14. de Impedimento affinitatis art. 1. & Paulus Comit. lib. 1. Respons. moral. quæst. 138. docent, incestum habitum cum persona consanguinea coniugis, etiam in quarto gradu, sufficere vt incestuosus priuetur iure petendi; quia Tridentinum affinitatem, ortam ex copula fornicaria, restrictit ad primum & secundum gradum, ad eum tantum effectum, vt non impediat neque dirimat matrimonium, vt Pius V. declarauit; non autem, vt non impediat petitionem debiti; quia hæc distincta est à matrimonio, & huius tantum sit mentio in Tridentino, & non petitionis debiti.

Sancius verò, Henriquez lib. 1. cap. 15. Basilius lib. 7. cap. 33. & communiter Doctores docent, affinitatem incestu contractam vsq; ad secundum tantum gradum, impedire petitionem debiti, quod etiam declarauit Congregatio Cardinalium, & merito: quia affinitas non impedit neq; dirimit matrimonium, nisi ob copulam ad quam ordinatur, quia est indecens inter affines: ergo eo ipso, quòd dicta affinitas restricta est, vt non impediat neque dirimat matrimonium, nisi in primo & secundo gradu, etiam censetur restricta vt non impediat

petitionem copulæ, nisi in eisdem gradibus. Et ob id Disputatione xx. Difficultate v. dicemus, fornicationem cum affini ex copula illicita non esse incestuosam à tertio gradu.

Vnde, quamuis petere debitum, sit distinctum à contractu matrimonij; eo tamen ipso quòd affinitas non obstat contractui, neque obstat petitioni debiti, ob rationem dictam.

DIFFICULTAS VIII.

Vtrum actus coniugalis fiat illicitus voto castitatis emisso.

31 **C**onueniunt communiter Doctores contra paucos quosdam, eum, qui post votum simplex castitatis matrimonium contraxit, & etiam eum, qui post matrimonium contractum, nondum consummatum, emisit votum simplex, non posse petere; quia est omnino liber ad non petendum, & in quantum possit tenetur ad seruandum votum; & ob eandem rationem etiam tenetur non reddere tempore, quo ante consummationem matrimonij est liber ad non reddendum: eo tamen tempore transacto, aut matrimonio iam consummato, teneri ad reddendum alteri petenti, quamuis hic alter conscius voti cum eo contraxerit; quia ex vna parte hic alter per contractum, quamuis ab ipso illicitè contra religionem factum, verè acquirit dominium corporis illius qui castitatem vouit, & ex altera petendo non facit contra votum alterius: qui autem votum castitatis emisit, poterit petere quando alter sit in periculo incontinentiæ iniuriolæ ei qui emisit votum, quia cum tanta iniuria sui non tenetur seruare votum. Cui accedit, quòd ex virtute castitatis tenetur secundariò eam incontinentiam impedire.

32 Est tamen difficultas, An qui post votum castitatis contraxit matrimonium, teneatur ante consummationem ingredi Religionem, quando necessarium sit ad non violandum votum, vt quando alter non vult seruare castitatem.

Richardus. Richardus in 4. dist. 38. art. 7. quæst. 1. Nauarrus cap. 22. num. 73. Petrus Sotus lect. 5. de Matrimonio & Azor lib. 11. cap. 21. quæst. 2. partem affirmatiuam teneant; quia ille tenetur, in quantum possit, seruare votum castitatis emissum, & si Religionem non ingrediatur, tenebitur ad reddendum alteri coniugi, quo violabit votum castitatis.

Sotus. Sotus verò in 4. dist. 38. Sancius lib. 9. disp. 34. Henriquez lib. 12. c. 2. Ægidius disp. 34. dub. 5. & Basilius partem negatiuam tradunt, cui maximè fauet Ioannes XXII. in Extrauag. *Antiqua*, de Voto, dum decernit, initiatum sacris (qui eo ipso emittit votum castitatis, imò solemne) etiamsi initietur post matrimonium ante consummationem, non teneri ingredi Religionem, & meritò: quia est nimis durum, ad eam partem voti castitatis seruandam, nempe ad non reddendum, imò ad totum votum seruandum obligari, ad assumendum medium ita arduum & difficile, & multò difficilius tota re voto promissa, etiamsi quando contrahit memor voti aduertat, non esse aliud medium ad voti impletionem, nisi Religionem ingredi; sicut etiam esset durum, eum, qui vouit breuem peregrinationem, obligari ad illius impletionem, si post votum is qui vouit, quamuis memor

voti, translatus fuisset in remotissimas Prouincias. Et ob prædictam rationem, qui post votum suscipiendi Ordines sacros, contraxit matrimonium, non tenetur ante consummationem Religionem ingredi (vt contra Azor docent Sotus & Sancius) nec qui post matrimonium ante eius consummationem vouit suscipere ordines sacros, nec qui post matrimonium ante eius consummationem vouit castitatem. Qui tamen post matrimonium ante eius consummationem vouit suscipere Ordines sacros, & qui post matrimonium ante eius consummationem vouit castitatem, tenentur ingredi Religionem, si, quando vouent, aduertant se non posse aliter implere votum: quia, qui tunc id aduertit, implicite vouet exequi quod vouet, adhuc illo medio.

Addunt Sotus lib. 7. de Iustitia quæst. 3. art. 1. Sancius disp. 36. Ægidius & plures alij, contra Paludanum & Petrum Sotum, etiam eum, qui post matrimonium consummatum vouit castitatem (quamuis sine consensu alterius coniugis, ob quod tenetur alteri petenti reddere) non posse petere, quod videtur definitum in cap. *Quidam*, 3. & in cap. *Placet*, 12. de Conuersione coniugum. & meritò: quia ille, etiam post matrimonium consummatum, est liber ad non petendum, quia non petendo non præiudicat alteri.

34 **O**bseruandum est Primò, quòd quamuis voto suscipiendi Ordines, facto ante matrimonium, reddatur illicitus contractus matrimonij postea factus, si fiat animo non ingrediendi Religionem, non tamen redditur illicitus actus coniugalis primus, nec petendi; quia qui post tale votum contraxit, non tenetur Religionem ingredi, cui posset ob stare actus primus, quo consummatur matrimonium: & ob eandem rationem, dicto voto facto post matrimonium ante eius consummationem non reddi illicitum actum coniugalem primum, nisi quando vouens tunc aduertebat non posse dictum votum implere, nisi ingrediendo Religionem.

35 **O**bseruandum est Secundò, voto ingrediendi Religionem reddi ipsi vouenti illicitum primum actum coniugalem, quo consummatur matrimonium (nisi sit moralis certitudo, quòd alter coniugum annuet vouenti cooperando ad necessaria, vt vouens possit votum implere;) quia eo primo actu coniugali, quo matrimonium consummatur, vouens redditur impotens ad ingrediendum Religionem, nisi altero coniuge annuente, & ad necessaria cooperante; reliquos verò actus post primum non esse illicitos, quia nullo modo sunt contra dictum votum.

Obseruandum est Tertio, voto non contrahendi matrimonium reddi illicitum ipsum contractum matrimonij, non tamen reddi illicitum actum coniugalem, nec primum, quo consummatur matrimonium, vt contra nonnullos aduertit Sancius; quia consummare matrimonium, non est contrahere, sed præsupponit illud: & idè, qui iurauit contrahere matrimonium, illud integrè implet, quamuis non consummet matrimonium.

DIFFICULTAS IX.

Utrum dubium de valore Matrimonij reddat actum conjugalem illicitum.

SUpponimus, coniugem certum de nullitate matrimonij, non solum non posse petere, sed neque reddere (in quo contra Magistrum in 4. dist. 33. asserentem, eum non posse petere, posse tamen, imò & teneri reddere, conveniunt Doctores, & expressè definitum est in cap. *Inquisitio*. 44. de Sentent. excom.) quia tunc commixtio carnalis esset fornicatio, quæ nullo honestari potest. Quod etiam contra nonnullos verum existimamus, quando coniux est moraliter seu probabiliter certus, absque eo quòd oppositæ partis sit probabilitas: quia qui à tribus fide dignis audiret, se esse consanguineum suæ uxoris in quarto gradu, & oppositæ partis nullam haberet probabilitatem, non posset petere, neque reddere; & tamen non haberet maiorem certitudinem, quam probabilem: imò quando pro qualibet parte contradictionis (nempe pro valore & pro nullitate matrimonij) est probabilis opinio, posse coniugem amplecti opinionem quam voluerit, siue pro valore, ut possit petere, & teneatur reddere; siue pro nullitate, ut nequeat petere, neque reddere (ut generaliter diximus Tractatu de Conscientia) quia quamlibet amplectendo prudenter procedet.

Est tamen difficultas, An coniux non certus, adhuc probabiliter, de nullitate matrimonij, dubius tamen de nullitate aut valore illius, possit uti matrimonio petendo & reddendo. Et procedit, quando est dubius ex credulitate discreta seu probabili, seu ex fundamento prudenti, discreto & probabili ad dubitandum dubio puro, quo anceps manet, neutri parti contradictionis adhuc probabiliter assentiendo: quia dubius ex levi credulitate aut fundamento, potest, eo dubio ad consilium Pastoris aut aliter proposito, petere & reddere.

Circa difficultatem ergo conveniunt Doctores, coniugem dubium de valore sui matrimonij, si mala fide illud contraxit, non posse debitum petere, ut definitur in cap. *Dominus*. 2. de Secundis nuptijs; quia ei, qui mala fide contraxit, non fauet possessio; & quamvis bona fide contraxerit, non posse petere ante prudentem diligentiam ad inveniendam veritatem.

Est tamen difficultas, An possit petere, quando bona fide contraxit, & prudentem diligentiam adhibuit; & an in utroque casu possit & teneatur reddere.

Adrianus. Adrianus in 4. q. 2. de Sponsalibus, & Quodlibeto 2. punct. 2. ad. 2. docet, coniugem dubium de valore matrimonij (intellige etiam bona fide facti, & etiam dubium post prudentem diligentiam) non solum non posse petere, sed neque reddere: quia tam petendo quam reddendo se exponit temerariè periculo faciendi contra castitatem. Cap. autem *Dominus*, cuius ipse mentionem facit, ubi dicitur reddendum esse alteri petenti, exponit quoad forum tantum exterius.

Sotus. Sotus in 4. dist. 37. quæst. 1. artic. ultim. Sancius lib. 2. disp. 41. Ægidius disp. 34. dub. 10. & Lorca 1. 2. disp. 38. docent, coniugem dubium de valore matrimonij bona fide facti, post suffi-

cientem diligentiam in dubio persistentem, non tantum teneri reddere, sed etiam posse petere; quia possessione matrimonij bona fide capta, contractu ipso bona fide facti, ita ius coniugis in corpore alterius perficitur & fortificatur, ut possit eo uti ac si non esset dubium, sicut in quacumque alia materia iustitiæ. Dicta autem duo capp. (nempe *Dominus* & *Inquisitioni*, in quibus dicitur, coniugem dubium non posse petere) exponuntur à Soto & à Lorca de eo qui mala fide contraxit, cui non fauet possessio, utpote malæ fidei, & ideò eum non posse petere, quamvis teneatur reddere alteri qui bona fide contraxit.

Couarruias verò 2. par. de Matrimonio cap. 7. §. 2. Rebellus lib. 2. quæst. 16. sect. 2. Basilius lib. 10. cap. 15. Vasquez 1. 2. d. 66. cap. 4. Montefinus d. 39. q. 4. absolute docent, coniugem dubium teneri reddere alteri bona fide petenti, & non posse ab eo petere, siue dubius & mala fide contraxerit, ut definitur in dicto cap. *Dominus*. siue bona, & absque dubio, ut significatur in dicto cap. *Inquisitione*; dum in eo id definitur absolute, & absque vlla limitatione, etiam in dubio, tam ante sufficientem diligentiam, quam postea.

Essè autem in dictis capp. sermonè in foro interiori conscientie, patet: quia in cap. *Inquisitioni*. Innocentius loquitur de dubio quod pulsat conscientiam, & de dubio quod remittit examinandum proprio Pastori: & in eodem cap. exponitur, quid dubitans facere teneatur, non quid Iudices debeant decernere. In cap. *Dominus*. loquitur Lucius III. ad captivos Christianos, habitantes inter Sarracenos, pro pace conscientie, & non ad Iudices; & in eo respondet, quid ipsi dubitantes facere teneantur. Quòd verò id definiatur, siue dubius contraxerit mala fide siue bona, constat, quia in cap. *Dominus*. id definitur de eo qui dubius & mala fide contraxit: & in cap. *Inquisitioni*. id definitur absque vlla limitatione & distinctione. Et quòd id definiatur, quamvis perseveret dubium post sufficientem diligentiam, constat ex ipsis duobus capp. præsertim ex cap. *Inquisitioni*.

Ratio autem nostræ conclusionis est, quia in dubijs tutior pars est eligenda: sed coniugi dubio (siue bona siue mala fide contraxerit, & siue sit dubius ante sufficientem diligentiam, siue etiam postea) tutius est non petere, quia petendo se exponit temerariè periculo peccandi contra castitatem; & eidem coniugi tutius est reddere petenti bona fide, quam non reddere; quia non reddendo se exponit periculo iniustitiæ contra ius coniugis petentis, & reddendo tantum se exponit periculo fornicationis contra castitatem, quæ est minus peccatum quam dictam iniustitiæ, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 38. art. 12. quia hoc opponitur meliori virtuti, nempe iustitiæ, & non minus obliganti quam castitas, cui opponitur fornicatio: ergo coniux in dicto dubio non potest petere, tenetur tamen reddere. Ex quo constat ad rationem Adriani.

Tenetur autem dictus coniux reddere, quamvis dubius sit de valore matrimonij, ex eo, quòd dubitet an prior coniux viuat, ut constat ex cap. *Dominus*, quia etiam tunc est tutius reddere: quia reddendo, tantum se exponit periculo fornicationis, & non iniustitiæ contra priorem coniugem, quamvis fortè viuat; quia periculum iniustitiæ contra eum extinguitur possessione posterioris coniugis,

Couarru.
Rebellus.
Basilius.
Vasquez.
Montefin.

40

41

S. Thomas.

39
Sotus.
Sancius.
Ægidius.
Lorca.

coniugis, quia eâ ius posterioris fit fortius, & eâdem extinguitur periculû incestus contra con- sanguineum, quando est dubius de valore matri- monij; quia dubitat an sit impedimentum con- sanguinitatis, si irreuerentia facta consanguineo accessu ad ipsum est strictè contra iustitiam. Et quamuis dictum periculum non extinguatur pos- sessione posterioris, si non sit contra iustitiam ltri- ctè, sed tantùm contra pietatem, partem potesta- tiam iustitiæ, etiam tenetur reddere; quia sola ini- iustitia non reddendi, est maius peccatum quàm fornicatio incestuosa, habens duplicem malitiam, vt docet Montefinus num. 31.

Montefin.
Vasquez.

Addimus (vt optimè Vasquez num. 28.) etiam teneri reddere, quamuis sit dubius de valore matri- monij, quia dubitat an contraxerit cum manci- pio, ignorata seruitute: quia ex vna parte non red- dendo, se exponit periculo iniustitiæ contra man- cipium; & ex altera, reddendo, nullum patitur de- trimentum, quo excusari possit à reddendo; quia ex eo, quòd accedat ad mancipium affectu mari- tali, vt tenetur accedere, non reualidat matrimo- nium præcedens, quia non accedit intendendò de nouo contrahere, si fortè fuit nullum, quod erat necessarium ad reualidationem, sed tantùm acce- dit vt soluat debitum, si fortè debeat, ne se expo- nat periculo iniustitiæ.

43

Addidimus in conclusione, coniugem dubium teneri reddere alteri bona fide seu absque dubio petenti, quia si alter etiam sit dubius, quamuis abs- que dubio & bona fide contraxerit, non est ei red- dendum, etiam post sufficientem diligentiam, ne reddens ei cooperetur ad peccatum fornicationis; quia etiam ille alter tunc, vtpote dubius, nequit li- citè petere, ob periculum fornicationis, quod non extinguit possessio; cum hæc tantùm faueat, effi- ciendo ius iustitiæ possidentis melius & fortius, ac proinde tantùm extinguat periculum contra iustitiam, non contra alias virtutes: ob quod in alijs materijs iustitiæ distinctis à præsentis, possessio etiam fauet ad vsum; quia in eis non est nisi peri- culum iniustitiæ, in præsentis verò materia matri- monij non fauet absolutè quoad vsum, quia in hoc vsu est etiam periculum contra castitatem, sed tan- tum fauet ne fiat expoliatio dominij in corpore al- terius. Ex quo constat ad rationè Scoti & aliorum.

44

Ægidius.

Obseruandum est (vt optimè Ægidius n. 101.) dictum coniugem dubium, si speret posse verita- tem inuenire, teneri illam inquirere antequam sit occasio in qua alter petat, ne se exponat periculo reddendi: imò (vt optimè Vasquez num. 33.) quando alter petit ante sufficientem inquisitionem factam à coniuge dubio, iste dubius tenetur ei re- uelare dubitationem (si credat reuelationem pro- futuram, & non nocituram) vt interim, dum in- quiritur veritas, non petat; quòd si, quamuis ad- monitus, petat, ei reddendum est, dum non constet admonitione mansisse dubium.

Vasquez.

Id autem, quod diximus, coniugem dubium non posse petere singulariter, deficit, quando du- bium valoris matrimonij oritur ex dubio impedi- menti impotentia: quia tunc potest petere, vt ad- uertunt Vasquez, Montefinus, Lorca & Basilius, & supponitur in cap. *Laudabilem*. 5. de Frigidis; quia in dubio impotentia vnusquisque habet ius ad inquirendum de impotentia; diligentia autem ad inquirendum an sit impotentia, est ipsa experi- entia, & vsus coniugalis: & ideò dubitantibus,

Vasquez.
Montefin.
Lorca.
Basilius.

quamuis ambobus, conceditur in dicto cap. trien- nium, vt in eo possint matrimonio vtique quousque veritatem inueniant.

DIFFICULTAS X.

Vtrum tactus turpes inter coniuges sint liciti.

Conueniunt Doctores, tactus turpes in con- iugibus esse illicitos, imò mortales, quando est periculum effusionis seminis extra vas, si absq; vrgenti necessitate fiant. Ita Sancius lib. 9. disp. 45. Ægidius disp. 34. dub. vlt. Rebellus lib. 3. q. 19. Vasquez 1. 2. disp. 115. cap. 2. eo tamen periculo cessante, quamuis sint in partibus inhonestis, esse licitos, quando fiunt ob copulam coniugalem, in quam suapte natura ordinantur: quia licitum est iuuare naturam ad actum rationi consonum me- dijs suâ naturâ ordinatis ad illum; quod (vt ad- uertunt Sancius & Ægidius) etiam est verum, quando fiunt ob quemlibet alium finem hone- stum, vt ad sedandam tentationem carnis, aut ad ostendendum amorem erga alterum coniugem.

Sancius.
Ægidius.
Rebellus.
Vasquez.

45

Dissentiunt tamen Doctores, an, quando dicti tactus in coniugibus fiunt tantùm ob capiendam libidinem, seu voluptatem veneream in ipsis repertam, sint mortales: supponunt enim, ad minus esse veniales, & etiam voluptatem ipsam. Vtrum- que tamen est difficile, quando voluptas non est nimia.

46

Antoninus ergo 3. par. tract. 1. cap. 20. Siluester v. *Debitum*. quæst. 9. & Margarita Confess. 6. Præcepto, casu 7. docent, esse mortales, quia sunt actus libidinosi seu venerei, & non referuntur in copulam coniugalem, in quam sua natura ordinatur.

Antonin.
Siluester.
Margarita
Confess.

Sancius verò, Vasquez, Rebellus & Ægidius docent, non esse mortales, & meritò: quia libido in dictis tactibus reperta, non quæritur omnino extra matrimonium, sed in ipso, quia quæritur in tactibus suâ naturâ ordinatis ad copulam coniugalem; ac proinde sicut matrimonium excusat li- bidinem quæsitam in copula, saltè à mortali; ita etiam excusabit saltè à mortali libidinem in di- ctis tactibus quæsitam, vtpote coniugalem.

Sancius.
Vasquez.
Rebellus.
Ægidius.

Quod etiam Sancius existimat verum, quamuis in eis sit probabile periculum alterationis in mem- bris pudendis, imò & destillationis (quæ est effu- sio cuiusdam humoris aquei similis semini;) quia dicta alteratio & destillatio oriuntur naturaliter ex tactibus licitis, aut non mortalibus. Imò idem Sancius & etiam Ochagauia tract. 5. quæst. 12. excusant à mortali tactum, quo coniux etiam in absentia alterius tangit libidinosè sua membra pu- denda, quamuis commouenda & alteranda, quan- do non est probabile periculum effusionis seminis futuræ extra vas; quia etiam illi tactus suâ naturâ ordinantur ad actum coniugalem, quamuis actu non referantur ad illum.

47
Sancius.

Sancius.
Ochagauia.

Delectatio quoque libidinosa seu venerea in coniugatis, extra copulam habita de copula, aut præterita aut futura cogitata vt præsentis, non est mortalis, etiam in absentia coniugis, quando non est probabile periculum pollutionis, vt contra Nauarrum & alios docent Sancius, Vasquez, Ægi- dius, & communiter Doctores, quia est coniugalis, vtpote habita constante matrimonio, & de actu coniugali, quod Vasquez & Sancius existi- mant. Verum, etiam si sit periculum commotionis

Sancius.
Vasquez.
Ægidius.

& alterationis in membris pudendis, quia tunc alteratio oritur naturaliter ex delectatione licita, aut non mortali; & addit Sancius id esse verum, quamuis sit periculum destillationis.

Sancius.

48

In sponsis verò de futuro non tantum delectatio libidinosa de actu coniugali futuro considerato vt presenti, est mortalis (vt contra nonnullos diximus in Tractatu de Peccatis) sed etiam tactus libidinosi, quamuis tantum fiant ob voluptatem in ipsis repertam, sunt mortales (vt contra Sancium disp. 46. Tolerum, Valentiam, P. Sà, & Nauarrum docent Rebellus l. 3. q. 19. & plures alij) quia ex vna parte grauius opponuntur castitati, & ex altera nondum est matrimonium, quo possint excusari, quia sponsalibus excusari non possunt; quia sponsalia, quamuis sint inchoatio quaedam matrimonij, & prædicti tactus tantum sunt inchoatio quaedam copulæ coniugalis, non sufficiunt ad eos excusandos: quia inchoatio contractus non sufficit ad excusandum vsum rei de qua est contractus, quamuis solum inchoatum & imperfectum; quia quousque contractus est perfectus, non traditur dominium rei: qui autem nondum est dominus rei, nullatenus, adhuc imperfectè, potest ea vti, vtpote adhuc aliena, quamuis iam sibi promissa.

Rebellus.

DIFFICULTAS XI.

Quomodo coniuges obligentur ad actum seu vsum coniugalem.

49

Conueniunt Primò Doctores, coniugem per se non teneri petere debitum coniugale, quia nemo tenetur vti iure suo. Addimus, *per se*; quia per accidens aliquando tenetur, tunc scilicet, quando prudenter credit imminere alteri periculum incontinentiæ, quod petendo possit auertere, vt docent Sancius l. 9. disp. 2. & Ægidius disp. 34. dub. 2. ad id tamen non tenetur ex iustitia erga alterum, vt contra Petrum de Ledesma docent Sancius & Ægidius, quia matrimonio non obligatur ad cogendum alterum vt vtatur matrimonio; tenetur verò ex castitate non primariò, sed secundariò, quia hæc (sicut quæcumque alia virtus) obligat ad impediendum in alijs peccatum contra illam: & etiam ob eandem rationem tenetur secundariò ex iustitia erga se ipsum, quando actus incontinentiæ, quem timet in altero, est contra iustitiam erga se ipsum. Et ob dictam rationem existimamus, correctionem fraternam esse actum illius virtutis, contra quam futurum est peccatum, quod correctione ipsa impedire conamur.

Sancius.
Ægidius.

50

Conueniunt Secundò, coniugem teneri reddere debitum alteri coniugi petenti tamquam debitum, siue expressè siue interpretatiuè petat (quod intellige, si moderatè petat, & nisi petens precibus alterius aut aliter à petendo desistat) quod exprimit Paulus 1. ad Corinthios 7. *Vxori vir debitum reddat, & vxor viro.* Et ratione constat, quia coniux habet ius seu potestatem in corpore alterius, & econtrà, in ordine ad vsum coniugalem, vt etiam exprimit Paulus vbi suprà, & constat ex natura ipsa contractus matrimonij: ergo in vtroque est obligatio reddendi alteri exigenti, quia iuri in vno correspondet obligatio in altero.

Addimus Primò, alteri petenti tamquam debitum, quia si sic non petat, sed tantum beneuolè & amicè, vt res aliàs debitas solemus ab amicis petere, non animo obligandi, tunc non est obligatio reddendi, vt aduertit Rebellus lib. 2. quæst. 16. Rebellus.

51

sect. 1. Addimus Secundò, alteri petenti siue expressè siue interpretatiuè, quia verè petenti tamquam debitum, quamuis tantum interpretatiuè (vt aliquibus signis) reddendum est necessariò, præsertim femina, vt docent communiter Doctores. Quod addimus, quia viro non exigenti expressè, regulariter non est obligatio reddendi; quia viros, qui volunt sibi debitum reddi, regulariter non pudet expressè exigere. Addimus Tertiò, si moderatè petat, quia, vt aduertit Ægidius, ex matrimonio non oritur obligatio ad importunam & immoderatam redditionem.

Tenetur autem coniux alteri copulam exigenti reddere sub mortali, quia copula est res grauis; erit tamen solum veniale, quando non sapè, sed vna aut altera vice negatur, & quando negatur exigenti remisè, & quando non tam negatur redditio, quam pro paruo tempore differtur, vt quando exigenti manè redditur nocte, & quando exigenti nocte redditur manè.

Ex dictis deducimus, coniuges teneri ad mutuam cohabitationem, & neutrum posse ab altero inuito diu absque necessitate abesse, v.g. longè peregrinando; quia id est, se pro longo tempore impotentem constituere ad reddendum debitum, quod absque necessitate efficere, est contra ius alterius. Et ob eandem rationem vix nequit, vxore inuita, adhuc penitentijs se efficere notabiliter impotentem ad reddendum, quod Sancius disp. 3. & Basilius extendunt ad ieiunia quæ sunt sub præcepto; quia obligatio iustitiæ, qua vir tenetur præferenda sit dicto præcepto.

52

Addimus (vt optimè Sancius, Caietanus v. *Ieiunium.* Armilla num. 4. Nauarrus cap. 21. num. 16. Ledesma par. 2. Quartus, quæst. 16. art. 2. dub. 7. Sà v. *Ieiunium.* num. 9.) vxorem excusari à ieiunio Ecclesiastico, si ieiunando redditur ita pallida aut deformis, vt ob id non satis placeat viro, & ab eo minus ametur quam par sit: quia defectus amoris viri erga vxorem, vtpote valde necessarij ad pacificè traducendam vitam, est feminae damnum non leue, cum quo non tenetur ad obseruationem huius præcepti Ecclesiastici.

Sancius.
Caietanus.
Armilla.
Nauarrus.
Ledesma.
Sà

DIFFICULTAS XII.

Quibus excusetur coniux à redditione debiti.

Conueniunt Primò Doctores, coniugem excusari ab obligatione reddendi, quando ipsi ex redditione imminet probabile periculum damni notabilis in salute corporali. Ita Sancius lib. 9. d. 24. & Ægidius disp. 34. dub. 3. quia rectus ordo naturæ exigit, vt priùs consulatur incolumitati proprij indiuidui, quam generationi prolis. Quod verum est, etiam si exigenti immineat periculum incontinentiæ, vt contra nonnullos aduertunt Sancius & Ægidius, quia cum tanto detrimento non tenetur vitare peccatum alterius. Id quoque verum est, quamuis dictum periculum damni corporalis immineat ex morbo alterius valde diuturno & perpetuo, vt ex lepra, aut ex morbo Gallico,

53

Sancius.
Ægidius.
Sancius.
Ægidius.

Gallico,

Sancius.
Ægidius.

Gallico, vt contra non paucos docent Sancius & Ægidius, quia quamuis licitè possit reddere, non tamen ad id obligatur cum tanto detrimento, nisi quando ante matrimonium præcedit morbus, & cognoscitur à sano, quia tunc eo ipso quod contrahit matrimonium, censetur obligari ad reddendum, non obstante eo periculo. Et in hoc casu est verum, quod dicitur in cap. 2. de Coniugio leproforum, nempe sanum teneri ad reddendum coniugi leproso; & etiam quando lepra aduenit aut cognoscitur post matrimonium, quando ex redditione non imminet sano infectio, vt sæpè potest contingere, quod non imminet ex vno aut ex altero coitu.

54

Sancius.
Ægidius.

Conueniunt Secundò Doctores, coniugem non excusari ab obligatione reddendi, ex eo quod plures filij nascantur. Ita Sancius disp. 29. & Ægidius vbi supra; quia cum matrimonium ordinetur ad multiplicationem proles, absurdum est, ab eius obligatione excusari ne proles multiplicetur; excusabitur tamen saltem à mortali, quando non existente periculo incontinentiæ in altero, parentes non sufficiunt ad tot filios alendos, vt contra Rebellum lib. 2. quæst. 16. sect. 1. & Ægidium vbi supra, docent Sancius & alij; quia mirum non est, incommoditatem magnam alendi filios eximere ab obligatione reddendi debitum; sicut etiam incommoditas magna restituendi, eximit ab obligatione restituendi.

Sancius.

55

Est tamen difficultas, An coniux excusetur à reddendo ratione amentia coniugis exigentis, etiam quando ei potest licitè reddi, iuxta ea quæ diximus Difficultate 111.

Nauarrus.
Vera-cruz.

Nauarrus cap. 26. num. 27. & Vera-cruz 1. par. Speculi art. 41. docent, non excusari: quia coniux, adhuc amens, retinet dominium in corpore alterius. Sancius verò lib. 9. disp. 22. & Ægidius disp. 34. dub. 9. docent, excusari, & merito: quia quamuis amens retineat dominium, dominio tamen & Iuri naturali matrimonij tantum correspondet obligatio reddendi ei qui exigit vt homo est (quia exigenti dormienti non est reddendum) amens autem non exigit vt homo. Erit tamen obligatio, si ex defectu redditionis accessurus sit ad aliam, aut se polluturus sit; quia ratio exigit, vt valdè egenti debito, sibi reddatur, quamuis non petat vt homo, quia non potest.

Sancius.
Ægidius.

Quomodo verò coniux adulterio alterius excusetur à reddendo, imò aliquando impediatur, dicemus Disputatione XI.

DIFFICULTAS XIII.

Vtrum coniugi illicitè petenti possit reddi.

Supponimus, quando exigenti est actus coniugalis licitus, ei esse reddendum; in quo nulla est difficultas, sed tantum quando ei est illicitus.

56

Circa quam conueniunt Doctores, quando actus coniugalis, qui exigitur, est illicitus exigenti ratione alicuius circumstantiæ, se tenentis immediatè ex parte ipsius actus, vt quando exigitur cum periculo abortus, tunc sic illicitè exigenti, id est exigenti actum illicitum, non posse licitè reddi; quia tunc actus coniugalis, qui exigitur, est absolute & ratione sui illicitus; ac proinde illicitus exigenti & alteri, & ideo iste alter nequit reddere, sicut neque alter exigere.

Est tamen difficultas, An quando actus coniugalis est illicitus exigenti ratione alicuius circumstantiæ ipsius exigentis, vt ratione finis mali ab ipso intenti, aut ratione voti castitatis ab ipso emissi, possit ipsi reddi.

Sancius lib. 9. disp. 6. & Ægidius disp. 34. dub. 4. docent, tunc ei reddi posse; quia tunc actus tantum est illicitus exigenti, non alteri reddenti; ergo poterit à reddente licitè exerceri. Alij verò econtrà docent, non posse licitè reddi; quia tunc reddens cooperatur peccato exigentis.

57

Sancius.
Ægidius.

Nos tamen (vt optimè Basilius lib. 9. cap. 3.) existimamus, quando exigens illicitè, exigit illicitè ratione alicuius quod iam, quando illicitè exigitur, non subest libertati exigentis, vt se possit ab eo liberare, vt quando exigit illicitè quia antea emisit votum, aut quia antea contraxit affinitatem cum coniuge, quia cognouit personam consanguineam coniugis, sic illicitè exigenti nõ posse licitè reddi; quia id esset cooperari actui, qui iam exigenti non potest non esse peccatum: illicitè verò exigenti ratione alicuius, quod, quando exigitur, subest libertati exigentis, vt ratione finis intenti, aut defectu finis qui debuit apponi, posse licitè reddi; quia id non est cooperari intentioni finis, aut defectui intentionis debitæ, sed actui, quem exigens adhuc post petitionem potest efficere bonum; & alter reddendo non inducit seu scandalizat actiue, sed exigens scandalizatur passiuè; ob quod non sunt dimittenda quæ aliàs sunt sub præcepto, qualis est redditio debiti coniugalis.

58



DISPUTATIO XI.

De Diuortio.

DE Diuortio, sumpto pro dissolutione matrimonij quoad vinculum, quod repudium appellatur, diximus Disputat. viii. In præfenti verò Disputatione agimus de diuortio sumpto pro separatione coniugum quoad torum & cohabitationem, vinculo ipso perseverante.

DIFFICULTAS I.

Vtrum vnus coniux ob adulterium alterius possit ab eo separari quoad vinculum.

ERror fuit quorundam Græcorum (in quo etiam sunt hæretici nostri temporis, & in quo etiam nonnulli Catholici fuerunt) coniugem ob adulterium alterius posse matrimonium quoad vinculum dissoluere, & aliud inire. Quod supponere videtur Christus Matth. 19. dum ait: *Quicumque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur; & qui dimissam duxerit, mæchatur.* vbi supponere videtur, ob adulterium posse vxorē dimitti, & aliam duci; quia particula *nisi* est exceptiua, & exceptiue sumitur, quia aliis causis exclusis vt insufficientibus ad id, admittitur fornicatio vt sufficiens. Quod autem exceptiue sumatur, satis deducitur ex Matth. 5. vbi similis sententia habetur cum exceptione fornicationis, his verbis: *Qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mæchari, & qui dimissam duxerit, adulterat.*

Veritas tamen Catholica est, coniugem ob adulterium alterius non posse ab eo quoad vinculum separari. Ita definitur ab Alexandro III. in c. *Ex parte. 9.* de Sponsalibus, & in Concilio Florentino in Instructione Armenorum, & in Tridentino sess. 24. can. 7. quod etiam Ecclesia perpetuo sensit ac tenuit, vt ostendit Bellarminus 1. de Matrimonio. c. 16. & deducitur ex Paulo 1. ad Cor. 7. dum ait: *Præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere. quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* vbi (vt aduertit Augustinus 1. de Adulterinis coniugiis, à cap. 1.) Paulus in prioribus verbis, quando ait, *uxorem à viro non discedere*, loquitur de discessione absque iusta causa, quam Christus Matth. 19. dixit esse fornicationem, & non aliam; in posterioribus verò, quando ait, *quod si discesserit*, loquitur de discessione iusta ob fornicationem, aliàs non daret optionem vxori, vt post discessionem vel maneret innupta, vel viro suo reconciliaretur; sed potius iuxta dictum Domini præceptum cogeret, vt ad virum iniuste relictum rediret: ergo si vxor à viro adultero discedens debet esse innupta, matrimonium non dissoluitur per adulterium.

Quod etiam ratione probatur: quia ex vna parte matrimonium ex sua natura est indissolubile, & ex altera concessio diuina Deut. 24. qua à Iudæis dissolui poterat libello repudij, iam cessauit, non solum quia morte Christi generaliter tota lex diuina positua cessauit, sed etiam quia specialiter concessio illa fuit à Christo in totum reuocata Matth. 19. vt definitum est in cap. *Gaudemus. 8.* de Diuortijs, & constat ex contextu. Et

quamuis in Pontifice sit specialis & extraordinaria facultas, ex commissione Christi, ad dissoluenda matrimonia rata baptizatorum ex rationabili causa; de facto tamen non decreuit ea per adulterium dissolui, neque expediebat; ergo absque fundamento, & contra naturam matrimonij dicitur, posse de facto ob adulterium dissolui.

In eo autem testimonio Matth. 19. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur; & qui dimissam duxerit, mæchatur*, ab aduersariis adducto, quamuis particula *nisi* exceptiue sumatur, non supponitur, posse dissolui matrimonium ob adulterium; quia particula *nisi* tantum refertur & cadit supra verba præcedentia, in quibus tantum est sermo de dimissione quoad torum & cohabitationem: nempe *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem*; & significatur non posse iuste fieri in perpetuum, nisi ob fornicationem; & ideo qui absque causa fornicationis dimittit uxorem in perpetuum, dicitur mæchari, id est, facere vxorem mæchari, vt dicitur Matth. 5. quia ea dimissione est vxori occasio adulterandi, quod marito imputatur, quia iniuste dimittit eam in perpetuum. Nihilominus Pharisæis interrogantibus de dimissione quoad vinculum, respondet negatiue posterioribus verbis eiusdem testimonij: quia dimissio quoad vinculum includit dimissionem quoad torum & cohabitationem, & potestatem ineundi aliud matrimonium; & Christus Dominus vnum ab alio se iungens, prius concessit ex causa fornicationis, & posterius, nempe potestatem ineundi aliud, negauit absolute, & absque limitatione, ita vt sensus sit: quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur, & quia eam in perpetuum dimittit iniuste, quo ei præbet occasionem adulterandi, & quia aliam ducit consummate.

DIFFICULTAS II.

Vtrum ob adulterium possit fieri Diuortium quoad torum & cohabitationem.

Conueniunt Doctores, maritum ob adulterium vxoris posse eam dimittere à suo toro & cohabitatione, vt constat ex Matth. 5. & 19. & ex cap. *Significasti. 4.* & ex cap. *Ex litteris. 5.* & ex cap. *Gaudemus. 8.* de Diuortijs. Hæc autem facultas & licentia dimittendi vxorem ob adulterium, conuenit ei Iure naturali seu ex natura matrimonij, supposito adulterio (vt contra Castro 2. de Lege pœnali, cap. 4. dicentem, ei tantum conuenire Iure diuino posituo, aduertunt Sancius libro 10. disp. 3. Henriquez lib. 11. cap. 18. Aegidius disp. 35. dub. 1. & Basilius lib. 9. c. 16.) quia frangenti fidem, vt frangit adulter, non est seruanda fides.

Et ob hanc rationem etiam vxor potest separari à marito adultero, vt contra Caietanum super c. 19. Matthæi docent reliqui Doctores, & expressisse videtur Paulus 1. ad Cor. 7. dum ait: *His, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere* (subintellige, absque iusta causa) *quod si discesserit* (subintellige, ex

causa iusta) manere innuptam, aut vero suo reconciliari. vbi supponit Paulus, vxorem posse iuste à marito discedere, cum non cogat vxorem, quæ à marito discessit, ad eum redire, inò ei optionem concedat aut redeundi, aut continenter viuendi. Quòd si potest ob causam aliquam iustam discedere, absque dubio poterit ob adulterium, quo ipsi frangitur fides matrimonij: vxor enim & maritus pares sunt quoad obligationem seruandi fidem.

7 Et ob eandem rationem coniux potest ab altero discedere, quoad torum & cohabitationem, ob sodomitiam aut bestialitatem (vt contra Abulensem & Palacios docent Sancius lib. 10. disp. 4. & communiter Doctores) quia per sodomitiam aut bestialitatem non minus frangitur fides coniugi, quam per copulam naturalem.

Sancius.

Per tactus verò impudicos nequit coniux ab altero separari, vt contra nonnullos docent Sancius, Aegidius & Basilius, quia durum est, vt ob iniuriam & infidelitatem imperfectam & incompletam (qualis fit per tactus) sic iniuriatus, censeatur exemptus à multò maiori debito, quale est cohabitandi & reddendi perfectam copulam; sed ad summum, à simili debito quoad tactus, quibus iniuriatus est.

Sancius.
Aegidius.
Basilius.

8 Et ob hanc rationem, vt Sancius aduertit nu. 3. copula siue naturalis siue sodomitica, absque seminis intromissione, non videtur sufficiens ad diuortium; quia absque ea non est completa iniuria; bene tamen immisso feminis intra vas, etiam absque copula, si absque ea fieri possit; quia esset iniuria completa, vt pote sufficiens ad consummandum matrimonium, & vt coniuges fiant vna caro.

Sancius.

DIFFICULTAS III.

In quibus casibus adulterium non sufficiat ad Diuortium.

9 Conueniunt Primò Doctores, adulterium non sufficere ad diuortium, quando ab utroque coniuge commissum est, vt constat ex c. Significasti. 4. de Diuortijs, quia iniuria vni facta, compensatur iniurià ab eo alteri facta, & e contra, quoad auferendum ius discedendi. Quòd verò vnus vnum tantum commiserit, & alter plura, non sufficit, vt qui vnum tantum commisit, possit diuertere ab altero (vt contra quosdam recentiores aduertunt Sancius lib. 10. disp. 6. & Aegidius disp. 35. nu. 12.) siue qui plura commisit, ea commiserit post alterum, siue ante illum: quia pares sunt quoad hoc, quod est esse infideles, & dedisse causam sufficientem ad diuortium; ac proinde causa & infidelitas vnus, etiam qui pluries adulterauit, compensatur causa & infidelitate alterius, etiam qui semel tantum. Et ob eandem rationem, quòd vnus secreto adulterauerit, & alter publicè, non sufficit, vt qui secreto, possit à publico adultero diuertere; quia æquales sunt quoad hoc, quod est esse fidei fractores, & dedisse causam sufficientem diuortij.

Sancius.
Aegidius.

10 Quòd autem vnus sit emendatus, & alter persistat in adulterando, non sufficit vt emendatus possit diuertere ab eo altero (vt contra Antoninum & Paludanum docent Petrus Ledesma q. 62. art. 1. dub. 2. & Basilius lib. 9. cap. 17.) quia emendatio non extinguit iniuriam alteri illatam, ac proinde manet dignus vt ei nunquam seruetur fides. Quòd etiam est verum (vt contra Sancium

Petrus
Ledesma.
Basilius.

& Aegidium aduertit Basilius) quamuis emendatus admonet, seu inducat alterum ad emendationem & ad reconciliationem; quia ea inuitatione non extinguitur iniuria inuitato illata; quia ea inuitatio seu inductio non est satisfactio pro illa.

Basilius.

Observandum tamen est Primò (in quo conueniunt Doctores) quòd si post adulterium vtriusque, aut vnus tantum, ipsi reconcilientur, quicumque ex illis, qui post reconciliationem adulteret, potest ab altero dimitti; quia adulterium post reconciliationem commissum nequit dicta præterita iniurià, vt pote per reconciliationem remissa, compensari.

Observandum est Secundò, quòd si innocens post factum diuortium adulteret, tenetur alterum iterum admittere, vt contra Sancium disp. 9. Rebellum lib. 2. quest. 18. docent Antoninus 3. part. tit. 1. c. 11. & Aegidius dub. 2. quia iniuria sibi facta sufficienter compensatur per adulterium postea à se commissum contra alterum; quod verum est, quamuis diuortium factum fuerit sententiâ Iudicis, & quæ transierit in rem iudicatam; quia etiam post sententiam innocens adulterando infert iniuriam coniugi dimisso, qua iniuria ipsi innocenti facta à dimisso compensatur, & consequenter ius antea innocentis persistendi absque altero cessat; innocens enim sententiâ illâ non acquirit ius adulterandi, sed declaratum fuit quòd habebat ius diuertendi ab adultero.

Antonin.
Aegidius.

Secundò conueniunt Doctores, adulterium vxoris non sufficere ad diuortium, quando à viro prostituitur ad id, vt constat ex c. Discretionem. 5. de Eo qui cognouit consanguineam, quod verum est, quamuis vxor non coacta, sed consentiens prostituitur à marito, vt contra Richardum & Alensem docent Sancius, Aegidius, Basilius, & communiter Doctores, & deducitur ex dicto c. Discretionem, dum additur, præsertim inuitam; quia eo addito supponitur, id etiam esse verum, quando non prostituitur inuita: idè autem, quando maritus est causa fornicationis vxoris, aut in eam consentit, nequit ab vxore diuertere, non quia tunc vxor non inferat iniuriam marito (quia verè ei, quamuis consentienti, infert, quia coniux nequit cedere iuri quod habet vt alter nõ fornicetur, quia ius hoc non habet absolutè, sicut habet in aliis materiis, sed in fauorem generationis, cui posituè nocet fornicatio cum alio) sed quia æquum non est, vt obiciat vxori adulterium factum consensu ipsius, & vt ob id debitum neget. Censetur autem consentire, quoties potens prohibere non prohibet, si non habeat iustam causam ad non prohibendum; non tamen censetur consentire, aut esse causa adulterij vxoris, quamuis ei occasionem remotam tribuat, negando videlicet debitum, aut ei necessaria, aut eam à domo eiciendo, si non efficiat ex intentione quòd adulteret, vt deducitur ex c. Significasti. 4. de Diuortijs, & docent communiter Doctores. Et ob dictam rationem vxor, quæ maritum inducit ad adulterium, & in id consentit, nequit ab eo diuertere; quia scilicet æquum non est, vt tunc obiciat adulterium marito, & ob id ei debitum neget.

11

Sancius.
Aegidius.
Basilius.

12

Tertiò conueniunt Doctores, coniugem non posse ab altero coniuge adultero separari, quando adulter verè excusatur à culpa adulterij, vt quando adulter bona fide credens coniugem obuisse, fornicatur; aut quando bona fide accedit ad alienum,

13

num, existimans esse proprium, & quando omnino coactè opprimatur ab alieno: quia tunc nullam formalem iniuriam infert, neq; committit formale adulterium. Addidimus in ultimo casu, omnino coactè; quia si nō omnino coactè opprimatur, quamuis cogatur metu graui, potest à coniuge dimitti, vt contra Sikestrum, Rosellam & Armillam docent Sancius disp. 5. Aegidius & Rebellus, quia nullo metu excusatur à culpa adulterij.

Quarto conueniunt Doctores, coniugem non posse ob adulterium discedere ab adultero, quando ei remisit iniuriam, quia remissione cedit iuri suo discedendi, quæ fieri potest aut expressè, vt quando expressè affirmat se remittere; aut tacitè, vt quando coniux conscius adulterij, liberè accedit ad adulterum; quia tunc accessus videtur sufficiens signum externum remissionis. Quod si accedat ignarus adulterij, aut non omnino liberè, sed causâ redimendâ alicuius vexationis, non censetur remittere, quia tunc accessus non est sufficiens signum remissionis.

DIFFICULTAS IV.

Vtrum maritus teneatur dimittere uxorem adulterantem, & persistentem in adulterando.

14 **S**upponimus, maritum non teneri deserere uxorem adulteram iam emendatam: quærimus tamen, An teneatur, quando non est emendata, sed in adulterando persistit.

Non pauci neque indocti existimant, ad id teneri (imò ad id teneri sub mortali, expriment Petrus Ledesma q. 62. ar. 2. concl. 2. & Ouandus in 4. distinct. 35. q. vnic.) quod exprimi videtur in c. Si vir. 3. de Adulteriis. dum dicitur: *Si vir sciens uxorem suam deliquisse, & in fornicatione permanere, cum ea viuat, reus erit, & peccati pariceps.* & deduci videtur ex illo Prouerb. 18. *Qui autem tenet adulteram, stultus est, & insipiens.*

Sancius verò lib. 10. disp. 13. & Aegidius disp. 35. dub. 3. docent, maritum non teneri (nisi forsân rarissimè) quamuis vxor persistat in publicè adulterando, & meritò: quia non tenetur ratione adulterij, quia id potest ei remittere, vt dicitur in c. *Quæ admodum.* 25. de Iureiurando; neque ratione correctionis fraternæ, quia huic obligationi satisfaciens, eam admonendo, & moderatè prout potest puniendo: quia uxorem dimittere, est medium viro nimis incommodum, ad quod ratione correctionis non tenetur; quia sic tenebitur caelebs viuere, & solus domum regere, & eius infamia manifestior fiet; imò id vxori est periculosius, quia vxor, quæ sæpè reprehensa & punita non emendatur, liberius viuet, si dimittatur: neque tenetur ratione vitandi scandali, quòd erit suspicandi ipsam conuiuere & patrocinari adulterio vxoris, si cum ipsa inhonestè viuente cohabitaret, quia ad id vitandum non tenetur cum dicto incommodo, cum ad id sufficiat quòd ita reprehendat, puniat, & custodiat, vt id intelligat vicini. vnde quod dicitur in dicto c. *Si vir.* & Prou. 18. tantum intelligitur, quòd vir pacificè & quietè cohabitatur cum dicta vxore.

16 Addidimus, non teneri, nisi forsân rarissimè: quia quando dimissio sit apta ad emendationem absque inconueniente, aut ad vitandam dictam suspicionem, & marito non sit valdè incommoda, & non sit aliud medium sufficiens ad emendatio-

nem, & ad suspicionem vitandam (quæ rarissimè coniungentur) tenetur eam dimittere.

Ex dictis constat, uxorem multò minùs teneri ad dimitendum maritum adulterum in adulterando persistentem, quia neque ratione adulterij, vt patet; neque ratione correctionis fraternæ, quia ea dimissio est maximè incommoda vxori, imò non est apta ad emendationem mariti; neque ratione vitandi suspicionem consensus vxoris, quia raro præsumitur vxorem consentire, & quando id præsumatur, facilè poterit huic præsumptioni aliis medijs occurrere.

DIFFICULTAS V.

Vtrum Diuortium fieri possit ob alias causas ab adulterio distinctas.

17 **R**atio difficultatis pro parte negatiua desumitur ex Christo Matth. 5. & 19. dicente, non posse uxorem dimitti nisi ob fornicationem.

Nihilominùs Catholici contra hæreticos conueniunt, coniugem posse ob alias causas ab altero quoad torum & cohabitationem separari (ita definitur in Tridentino sess. 24. can. 8. & constat ex cap. *Ex transmissa.* 8. & ex c. *Literis.* 13. de Restitutione spoliatorum) sed non in perpetuum, vt fieri potest ob fornicationem, quod Christus docuit Matth. 5. & 19. sed tantum ad tempus, dum causæ ipsæ durauerint.

Est ergo difficultas, Ob quas alias causas fieri possit dicta separatio.

Conueniunt Doctores, coniugem posse separari ab altero, quando nequit cohabitare cum illo sine graui animæ periculo: imò communiter conueniunt, posse ab eo separari, quando nequit cohabitare cum eo absque graui corporis periculo. Ita Sancius lib. 10. disp. 15. & Aegidius dist. 35. dub. 4. Quod deducitur ex dictis capp. & ratione constat, quia ratio non exigit, vt cum tanto detrimento obligationi cohabitandi satisfiat, ac proinde Iure naturali separari licet. Vnde cessante dicto periculo, recurrendum est ad cohabitationem, quia ob illud tantum excusabatur coniux à cohabitatione.

18 Ex quo constat Primò, coniugem posse separari ab altero, quando ab eo prouocatur ad peccandum mortaliter, & admonitus non desistit à prouocando, in quo Doctores conueniunt.

Secundò constat, coniugem posse separari ab altero qui labitur in hæresim, aut in apostasiam, dum non reducit; in quo etiam Doctores conueniunt, & constat ex cap. *De illa.* 6. de Diuortijs, quia semper ex cohabitatione cum eo perseverante in hæresi, aut in apostasia, est periculum aliquod infectionis, nisi quis magna cura procedat, ad quam non tenetur, vt non separetur ab eo.

Tertiò constat coniugem posse ab altero separari, quando ob sauitiam illius timet ab eo graue aliquod malum, quod virum constantem terreat: in quo Doctores conueniunt, & deducitur ex cap. *Ex transmissa.* & ex c. *Literas.* quod est verum, quamuis coniux timens dederit occasionem graui malo quod timet; quia coniux, adhuc vir, nequit iustè alteri tantum malum inferre, etiam ob grauissimam culpam.

19 Quarto constat, coniugem posse ab altero separari, quando ob eius furiam timet graue aliquod malum, in quo etiam Doctores conueniunt. Et idem est, quando ob morbum contagiosum illius

timet infectionem, vt aduertunt Sancius & Aegidius.

Quintò constat, coniugem posse ab altero, quando veneficus est, separari, vt aduertunt Sancius & Aegidius, quia venefici sæpè etiam coniunctissimis grauius nocent, vt pote qui daemone consilio aguntur.

Obseruandum tamen est (vt aduertunt communiter Doctores) in nullo casu ex dictis posse per se fieri separationem in perpetuum, sed tantum quamdiu durat dictum periculum (quod potest in perpetuum durare) quia tantum ob periculum excutatur coniux à cohabitatione cum altero, ac proinde eo periculo cessante, reuerti debet ad cohabitationem.

20 In hæresi tamen dispositione peculiari cap. *De illa*. decernitur, vt innocens, iudicio Ecclesiæ separatus ab hæretico ob hæresim, non teneatur postea admittere hæreticum, quamuis iam emendatum. Cui non obstat, quòd Matth. 5. & 19. dicitur, coniugem non posse dimitti (subintellige, in perpetuum) nisi ob fornicationem; quia ibi tantum agitur de dimissione, quæ iure naturali, attentâ naturâ matrimonij, fieri potest; quia eâ attentâ, nequit in perpetuum fieri, nisi ob fornicationem, qua fides matrimonij violatur; id tamè non tollit quin à Iudice possit, ob hæresim, in huius pœnam, tribui alteri licentia in perpetuum dimittendi hæreticum.

DIFFICULTAS VI.

Vtrum ad Diuortium necessaria sit Iudicis auctoritas.

21 **N**ON pauci, neque indocti docent (& benè) ad dimissionem coniugis quoad torum & cohabitationem, vt licitè fiat, non esse necessariam Iudicis auctoritatem (adhuc ratione scæuitiæ, quid quid dicat Basilius cap. 23. nu. 7.) quando est moralis certitudo causæ sufficientis, nisi fortè, quando aliquando sit necessaria ad vitandum scandalum, quod ex dimissione oriri possit. Ita Sancius lib. 10. disp. 12. Henriquez lib. 11. c. 17. Rebellus lib. 2. q. 17. & Aegidius disp. 35. nu. 2. Quod deducitur ex Can. *Dixit Dominus*. 32. q. 2. dum dicitur: *Ubi cumque est fornicatio, vel fornicationis suspicio, liberè dimittitur vxor*. Vbi liberè idem est, quod, absque alicuius licentia, aut sententia. Quod etiam supponit Christus Matth. 19. dum absolutè supponit, licitam esse dimissionem vxoris ob fornicationem. Et ratione constat, quia ex vna parte dimissio quoad torum & cohabitationem, nullo iure positiuo prohibetur fieri absque licentia Iudicis, quamuis in cap. *Porro*. 3. de Diuortijs, prohibita sit fieri quoad vinculum absque iudicio Ecclesiæ, quamuis impedimentum sit notorium; & ex altera parte dimittens vitur iure suo, absque perturbatione Reipublicæ.

22 Ex dictis constat, ob adulterium, quod publicè est notorium, posse diuortium licitè fieri propria auctoritate, cum tunc non sit scandalum; quia constat non fieri absque causa sufficiente; imò etiam ob adulterium secretum, dum occurritur scàdalo, vt fiet, si vir migret in Prouinciam, vbi matrimonium ignoratur: quia Iudicis auctoritas tantum est necessaria ad vitandum scandalum, quando absque ea non vitatur. quia tamen negatio debiti fieri potest absque scàdalo, idèò quando moraliter constat de causa sufficiente, quamuis occul-

ta, fieri potest priuata auctoritate. In foro tamen externo seu iudiciali non permittitur dimissio auctoritate priuatâ facta, sed vxor si dimissa sit, & restitutionem petat, fiet restitutio, nisi quando adulterium est notorium, vt constat ex cap. *Significasti*. 4. de Diuortijs, & non quando non est notoriu, quamuis statim offeratur probatio parata, vt optimè Couarruias 4. Decret. 2. p. c. 7. §. 5. Nihilominus, vt aduertunt Sancius & Aegidius, coniux moraliter certus de adulterio alterius coniugis, non tenetur obedire Iudici, adhuc sub excommunicatione præcipienti redditionem debiti; quia tunc præceptum fundatur in falsa præsumptione in casu singulari: imò neque præcipienti cohabitationem, si absque scàdalo possit non obedire, vt contingeret, si se contulerit ad longinqua.

DIFFICULTAS VII.

Vtrum coniux adulter possit ab altero coniuge innocente exigere debitum, & compellere ad cohabitationem.

CONUENIUNT Doctores, non posse, nec per Iudicem, nec priuatim, quando innocens est moraliter certus de adulterio; quia cum ipsi sit fides violata, non tenetur ad reddendum, nec ad cohabitandum.

Est tamen difficultas, An possit, quando innocens non est moraliter certus.

Sancius & Aegidius existimant posse, quia priuatio iuris petendi & cohabitandi, est pœna, quæ absque auctoritate Iudicis aut coniugis innocentis infligi nequit; innocens autem, quamdiu non est moraliter certus, nequit illam infligere.

Rebellus verò vbi supra, & Caietanus existimant non posse, & merito: quia priuatio iuris proximi petendi & cohabitandi, non est pœna, sed est effectus violationis fidei fractæ in adulterio; quia violanti fidem non est debita fides, ac proinde eo ipso quòd est adulterium, quamuis non sit notitia illius, neque sit inflicto aliqua in pœnam, non est obligatio in innocente reddendi neque cohabitandi: ergo iniquè ab eo exigetur vt debitum, & ad id compellatur.

Et ob eandem rationem, qui patitur, aut habet aliquam aliam causam ex supradictis sufficientem, vt alter non reddat aut non cohabitaret cum ipso, vt quando ex redditione debiti aut ex cohabitatione imminet alteri graue periculum animæ aut corporis, non potest alterum cogere ad id, quamuis iste alter ignoret illam causam, quia scilicet priuatio dicti iuris proximi non est pœna, sed effectus, seu quasi effectus dictæ causæ sufficientis.

DIFFICULTAS VIII.

Vtrum coniuges post Diuortium possint Religionem ingredi, aut omnimodam castitatem vouere.

CONUENIUNT Doctores, coniugem innocentem post diuortium iustè factum ob adulterium, posse in foro conscientiæ, adhuc altero inuito, non solum omnimodam castitatem vouere, sed etiam Sacris initiari, & Religionem ingredi; quia tunc innocens ita est in perpetuum solutus ab altero

Covarr.

23

24

Sancius.
Aegidius.Rebellus.
Caietan.

25

tero

tero quoad torum & cohabitationem, ac si alter esset mortuus; imò tunc alter non tenetur ingredi Religionem, vt deducitur ex cap. 13. & 16. de Conuersione coniugatorum. Quòd si innocens ante professionem fornicator, reuertì debet ad alterum coniugem; quia ex vna parte iniuria, quam alter intulit innocenti, ipsius innocens fornicatione compensatur, & ex altera innocens nondum habet statum impossibilem cum statu maritali.

26 Addimus, adulterum, etiam post diuortium, non tantum absque Iudice factum, non posse innocente inuito ad Religionem, aut ad sacros Ordines transire, in quo Doctores conueniunt, sed etiam post diuortium à Iudice factum, vt contra Nauarrum & alios docent Sancius lib. 10. disput. 10. & Aegidius dub. 5. quia dicta separatio, etiam quando fit à Iudice, fit in fauorem innocentis, cui per adulterium illata est iniuria, & deobligatus est à reddendo debito, & à cohabitatio, non verò in fauorem nocentis, quia iste non deobligatur, ac proinde quoties innocens velit, alter est ad ipsum reuocandus. Quod intelligimus verum, quando innocens non vult, nocentem mutare statum, quia non sit certus, quòd ipse non mutabit animum; quia si certus & fixus sit, poterit nocens ad statum impossibilem transire, quia tunc innocens non esset rationabiliter inuitus.

Nauarrus.
Sancius.
Aegidius.

27 Et idem dicendum est, quando coniuges iudicio Ecclesie sunt ob hæresim separati, quòd scilicet innocens possit inuito hæretico, quamuis iam emendato, transire ad statum matrimonio impossibilem, ob rationem dictam; quia scilicet innocens est in perpetuum solutus à toro & cohabitatione cum illo, & quòd hæreticus non possit, nisi in supradicto casu, ob eandem omnino rationem.

DIFFICULTAS IX.

Vtrum coniuges possint mutuo consensu diuortium facere.

28 Certum est, coniuges ex mutuo consensu posse toro separari, aut ad tempus, aut in perpetuum (nisi eis ex separatione periculum incontinentie immineat, & ei aliter non occurrant) quia nullo Iure obligantur ad id, imò & posse continen-

tiam vouere, quamuis neuter Religionem ingrediatur. Nihilominus ob periculum incontinentie, quod ex mutua cohabitatione eis potest imminere, non expedit id vouere, nisi post maturam deliberationem, & experientiam longam, qua experti sint, posse absque notabili periculo ita viuere.

Est ergo difficultas, An etiam possint à toro & cohabitatione separari.

29 Circa quam conueniunt Doctores, neutrum posse Religionem ingredi, nisi vterque ingrediatur, vt exprimitur in cap. Cum sis. 4. & in c. Innotatus. 8. de Conuersione coniugatorum, vbi excipitur, posse maritum ingredi non ingrediente vxore, quando vxor est senex, & non suspecta de incontinentia, si castitatem voueat: nullibi tamen excipitur, posse vxorem ingredi non ingrediente marito, quamuis prouecta atatis, & potentis manere in sæculo absque periculo; & ideò Basilius absque fundamento excipit, quòd id possit vxor in casu dicto.

30 Permittitur autem coniugibus, vt voueant castitatem manentes in sæculo, & non permittitur, quòd vnus ingrediatur Religionem, altero non ingrediente, nisi in casu dicto; quia quamuis in priori casu sit maius periculum accedendi, quam si vnus esset Religiosus, tunc tamen si adlit periculum incontinentie, dispensatio in voto est facilis, & non in professione Religiosi.

Vt tamen vir possit ad sacros Ordines promoueri, sufficit, vt contra Sancium lib. 7. disp. 39. & Sancius. contra Aegidium docent Nauarrus & P. Sa, si ab vxore, castitatem in sæculo vouente, absoluaatur à debito tori & cohabitationis; quia in c. Coniugatus. 8. de Conuersione coniugatorum id tantum requiritur. Quòd verò in can. Episcopus. dist. 77. dicatur requiri promissionem Religionis, non obstat; quia præterquam quòd hic canon est Concilij Agathensis, quod non fuit generale, nomine Religionis non incongruè intelligitur castitas, vt exponit Glossa.

Addimus, coniuges, saluo scandalo, & incontinentie periculo, posse ex mutuo consensu quoad torum & cohabitationem separatos viuere, vt non nullos sanctos coniuges vixisse refertur; quia ad neutrum tenentur iure aliquo, naturali aut positiuo.

DISPUTATIO XII.

De impedimentis in communi.

DIFFICULTAS I.

Vtrum sit potestas humana ad inducenda impedimenta Matrimonio.



1 IMPEDIMENTUM ad matrimonium est duplex, vnum impediens tantum, & alterum dirimens. Impediens tantum dicitur, quo efficitur, vt matrimonium illicitè contrahatur, sed non inualidè: impedimentum verò dirimens dicitur, quo efficitur, vt matrimonium inualidè contrahatur.

Supponimus ergo, in quo nulla est difficultas, esse potestatem humanam ad statuenda impedimenta tantum impediens, id est, ad prohiben-

dum fieri matrimonium, non minùs quam ad prohibendam celebrationem aliorum contractuum, & administrationem & susceptionem aliorum Sacramentorum.

2 Est tamen difficultas, an sit potestas humana ad statuenda impedimenta dirimentia, seu irritantia matrimonia contrahenda. Ratio difficultatis pro parte negatiua est Primò, quòd contractus matrimonij est de Iure naturali, ergo nequit humano Iure inualidari. Secundò, quòd non est potestas humana ad mutandas essentias Sacramentorum; ergo neque ad statuenda impedimenta inualidantia matrimonium; quia eo efficeretur, vt id quod ante tale impedimentum est Sacramentum, iam post inductionem illius non sit Sacramentum.

Nihilominus Catholici conueniunt, esse potestatem

Tridentin.

testatem humanam ad id, quod definitum est in Tridentino sess. 24. can. 3. & 4. & constat ex praxi & vsu Ecclesie. Quod potest ratione declarari, quia matrimonium ex ea parte, qua est contractus, potest humana potestate irritari non minus, quam reliqui contractus, statuendo vt matrimonium ab his aut ab illis personis, vel hoc aut illo modo factum sit nullum. Ex eo verò, quòd à Christo sit institutum & eleuatum in Sacramentum, non fit, non posse humana potestate irritari; quia ex eo tantum fit, contractus, qui aliàs esset validus, non esse validum; & qui aliàs esset totalis materia Sacramenti seu essentia Sacramenti pro materiali, non sit materia seu essentia Sacramenti: quod non est, materiam Sacramenti, aut eius essentiam pro materiali mutari; quia materia seu materialis essentia Sacramenti est ipse contractus validus, & non contractus nullus, quæ non mutatur, quia etiam post statutum impedimentum contractus, qui est validus, est totalis materia Sacramenti, & qui non est validus, non est materia Sacramenti; mutaretur autem, si efficeretur, quòd contractus inuàlidus esset materia Sacramenti, & quòd validus non esset materia illius. Ex quo constat ad posteriorem rationem difficultatis.

Ad priorem verò respondemus, quòd quamuis contractus matrimonij sit de Iure naturali in eo sensu, nempe quòd ex natura rei in quolibet sit ius & facultas contrahendi matrimonium, non tamen in eo, nempe quòd ex natura rei nequeat non esse validus. Dicitur autem esse de Iure naturali concedente, aut saltem assistente & permittente, vt fiat, sed non obligante & necessitante ad id.

DIFFICULTAS II.

In quibus sit facultas statuendi impedimenta Matrimonij.

Trident.

4 **C**onueniunt Catholici, potestatem statuendi impediméta, tam impediencia tantum, quam dirimentia, esse in Ecclesia, vt constat ex Tridentino, sess. 24. can. 3. & 4. & ex praxi & vsu Ecclesie; & eam potestatem in Ecclesia tantum extendi ad matrimonia baptizatorum, quia tantum in eos habet iurisdictionem. Conueniunt quoque, eam esse non tantum in Concilio generali, quod Ecclesiam vniuersalem repræsentat, sed etiam in Summo Pontifice, vt pote totius Ecclesie capite, vt patet ex multis Conciliorum generalium & Pontificum decretis, quibus non pauca impedimenta introducta sunt.

Est tamen difficultas Primò, An dicta potestas etiam sit in Episcopo respectu suorum subditorum.

5 Circa quam conueniunt Doctores, de facto saltem non esse in illo expeditam, quia antiqua Ecclesie consuetudine id reseruatum est Concilio generali, & Summo Pontifici.

Est ergo difficultas, An sit in eo ex vi sui muneris, quamuis consuetudine sit impedita.

Suarez tom. 5. dist. 7. sect. 4. & Egidius disp. 30. num. 8. negant, quia Episcopus ex vi suæ ordinationis nullam habet iurisdictionem; quia quam habet, accipit à Summo Pontifice.

Sancius verò lib. 7. disp. 1. Couarruias 4. Decret. 2. part. cap. 6 §. 1. & Basilius lib. 6. cap. 1. affirmant, & meritò: quia Episcopus ex vi sui offi-

cij est plenè & perfectè Pastor & princeps in sua diœcesi, quamuis subordinatus Pontifici, ergo habet plenam potestatem condendi in sua diœcesi quaecumque leges, & statuendi quidquid saluti spiritali suorum subditorum expediat, & consequenter statuendi impedimenta matrimonij: vnde Episcopus dictam potestatem non accipit à Summo Pontifice, sed ex vi suæ ordinationis, & consequenter à Christo, quamuis subordinatam Summo Pontifici, ob quod potest à Summo Pontifice in partem aut in totum impediti.

6 Secundo est difficultas, An dicta potestas sit in Principe sæculari.

Conueniunt Doctores, de facto in Principe sæculari, baptizato saltem, non esse dictam potestatem expeditam, & id significatur in c. Per tuam. 4. de Ordine cogn. dum dicitur, causas natalium (ac proinde matrimoniales) ad forum Ecclesiasticum pertinere.

Est tamen difficultas, An dicta potestas sit in Principe sæculari baptizato ex vi suæ iurisdictionis & officij, quamuis de facto sit ab Ecclesia illi impedita.

Sancius lib. 7. disp. 3. Henriquez lib. 12. cap. 1. & Egidius disp. 30. dub. 1. partem affirmatiuam tuentur; quia contractus matrimonij est ciuili & sæcularis sicut reliqui, ergo est subditus potestati sæculari, seu ciuili, non minus quam reliqui.

7 Sotus verò in 4. dist. 42. quæst. 2. art. 2. Couarruias vbi supra, & Basilius lib. 6. cap. 2. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia contractus matrimonij in baptizatis ex institutione Christi desinit esse ciuili & sæcularis, vt pote factus sacer & Sacramentum, ergo desinit esse subditus potestati ciuili seu sæculari, quam solam habet Princeps sæcularis.

Vnde Princeps sæcularis, quamuis baptizatus, non potest statuere impedimenta matrimonio baptizatorum; potest tamen matrimonio non baptizatorum, quia matrimonium horum non est sacrum.

8 Tertio est difficultas, An quaecumque prohibitio matrimonij sit impedimentum dirimens. Hæc tamen difficultas est generalis circa omnes leges irritatorias, quæ disputatur in Tract. de Legibus, & de qua disputat Vasquez 1. 2. disput. 164. cui loco exactam eius disputationem remittimus: interim tamen dicimus, circa matrimonium nihil esse peculiare, sed in hac & in quauis alia materia consideranda esse verba legis; quia si in eis non contineatur decretum aliquod irritans, seu annullans, sed tantum simplex aliqua prohibitio, tunc hæc non censetur in materia matrimonij impedimentum dirimens, sed tantum impediens.

Quarto est difficultas, An consuetudine possint introduci & auferri impedimenta matrimonij: quæ etiam est generalis, & generaliter etiam disputatur in Tract. de Legibus, & de ea disputat Vasquez 1. 2. disput. 177. cui loco exactam eius disputationem remittimus: interim tamen dicimus, nulla consuetudine nisi cognita & approbata, saltem tacite, à superiore potente dicta impedimenta statuere, induci posse impedimentum aliquod; quia nulla prohibitio neque irritatio fieri potest, nisi ab habente iurisdictionem. Et etiam nulla consuetudine posse auferri dicta impedimenta, nisi cognita sit & approbata, saltem tacite, à superiore potente illa auferre seu abrogare, nisi ali-

Sancius.
Couarr.Sancius.
Henriq.
Egidius.Sotus.
Couarr.
Basilius.

Vasquez.

Vasquez.

quando per accidens, quando scilicet lex prohibens aut irritans, opposita consuetudine redditur inutilis, aut impossibilis secundum patriæ consuetudinem, quia in hoc casu dicta consuetudine per accidens cessat, etiam non approbante, imò inuito Pontifice aut Principe: quia sicut lex, ut validè feratur, debet esse utilis bono communi, & modo dicto possibilis; ita etiam ut validè perseueret, debet utilis & possibilis perseuerare.

DIFFICULTAS III.

*Quot sint impedimenta Matrimonij,
& quomodo obligent.*

- 9 **C**irca prius, duo genera impedimentorum communiter à Doctoribus assignantur: quædam, quæ reddunt matrimonium subsequens inualidum, ob quod Dirimentia dicuntur; alia verò, quæ matrimonium reddunt illicitum, sed non inualidum, ob quod dicuntur *impedientia* tantum. Impedimenta dirimentia sunt quatuordecim, ex quibus duodecim sunt, aut Iure naturali, aut Iure Ecclesiastico antiquo introducta, & alia duo Iure nouo Tridentini, quæ omnia sequentibus verbis continentur:

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus, disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forè coire nequibus,
Si Parochi & duplicis desit presentia testis,
Raptæ sit mulier, nec parui reddita tuta.
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.*

Impedimenta verò impedientia tantum, quæ aut Iure naturali aut Ecclesiastico antiquo introducta erant, & antea erant in usu, duodecim enumerantur, de quibus postea dicemus.

- 10 **C**irca posterius, quomodo videlicet impedimenta obligent (loquimur autem modò de dirimentibus) conueniant Doctores esse peccatum mortale, contrahere matrimonium cum impedimento dirimente, quia id est quid graue, & impedimento ipso prohibitum.

Est tamen difficultas, An tunc duplex committatur peccatum mortale.

Aegidius. Non desunt grauissimi Doctores, qui affirmant duplex committi (in quod etiam inclinat *Aegidius* disp. 30. num. 18.) quia præter peccatum inobedientiæ contra Ius naturale aut Ecclesiasticum, quo impedimentum fuerit introductum, etiam reperitur peccatum sacrilegij irritationis Sacramenti contra religionem.

- 11 **S**ancius verò lib. 7. disp. 5. docet, tunc non reperiri peccatum sacrilegij, seu irritationis Sacramenti, sed tantum vnum peccatum contra prohibitionem in impedimento inclusam, & meritò: quia tunc non irritatur Sacramentum matrimonij, quia tunc non efficitur id cui ex institutione Christi conuenit ratio Sacramenti, nempe contractus validus: ergo tunc tantum peccatur contra prohibitionem, aut naturalem, aut positiuam in impedimento inclusam; quia impedimento dirimente non tantum dirimitur matrimonium, sed etiam prohibetur.

Peccatum autem, quod tunc committitur, non est inobedientiæ specialis contra virtutem obedientiæ, quia nullum impedimentum dirimens prohibet, ut obediatur superiori in non contrahendo; sed est contra alias virtutes, & non semper

contra eandem; ac proinde non semper est idem secundum speciem, sed est distinctum pro diuersitate virtutis, intuitu cuius impedimentum dirimens prohibet matrimonium. Quia quando est cognatio, aut affinitas, aut iustitia publicæ honestatis, est vnum simplex peccatum incestus absque malitia fornicationis; quia tunc impedimentum prohibet, intuitu pietatis & reuerentiæ, matrimonium ordinatum ad copulam. Et quando impedimentum est disparitas cultus, est peccatum sacrilegij; quia tunc prohibet intuitu decoris & honoris nostræ Religionis. Et etiam est peccatum sacrilegij, quando impedimentum est vorum castitatis, aut Ordo, ut patet. Et est peccatum mollietatis contra naturam, quando impedimentum est impotentia; quia hæc prohibet intuitu castitatis, ut reprimentis motus contra naturam. Et est peccatum iniustitiæ, quando impedimentum est conditio seruitutis ignorata, aut vis, seu metus, aut raptus, aut error personæ; & quando sunt hæc impedimenta, contra quæ peccatur peccato iniustitiæ, peccatum est in altero, nempe in contrahente cum ignorante seruitutem, aut cum persona coacta, aut cum rapta, aut cum errante personam. Et etiam est peccatum contra iustitiam, quando impedimentum est ligamen, seu prius matrimonium perseuerans; quia tunc corpus, quod est prioris coniugis viuientis, traditur alteri, aut intenditur tradi. Et est peccatum contra iustitiam vindicatiuam, quando impedimentum est crimen; quia crimen prohibet matrimonium, in pœnam seu punitionem ipsius. Et quando impedimentum est defectus præsentia Parochi & testium, est peccatum iniustitiæ contra coniugem qui esset; quia prohibet intuitu periculi deserendi coniugem si esset, & contrahendi cum altero.

Obseruandum tamen est, copulam inter eos, inter quos est aliquod impedimentum dirimens, non semper habere peculiarem malitiam distinctam à malitia fornicationis contra castitatem, nisi quando impedimento prohibetur matrimonium intuitu peculiaris motiui, quod in ipsa copula reperitur, ut quando copula est inter habentes impedimentum aut cognationis, aut affinitatis, aut iustitiæ publicæ honestatis, aut disparitatis cultus. Quia his personis magis est indecens copula, quam contractus, & intuitu dictæ indecentiæ eis prohibetur contractus, aut nisi quando ipsa copula ex se, supposito impedimento, habet peculiarem oppositionem ad aliam virtutem, ut contingit in copula coniugati, seu ligati vinculo matrimonij, & etiam Religiosi & Sacris initiati, & etiam impotentis, & consanguinei in primo gradu lineæ rectæ. Quando verò copula inter impeditos non habet ex se peculiarem oppositionem ad aliam virtutem, neque impedimento prohibetur matrimonium intuitu motiui, quod in ipsa copula reperitur, tunc non habet nisi malitiam fornicationis contra castitatem, ut copula inter eos, inter quos est impedimentum erroris personæ, aut impedimentum conditionis, aut criminis, aut coactionis.

DIFFICULTAS IV.

Vtrum metus grauis excuset à culpa contrahentem cum impedimento dirimente.

15 **C**onueniunt communiter Doctores, impedimentum, quamuis impedimento solo Iure Ecclesiastico introducto, contrahentem cum animo consummandi, non excusari à mortali ob metum grauem; quia metus iste non auferit dictum impedimentum, vt est dirimens, ac proinde matrimonium est nullum, & qui intendit illud consummare, intendit ad non suam accedere, quod nullo metu excusari potest à culpa mortali.

Est tamen difficultas, An dictus metus excuset sic impedimentum contrahentem absque animo consummandi.

Caietan.
Valentia.

Caietanus 1.2. q.96. art. 1. & Valentia 1.2. disput. 7. punct. 6. §. 4. docent, sic impedimentum non excusari à culpa mortali, quamuis impedimentum solo Iure Ecclesiastico dirimat, quia metus non efficit, quod impedimentum dirimens, quamuis solo iure Ecclesiastico introductum, non dirimat: ergo non efficit quin contractus ille sit contra legem irritantem, ac proinde quin sit malus & peccatum.

16
Sancius.
Ægidius.

Sancius verò lib. 7. disp. 5. & Ægidius disp. 30.

num. 19. docent, metum grauem excusare à culpa contrahentem cum impedimento dirimente, quamuis Iure naturali dirimat, quia tunc non fit validè matrimonium, sed tantum intentatur, quod dicto metu sufficienter excusari videtur.

Nos tamè sub distinctione respondemus, nempe, contrahentem metu graui, quando impedimentum est solo Iure Ecclesiastico dirimens, vt dirimit iustitia publicæ honestatis, & disparitas cultus, & ipse metus grauis iniuste incussus ad extorquendum matrimonium, excusari à culpa: non verò, quando impedimentum dirimit Iure naturali, vt dirimit impotentia, & etiam consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ, quod insinuat Vasquez 1.2. disp. 161. num. 17. Ratio prioris partis est, quia tunc contrahere, tantum est contra legem Ecclesiasticam prohibentem; cuius observatio in hac materia est minoris momenti, quàm graue malum quod timetur; ob quod, eo timore existente, lex illa cessat obligare vt prohibens, quamuis non vt irritans. Ex quo constat ad rationem pro Caietano & Valentia adductam. Ratio posterioris partis est, quia tunc contrahere, est contra Ius naturale prohibens, contra quod perseverans, vt in præfenti perseverat, nihil fieri potest, neque intentari, quocumque malo imminente; peccatum autem, quod sic contrahendo committitur, non semper est eiusdem speciei, vt constat ex dictis Diffic. 111.

17

DISPUTATIO XIII.

De Errore.

Incipimus iam disputare de impedimentis dirimentibus in particulari.

DIFFICULTAS I.

Vtrum Error personæ Iure naturali dirimat Matrimonium contrahendum.

1 **C**ONVENIUNT Doctores, errorem personæ cum qua contrahitur (vt contingit Iacob ducenti Liam, quam existimabat esse Rachel) dirimere seu irritare matrimonium, siue error det causam contractui matrimonij, quia scilicet non fieret, si non esset error; siue non det, quia scilicet etiam fieret contractus, quamuis non esset error. Imò conueniunt contra Glossam 29. q. 1. in Summa, v. *Quod autem*, dirimere Iure naturali, quia siue error det causam contractui, siue non det, auferit consensum in materiam substantialem contractus matrimonij; quia in hoc contractu personæ sunt materia substantialis, consensus autem in materiam substantialem contractus ex natura seu Iure naturali ipsius contractus est necessarius ad valorem illius.

Glossa.

2 Error autem personæ dirimit matrimonium, quamuis sit vincibilis: quia iste quamuis sufficiat ad peccandum, non tamen ad validè contrahendum; quia ad peccandum sufficit se exponere periculo faciendi contra præceptum, cui periculo se exponit, qui cum errore aut ignorantia vincibili peccati operatur; ad validè autem contrahendum cum aliqua, verbi gratia cum Maria, non sufficit

se exponere periculo contrahendi cum illa, sed requiritur voluntas vera contrahendi cum ea; quæ voluntas non constat cum errore illius personæ, quamuis vincibili, nisi errans habeat voluntatem contrahendi cum persona sibi proposita, quæcumq; illa sit, quod rarissimè aut numquam contingit in contractu matrimonij, semper tamen in administratione aliorum Sacramentorum; quia qui administrat alia Sacramenta, v. g. Confirmationem aut Pœnitentiam, verè intendit personæ sibi præfenti & propositæ administrare, quæcumque illa sit.

DIFFICULTAS II.

Vtrum Error qualitatis personæ dirimat Matrimonium contrahendum.

3 **C**onueniunt Doctores, errorem qualitatis, vt nobilitatis aut diuitiarum, dirimere Iure naturali matrimonium in duobus casibus. Primò, quando matrimonium fit dependenter ab ea qualitate tamquam à conditione; quia cum tunc deficiat conditio sub qua fit contractus, etiam deficit ipse. Secundò, quando qualitas refunditur in personam, id est, quando ex errore qualitatis erratur circa personam, vt quando femina contrahit cum infante, existimans se contrahere cum Principe; & quando qualitas non refunditur in personam, nec matrimonium fit dependenter à qualitate tamquam à conditione, in vno casu non dirimere, quando scilicet error qualitatis non dat causam contractui matrimonij, quia scilicet aliàs fieret, quamuis non erraretur circa qualitatem personæ.

Est

Est tamen difficultas, An dicimat quando dat causam contractui.

4 Medina. Praposition. Aristotel.

Medina de Restitut. q. 33. & Prepositiuus c. vlt. de Coniugio leproforum, docent dirimere. quod deduci videtur ex Aristotele 3. Ethic. cap. 3. dum ait, errorem cuiuscumque circumstantiæ tollere voluntarium; ad valorem autem cuiuscumq; contractus requiritur voluntarium. Et ratione probatur, quia quando est error qualitatis personæ, nequit esse perfectus consensus in personam, qui requiritur ad valorem matrimonij. Secundò, quia qui elargitur eleemosynam alicui non pauperi, existimans esse pauperem, inualidè elargitur, ita vt recipiens teneatur ad restitutionem; ergo qui tradit corpus alicui, v.g. non diuiti, existimans esse diuitem, inualidè tradit.

Sancius. Aegidius.

Sancius verò lib. 7. disp. 18. Aegidius disp. 31. dub. 1. & communiter Doctores docent, non dirimere, & merito: quia error qualitatis personæ non impedit perfectum & simpliciter voluntarium, & consensum circa personam ipsam, quæ est materia substantialis matrimonij, etiam si quando error qualitatis est causa contractus matrimonij, efficiat inuoluntarium secundum quid, cum quo optime

stat voluntarium simpliciter, quod sufficit ad valorem contractus matrimonij. Ex quo constat ad priorem rationem aduersariorum.

Et ad posteriorem respondemus, concedendo Antecedens, & negando Consequentiam, ob disparitatem; quia tunc in elargitione eleemosynæ deficit titulus, nempe paupertas, ac proinde deficit valor elargitionis eleemosynæ; in traditione vero corporis in matrimonio, quamuis deficiat qualitas, non deficit titulus; quia traditio corporis non fit pro qualitate, sed pro corpore aut pro persona.

Aristoteles autem vbi supra tantum loquitur de circumstantiis pertinentibus ad substantiam actionis, vt ostendit Vasquez 1. 2. disp. 30.

Vasquez.

Id autem, quod diximus, nempe errorem qualitatis non dirimere matrimonium, etiam si det causam contractui, est verum, quidquid Basilius dicat lib. 4. cap. 21. etiam si errans contrahat, expressè motus à qualitate circa quam errat, quia ex eo, quòd expressè moueatur à qualitate illa, & ita vt si non erraret circa illam, non contraheret, non contrahit dependenter ab illa qualitate tamquam à conditione, sed tantum motus ab illa tamquam à causa finali.

6

DISPUTATIO XIV.

De Conditione seruitutis.

DIFFICULTAS I.

Quomodo Conditio seruitutis dirimat Matrimonium contrahendum.



ERTVM est, seruitutem sumptam pro statu mancipij, quæ nomine conditionis significatur, non dirimere matrimonium Iure naturali, vt constat ex cap. 1. & 2. & 4. de

Coniugio seruorum; quia seruitus non est defectus substantialis personæ, quæ est materia substantialis matrimonij, sicut ingenuitas, seu libertas non est substantia personæ, sed qualitas. Secundò certum est, errorem, aut ignorantiam seruitutis dirimere matrimonium serui cum libera ignara seruitutis, & e contra seruæ cum libero ignaro seruitutis, vt constat ex dictis capp. 2. & 4 & ad id sufficere errorem aut ignorantiam, quamuis vincibilem, vt supponit Aegidius disput. 31. num. 26. cum error iste & ignorantia sint absolute error & ignorantia, imò errorem affectatum & ignorantiam affectatam, etiam sufficere, quia iste error & ista ignorantia sint absolute error & ignorantia.

Aegidius.

Est tamen difficultas, An error seruitutis, seu ignorantia in persona libera, dirimat matrimonium Iure naturali, an tantum Ecclesiastico.

2 Palacios. Siluester. Angles.

Palacios in 4. dist. 3. q. vnica, Siluester v. Matrimonium. 6. q. 1. & Angles 1. p. de Matrimonio q. 10. docent dirimere Iure naturali, quòd deduci videtur ex eo, quòd in nullo canone prædictum matrimonium irritetur, sed tantum supponatur esse nullum. Et ratione probatur, quia corpus mancipij est impeditum ad vsum coniugalem, cum iste pendeat ex voluntate domini; ergo

quando defectus iste tacetur & ignoratur, contractus matrimonij est Iure naturali nullus; sicut venditio rei, cuius vsus pendet ex voluntate alterius, est nulla, quando tacetur & ignoratur dictus defectus: quia venditio fit vt transferatur in emptorem dominium rei non impeditæ quoad vsum.

Sancius verò lib. 7. disp. 19. Aegidius vbi supra, & communiter Doctores docent, non dirimere Iure naturali, sed tantum Ecclesiastico, & merito: quia seruitus non est defectus substantialis personæ, sed qualitatis; ergo error, aut ignorantia illius non aufert consensum perfectum, & simpliciter circa materiam substantialem matrimonij; ac proinde non dirimit illud ex natura rei, sed tantum Iure Ecclesiastico habito in dictis capitibus.

Sancius. Aegidius.

Quòd autem seruitus ignorata, nullo Iure scripto, quòd nunc habeamus, dirimat matrimonium, sed id in omnibus supponatur, tantum conuincit dictam seruitutem ignoratam dirimere Iure non scripto, sed viua voce tradito, aut consuetudine introducto, aut Iure aliquando scripto, cuius scriptura perit.

3

Ad rationem respondemus, ad valorem matrimonij ex natura rei sufficere, traditionem corporis, quantum est ex se, expediri ad vsum, quamuis aliena voluntate possit impediri; aliàs etiam seruitus cognita dirimeret; præsertim quòd dominus non potest in totum impedire seruum ab vsu matrimonij, nisi quantum ratio patitur. Quòd autem dictus defectus ignoretur, non obstat ex natura rei valori matrimonij, sicut nec defectus rei venditæ iam dictus obstat valori venditionis, quamuis forsàn obstat iustitiæ, vt scilicet venditio sit licita & iusta.

DIFFICULTAS II.

Vtrum, quando persona conditionis seruilis contrahit sciente domino, & non contradicente, cum persona libera seruitutis ignara, consequatur libertatem.

4 **S**upponimus Iure ciuili communi habito in Authentica *Ad hoc*. C. de Latina libertate, & in Authentica De nuptiis collat. 4. & Iure Castellæ L. 1. tit. 5. & L. 5. tit. 22. par. 4. quando dominus tradit mancipium, siue masculum siue feminam, alicui libero, ignaro seruitutis, in coniugem, tamquam liberum, statim mancipium consequi libertatem. Querimus tamen, an etiam eam consequatur, quando non traditur dicto modo à domino, sed ipsum mancipium contrahit cum libero ignaro seruitutis, domino ipso sciente, & non contradicente.

Conueniunt Communiter Doctores, Iure ciuili communi statim consequi libertatem, quando dominus scit, & ex studio, id est dolosè tacet; Iure verò Castellæ, quando non contradicit, ut expressum est in dictis Legibus.

5 Iure tamen naturali in nullo casu ex tribus dictis consequitur libertatem; quia dominus neque dicta taciturnitate, neque non contradictione censetur donare mancipium libertati, imò neque dicta positiua traditione mancipij tamquam liberi in coniugem; quamuis in hoc ultimo casu dominus Iure naturali teneatur donare libertati saltem pro vita coniugis liberi (si iste exigat) in recompensationem iniustitiæ ipsi factæ dicta dolosa traditione.

Vnde ubi dicta Iura positiua locum non habent, mancipium nullam consequitur libertatem; quia Iure naturali illam non consequitur; ac proinde extra Prouincias imperio subiectas, in quibus ius commune ciuile vim habet, & extra nostra regna, in quibus tantum Lex Castellæ vim habet, mancipium in nullo casu ex tribus dictis libertatem consequitur.

DIFFICULTAS III.

Vtrum in casu, in quo mancipium contrahens cum libero, seruitutis ignaro, consequitur libertatem, Matrimonium valide fiat.

6 **S**ancius lib. 7. disp. 20. & Henriquez lib. 11. c. 10. affirmant; quod etiam traditur in dicta Authentica. De nuptiis. Et ratione probatur; quia quamuis perferret seruitus ignorata, quando matrimonium fit, ea tamen seruitus nullius considerationis est, ut possit matrimonium irritare; quia ita est ac si non esset, quia statim ac perficitur, matrimonium finitur.

Couarruias verò 4. Decret. 2. p. c. 3 §. 7. & Gregorius Lopez Leg. 1. Castellæ tit. 5. par. 4. negant, quod etiam traditur in dicta L. Castellæ, & merito: quia Iure canonico seruitus ignorata absque vlla limitatione dirimit matrimonium: sed quando matrimonium celebratur, adest dicta seruitus; ergo verè dirimit matrimonium.

7 Vnde Ius ciuile in dicta Authentica non habet locum quoad hoc in Prouinciis adhuc imperio subiectis, in matrimoniis baptizatorum, quia non

habet vim contra Ius canonicum, quo absolute in baptizatis irritatur dictum matrimonium. Quod autem seruitus illa statim post factum aut attentatum matrimonium cesset, non sufficit ut valide fiat, quia verè est seruitus quando matrimonium fit, & non est parua considerationis quod adfit; cum efficiat personam maximè vilem non minùs, imò magis quàm seruitus præcedens, quamuis hæc Iure canonico non dirimat matrimonium.

DIFFICULTAS IV.

Vtrum mancipium contrahens Matrimonium cum domino, aut cum domina, statim consequatur libertatem.

8 **E**tiam si Iure Castellæ L. 1. tit. 13. p. 4. ancilla eo ipso, quod ducitur à domino, fiat libera; non tamen Iure communi ciuili, ut contra Siluestrum & alios docent Sancius lib. 7. d. 20. Couarruias & Henriquez, quia nullus textus reperitur in quo id exprimat, neque ex quo deducatur.

Est tamen difficultas, An ex vi matrimonij, seu Iure naturali ipsius matrimonij, mancipium contrahens cum domino aut cum domina, eo ipso consequatur libertatem.

Sancius, Couarruias & Henriquez partem negatiuam supponunt, quam exprimit Ochagauia Tract. 3. q. 49. & deduci videtur ex eo, quod Agar verè fuit vxor Abrahæ, & tamen Genes. 16. & 21. & ad Galat. 4. dicitur ancilla; & ex eo quod Aristoteles refert 1. Politic. c. 1. nempe quod apud aliquas nationes vxores habebantur tamquam ancillæ: ergo matrimonium mancipij cum domino aut domina, vi & efficacia sua naturali non excludit seruitutem.

Vasquez verò 3. par. disp. 80. c. 8. Basilius lib. 7. c. 44. & Gregorius Lopez, partem affirmatiuam tradunt, quod etiam dicitur in dicta L. 1. Castellæ, & merito: quia status matrimonij pugnat cum statu seruitutis, quia coniux ex vi matrimonij fit alteri socius, & eius nomine & honore gaudens, & acquirit ius ut fiat vna caro cum altero coniuge; quæ omnia non compatiuntur cum statu seruilis: status ergo matrimonij vi & efficacia sua naturali excludit seruitutem.

Agar autem non dicebatur ancilla, quia post matrimonium mansisset talis; sed quia fuit antea, & postea non fuit assumpta ad domus gubernationem, sed mansit ministrans. Quod verò apud aliquas gentes, vxores haberentur ut ancillæ, non obstat, quia gentes illæ, ut ipse Aristoteles refert, erant barbæræ.

DIFFICULTAS V.

Vtrum mancipium possit contrahere Matrimonium inuito domino.

10 **R**atio difficultatis pro parte negatiua defumitur Primò ex Concilio Cabilonensi, relato cap. vlt. 29. quæst. 2. vbi dicitur, coniugia feruorum non esse dissoluenda, vbi coniunctio fuit legalis, & per voluntatem dominorum, quo denotari videtur, non esse valida quando fiunt contra voluntatem dominorum. Secundò defumitur ex Basilio can. suo 40. vbi id clarè supponit.

Nihilominus Doctores conueniunt, mancipia non solum validè, sed etiam licitè posse inuitis dominis

Sancius.
Couarr.
Henriquez.

Sancius.
Couarr.
Henriq.
Ochagau.
Aristotel.

Vasquez.
Basilius.
Gregorius
Lopez.

10
Concilium
Cabilon.

Basilius.

dominis matrimonia contrahere, quod manifestè supponitur in cap. 1. de Coniugio seruorum. Et in primis, quòd possent validè contrahere, probatur; quia mancipium non est inhabile ad contrahendum contra voluntatem domini, quia non Iure aliquo positiuo, quia nullum extat; neque naturali, quia traditio mancipij ad obsequia humano modo præstanda domino non est impossibilis cum traditione corporis mancipij ad proles generationem. Deinde quòd possint licitè, patet; quia id non est prohibitum Iure positiuo, vt patet; neq; naturali, quia contractus matrimonij, & eius vsus temporibus opportunis non impedit obsequia, domino humano modo præstanda. Vnde domini nequeunt licitè matrimonia mancipiorum impedire, vt supponitur in dicto cap. 1.

- 11 Ad rationem ergo difficultatis respondemus, Patres Concilij Cabilonensis, & Basilium locutos fuisse iuxta Ius antiquum positiuum, quo eo tempore (vt Henriquez refert lib. 11. c. 10.) matrimonia mancipiorum contra voluntatem domini erant irrita. Addimus tamen, in Concilio Cabilonensi tantum dici non esse dissoluenda, quando voluntate domini contracta sunt, ex quo non necessariò infertur, esse dissoluenda quando contracta sunt contra voluntatem domini; & in canone illo Basilij, in Græco non contineri nullitatem eorum matrimoniorum, sed exaggerationem quamdam, vt ex nostro Turriano refert Sancius disp. 21. num. 10.

DIFFICULTAS VI.

Vtrum mancipium teneatur potius satisfacere domino, quam coniugi.

- 12 Circa hanc rem non parum variant Doctores, quia alij affirmant, præferendum esse dominum; alij præferendum esse coniugem; alij verò eum esse præferendam, cui maius damnum imminet ex eo quod ei non satisfiat, & quando vtrique æquale damnum imminet, satisfaciendum esse domino, quando ipse non annuit matrimonio; coniugi verò, quando ex licentia domini factum fuit.
- 13 Nos tamen existimamus, quòd si matrimonium fuit prius initum, quàm seruitus contracta, potius esse satisfaciendum coniugi rationabiliter petenti, attenta seruitute; at si seruitus fuit prius con-

tracta quàm matrimonium initum, potius satisfaciendum esse domino rationabiliter præcipienti, attento coniugio, vt significatur in cap. 1. de Coniugio seruorum, dum dicitur dominis exhibenda esse debita & consueti seruiticia à mancipio, quantumuis matrimonium contrahat. Ratio vtriusque partis est, quia qui prior est tempore, prior est Iure, quia iuri iam acquisito nullus præiudicare potest.

DIFFICULTAS VII.

Vtrum dominus possit vendere mancipium coniugatum ad partes remotas.

Difficultas tantum procedit, quando ob venditionem ad partes remotas impediendus est vsus coniugalis ex eo, quòd coniux mancipij impeditus sit mancipium venditum comitari; quia quando comitari potest, certum est vendi posse ad partes remotas.

Circa difficultatem ergo variant Doctores; quia alij absolutè docent, dominum posse; alij absolutè docent, non posse; alij verò, posse, quando mancipium contraxit absque voluntate domini; & non posse, quando ex eius licentia contraxit.

Nos tamen existimamus, quòd si matrimonium mancipij fuit prius factum quàm seruitus contracta, dominus non possit vendere ad partes remotas, quando impediendus est vsus matrimonij, quia tunc coniux mancipij potior est iure quàm dominus; at si seruitus fuit prior, dominus (quamuis Iure Castellæ L. 1. tit. 5. p. 4. non possit) tamen Iure naturali potest, quamuis vsus matrimonij sit impediendus, quando absque notabili incommodo nequit non vendere ad partes remotas; quia si absque eo possit, ratio exigit vt mancipium & eius coniux non impediatur à iure vtendi matrimonio; quia dominus, supposito matrimonio mancipij, ad quod celebrandum habuit ius, tenetur ad id attendere quantum commodè possit: dominus enim mancipium coniugatum nequit tantum occupare, quantum possit non coniugatum.

Quomodo verò post matrimonium factum possit maritus se vendere in mancipium, inuita vxore (quamuis nequeat in Prouincijs subiectis Legibus Castellæ) & non possit vxor inuito marito, docet Sancius lib. 7. à disp. 22. & benè, quidquid dicat Basilius lib. 7. cap. 44.

DISPUTATIO XV.

De Voto.

DIFFICULTAS VNICA.

Quomodo Votum solemne castitatis dirimat Matrimonium.

- 1 SUPPONIMVS Primò, votum simplex castitatis non dirimere matrimonium cōtrahendum (vt constat ex cap. vnico de Voto, in 6. & ex c. Consultat. 4. & ex c. Rursus. 6. Qui Clerici, vel vouentes) excepto voto simplici castitatis, cum aliis duobus votis simplicibus post biennium nouitatus in nostra Societate emissis, quod cum eis illud dirimit Iure Ecclesiastico, habito in Bulla Ascendente Domi-

no edita à Gregorio XIII. Secundò supponimus, votum solemne castitatis in Religione emissum dirimere matrimonium Iure Ecclesiastico, vt constat ex dicto cap. vnico, & ex Tridentino sess. 24. can. 9. & non dirimere Iure diuino, quia de hoc Iure nullatenus constat.

Est tamen difficultas, An dictum votum sua naturali vi & efficacia, seu suo Iure naturali dirimat matrimonium.

Durandus in 4. dist. 28. qu. 1. Dominicus Sotus 7. de Iustitia qu. 2. ar. 5. Petrus Sotus lect. 5. de Matrimonio, & Couarruias 2. par. Epitome capit. 7. §. 4. partem affirmatiuam tuentur, quia per votum solemne castitatis in Religione quis tradit se Deo, & ius quod habet ad nuptias; in quo distinguunt

2
Durandus.
Dominic.
Sotus.
Petrus Sotus.
Couarruias.

stingui videtur à voto simplici castitatis, quod tantum continet promissionem, & non traditionem; ergo qui solemniter vouit castitatem, nequit ex natura ipsius voti solemniter castitatis validè tradi alteri vt coniugi, seu ad vsum oppositum castitati.

Scotus.
Sancius.
Aegidius.
Vasquez.

3 Scotus verò in 4. dist. 38. quæst. vnica, Sancius lib. 7. disp. 26. Aegidius disp. 31. dub. 6. & Vasquez 1. 2. disp. 165. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia voto solemniter castitatis quis non aliter se ipsum, & ius quod habet ad nuptias, tradit Deo, quàm se ex virtute Religionis, & non iustitiæ, obligando ad seruandam castitatem, sicut voto simplici: ergo potest validè se ipsum alteri ex iustitia in matrimonium tradere ad vsum contra castitatem, sicut post votum simplex castitatis. Antecedens patet, & Consequentiâ probatur: quia traditio seu obligatio ex Religione Deo, & tradi-

tio seu obligatio alteri vt coniugi, ex iustitia optimè compatiuntur; quia sunt diuersæ rationis, & disparatæ: & id constat in eo, qui post matrimonium consummatum ex licentia alterius coniugis, vouet solemniter castitatem in Religione, in quo simul sunt dictæ traditiones seu obligationes. Vnde votum solemniter castitatis non differt à simplici, quia vno vouens tradatur Deo, & altero non; sed votum dicitur solemniter ex eo solum, quod fiat sub certa regula approbata sub Superiore, cui vouens se in perpetuum tradit, & à quo in perpetuum acceptatur. de quo Vasquez latius vbi supra cap. 8.

4 Obseruandum est, Religiosos & Moniales matrimonium contrahentes, & eos qui cum Monialibus contrahunt, incurrere ipso facto excommunicationem latam in Clementina vnica de Consanguinitate.

DISPUTATIO XVI.

De Ordine.

DIFFICULTAS I.

Quomodo Ordo sacer dirimat Matrimonium contrahendum.

1 **S**UPTONIMVS, primam tonsuram, & quatuor minores Ordines, non dirimere matrimonium, imò neq; impedire; quia non suâ naturâ, seu suo iure naturali, vt patet, neque iure aliquo positio, quia nullum extat: Ordinem verò sacrum, etiam Subdiaconatus, dirimere ex iure Ecclesiastico matrimonium contrahendum, vt constat ex cap. 1. & 2. Qui Clerici vel vouentes, & ex cap. vnico, de Voto, in 6. & ex Tridentino sess. 24. can. 9. Quod Ordo sacer efficit non tantum ratione voti solemniter castitatis, seu Iuris Ecclesiastici annexi ipsi voto solemniter castitatis, vt dicitur in dicto cap. vnico, sed etiam ratione sui, seu ratione Iuris Ecclesiastici sibi annexi, vt contra Bellarminum & Basilium cap. 27. docent Scotus in 4. dist. 37. & Rebellus lib. 3. quæst. 12. quia in dictis capp. 1. & 2. id absolutè tribuitur Ordini sacro, nulla facta mentione voti: & id non leuiter significatur in dicto can. 9. Tridentini.

Scotus.
Rebellus.

Est tamen difficultas, An Ordo sacer etiam iure naturali & diuino dirimat matrimonium.

2 Circa quam, pauci quibusdam Doctoribus exceptis, reliqui communiter docent, Ordinem sacrum ratione voti solemniter sibi annexi non dirimere matrimonium iure naturali; & meritò, ob eandem omnino rationem, ob quam Disputatione & Difficultate præcedenti diximus, votum solemniter castitatis in Religione emissum, non dirimere iure naturali matrimonium: nec Ordinem sacrum ratione dicti voti sibi annexi dirimere iure diuino positio, quia de eo iure nullatenus constat.

3 Imò Ordo ipse sacer (quamuis à Christo institutus) ratione sui, dicto voto secluso, non dirimit matrimonium iure diuino positio, quia de eo non constat; neque iure naturali, quia Ordo sacer suâ naturâ non est impossibilis cum traditione, qua quis alteri tribuit dominium sui corporis ad vsum conjugalem, vt patet. Ordo er-

go sacer tam ratione sui quàm ratione voti sibi annexi, tantum dirimit matrimonium iure Ecclesiastico, vt optimè aduertunt Rebellus lib. 3. quæst. 4. Vasquez 3. par. dist. 249. cap. 2. & plures alij.

4 Obseruandum est, Clericos in Sacris, qui matrimonium contrahunt, incurrere ipso facto excommunicationem latam in Clementina vnica de Consanguinitate.

DIFFICULTAS II.

Vtrum Ordo sacer ante vsum rationis susceptus dirimat Matrimonium.

4 **S**ancius lib. 7. disp. 30. Vasquez 3. p. disp. 246. Anum. 25. Henriquez lib. 12. cap. 5. & Aegidius de Sacramento Ordinis disput. 20. docent, Ordinem sacrum susceptum ante vsum rationis non dirimere matrimonium, imò neque prohibere; quia non ratione sui, seu Iuris Ecclesiastici ipsi annexi (quia credi non potest, Ecclesiam velle in eo statu initiatum suo iure comprehendere); neque ratione voti castitatis Ordini annexi, quia votum nequit esse absque vsum rationis. Quod etiam docent de Ordine sacro suscepto per vim, seu metum grauem iniustum. Quod Vasquez & alij extendunt ad Ordinem sacrum, susceptum cum ignorantia iuris & voti Ordini annexorum.

Sancius.
Vasquez.
Henriq.
Aegidius.

Paludanus verò in 4. dist. 37. quæst. 1. artic. 1. Antoninus 3. p. tit. 1. c. 8. Ledesma 2. par. 4. q. 55. art. 4. & Rebellus lib. 3. quæst. 12. docent, Ordinem sacrum susceptum ante vsum rationis dirimere matrimonium, & meritò, non ratione voti annexi, quia absque vsum rationis nequit votum fieri, adhuc implicite; sed ratione sui, seu ratione Iuris Ecclesiastici ipsi Ordini annexi: quia ius Ecclesiasticum dirimens matrimonium est absolutè annexum Ordini sacro, non minus quàm iura Ecclesiastica sunt annexa Baptismo: ergo sicut iura Ecclesiastica comprehendunt baptizatum ante vsum rationis, ita etiam ius Ecclesiasticum dirimens matrimonium annexum Ordini sacro comprehendit Sacris initiatum ante vsum rationis.

Et idem ob eandem rationem dicendum est, vt optimè

vt optimè dicti Doctores, de Ordine sacro, metu quantumvis grauissimo, voluntariè suscepto, imò etiam credimus, tunc non tantùm dirimere ratione iuris ipsi annexi, sed etiam ratione voti solemnitis castitatis ipsi annexi. Et ob eandem rationem idem est dicendum de Ordine sacro cum ignorantia, quamuis inuincibili dicti iuris & dicti voti suscepto, vt contra Valquez docet Sancius disp. 27. quantumvis tunc non ratione voti, quando Ordo suscipitur cum ignorantia inuincibili annexionis voti, quia sic ignorans voti annexionem, id non efficit adhuc implicite.

Sancius.

Et multò meliùs Ordo sacer ante pubertatem post vsum rationis susceptus dirimit matrimonium, vt contra Sancium docet Egidius, & tunc non tantùm ratione Iuris Ecclesiastici ipsi Ordini annexi, sed etiam ratione dicti voti, quia votum istud, quamuis solempne, validè fieri potest ante decimum sextum annum, etiam si ante eum professio solempnis in Religione sit nulla, ob peculiarem dispositionem Iuris circa professionem, quæ non est circa dictum votum, quamuis solempne.

Egidius.

DISPUTATIO XVII.

De Cognatione naturali, seu ex sanguine, quæ dicitur consanguinitas.

DIFFICULTAS I.

Quid sit Consanguinitas, & quomodo eius gradus computentur.



CIRCA prius, consanguinitas (quæ dicitur quasi sanguinis vnitas) definiunt, quòd sit propinquitas duarum personarum per carnalem propagationem contracta, quarum ambe ex eadem descendunt, vel vna ex altera. Vnde consanguinitas est quædam mutua relatio seu habitudo coniunctionis in sanguine, requireris pro cõditione natiuitatem.

Distinguitur autem consanguinitas per gradus & lineas. Gradus est habitudo coniunctionis vnus consanguinei ad alterum, ac proinde requirit duo extrema, vnum tamquam subiectum, & alterum tamquam terminum. Linea verò est plurimum habitudinum coniunctionis consanguineorum ordinata collectio. Linea autem est duplex, vna recta, altera transuersalis seu collateralis. Recta est collectio habitudinum eorum consanguineorum, quorũ vnus ab alio originatur. Transuersalis verò est collectio habitudinum ab eodem stipite descendentiũ, quorum nullus originatur ab alio. Recta autem est duplex, per solam nostram rationem duplicata: vna est ascendentiũ, quæ est collectio habitudinum prout considerantur ab stipite versus descendentes: altera descendentiũ, quæ est collectio habitudinum prout inuerso ordine considerantur à descendentiũ versus stipitem.

Circa posterius, ad dignoscendos seu numerandos gradus, triplex regula à Doctoribus traditur. Prima est: In linea recta tot gradibus vnus alteri coniungitur, & ab eo distat, quot generationibus vnus descendit ab altero. Vnde filius est in primo gradu cum patre, quia ab eo vna generatione descendit; & nepos est in secundo cum auo, quia ab eo descendit duabus generationibus, vna, qua suus pater immediatè descendit ab illo, & altera, qua ipse immediatè descendit à patre suo, medio quo descendit à suo auo.

Secunda regula habita in can. Ad sedem. & in can. Parentela. 35. q. 5. est: In linea transuersali equali tot gradibus vnus coniungitur alteri, & ab eo distat, quot quilibet coniungitur suo communi stipiti

proximo, & ab eo distat, quia tantùm ratione illius coniunguntur, & in ordine ad illum distant. Vnde duo fratres inter se sunt in primo gradu; quia in eo gradu sunt cum suo communi stipite proximo, medio quo inter se coniunguntur, & in ordine ad quem distant.

Tertia regula habita in cap. fin. de Consanguinitate est: In linea transuersali in equali tot gradibus vnus coniungitur alteri, & ab eo distat, quot is, qui remotior est à communi stipite proximo, ei coniungitur. & ab eo distat, quia solùm coniunguntur ratione communis stipitis proximi; ac proinde neque inter magis inter se coniungitur, quàm remotior illi coniungitur. Vnde patruus & consobrinus sunt in secundo gradu, quia consobrinus est in secundo cum proximo stipite amborum.

Obseruandum est, in prima regula, conuenire Ius ciuile cum canonico, non verò in secunda, neque in tertia; quia Ius ciuile numerat omnes gradus qui reperiuntur in duabus personis, quæ transuersaliter comparantur. Vnde Iure ciuili duo fratres sunt in secundo gradu; quia in quolibet est vnus gradus respectu proximi stipitis, vtrique communis; & patruus & sobrinus in tertio, & duo filij duorum fratrum in quarto.

DIFFICULTAS II.

Vtrum Consanguinitas dirimat Matrimonium Iure aliquo positiuo.

Conueniunt Doctores, consanguinitatem nullo Iure diuino dirimere matrimonium; quia non Iure aliquo Euangelico, quia nullum circa hoc exstat; neque Iure aliquo veteri, quia quamuis in veteri lege Leuitic. 18. consanguinitas in aliquot gradibus dirimeret matrimonium, etiam in primo linea rectæ, in quo etiam dirimit iure naturali; tota tamen lex vetus, vt positiuã, cessauit morte Christi; dirimere tamen Iure Ecclesiastico, vt constat ex capp. statim citandis.

Obseruandum est, quòd quamuis consanguinitas olim dirimeret vsque ad septimum gradum inclusiue, vt constat ex can. Ad sedem. 35. quæst. 5. iam tamen non dirimit nisi vsque ad quartum gradum, inclusiue tamen, vt constat ex cap. Non debet. 8. de Consanguinitate.

copula inter fratrem & sororem est mutua irreuerentia ob tantam sanguinis coniunctionem, ergo contractus matrimonij ad copulam ordinatus, nequit esse validus inter illos.

12
Scotus.
Caietanus.
Ægidius.
Basilus.

Scotus verò in 4. dist. 40. Caietanus. 2. 2. q. 154. art. 9. Ægidius d. 32. num. 19. & Basilus cap. 32. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia nullo sufficienti fundamento ostendi potest, ex natura rei, seu Iure naturali deberi reuerentiam consanguineis, qui non sunt ascendentes, & naturaliter superiores: ergo absque sufficienti fundamento dicitur, in copula inter ipsos irreuerentiã reperiri ex natura rei, & eorum matrimonium ad eam ordinatum, esse ex natura rei nullum, imò & esse illicitum, quamuis ob tantam sanguinis coniunctionem in primo gradu indecentia manifesta repe-

riatur in copula inter eos, & in matrimonio ad eam ordinatum: ob quod ferè ab omnibus gentibus fuit Iure positio vetitum. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Innocentius autem III. vbi suprã tantum definiuit id quod certum erat circa id quod sibi fuit propositum, an scilicet coniuges consanguinei in secundo & vltioribus gradibus conuersi ad fidem essent separandi: circa consanguineos verò in primo, quia sibi non fuit propositum, nihil definiuit.

Ex dictis constat, ex quatuor gradibus consanguinitatis olim prohibitis Leuit. 18. duobus lineæ rectæ, & duobus transuersæ, duo tantum lineæ rectæ, qui erant primus & secundus, dirimere matrimonium Iure naturali.

DISPUTATIO XVIII.

De Cognatione spirituali.

DIFFICULTAS I.

Quid & quotuplex sit Cognatio spiritualis.



COGNATIO spiritualis est propinquitas quadam inter aliquos ex Baptismo & ex Confirmatione proneniens, vt deducitur ex cap. finali de Cognatione spirituali, in 6. quæ Iure adhuc antiquo

tantum erat triplex, nempe paternitas, compaternitas, & confraternitas. Paternitas, vt inter baptizantem & baptizatum, & inter confirmantem & confirmatum, & inter paternos ex vna parte, inter quos numquam fuit nec est cognatio aliqua; & confirmatum & baptizatum ex altera. Compaternitas, vt inter parentes carnales baptizati & confirmati ex vna parte, & baptizantem & confirmantem, & paternos ex altera; imò compaternitas viri suscipientis de sacro Fonte cum patre carnali baptizati Iure antiquo etiam transfundebatur in vxorem antea cognitam. Confraternitas, vt inter baptizatum & confirmatum ex vna parte, & inter filios carnales baptizantis & confirmantis, & paternos ex altera, vt constat ex cap. 1. de Cognat. spirituali, in 6. & ex cap. *Martinus*. 1. & ex cap. *Veniens*. 7. de Cognat. spirituali, & ex can. *De eo*. 30. quæst. 1.

Trident.

Iure tamen nouo Tridentini sess. 24. can. 2. de Reformatione matrimonij, cognatio spiritualis restricta est, dum dicitur: *Sancta Synodus statuit, vt vnus tantum, siue vir siue mulier, & ad summum vnus & vna baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos & baptizatum, & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatiq; patrem & matrem tantum, spiritualis cognatio contrahatur.* Et infra: *Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiusq; patrem & matrem, ac tenentem non egredietur.* Vnde Iure Tridentini confraternitas spiritualis est omnino extincta, & compaternitas inter paternos ex vna parte, & baptizantem & confirmantem ex altera, & transfusio cognationis mariti patris Baptismi in vxorem.

2
Obersuandum est Primò, omnes dictas cogna-

tiones spirituales, etiam quæ perseverant post Tridentinum, Iure tantum Ecclesiastico introductas esse; nihilominus inter baptizantem & baptizatum, & inter confirmantem & confirmatum, præter cognationem paternitatis & filiationis, Iure Ecclesiastico inductam ex eo præcisè quòd quis baptizet, quamuis non iustificet, & ex eo præcisè quòd quis confirmet, quamuis non iustificet, etiam esse inter eos alteram paternitatem & filiationem spirituales, quando medio Baptismo & Confirmatione fit iustificatio, ortam ex Iure diuino naturali; qua supposita, diuina institutione Baptismi per modum generationis seu conceptionis in vtero Ecclesiæ, & supposita diuina institutione Confirmationis per modum natiuitatis quasi ex vtero Ecclesiæ, vt foris exponatur, ex eorum natura, quando iustificant, oritur relatio paternitatis & filiationis spiritualis, non verò ex natura aliorum Sacramentorum, quamuis conferant gratiam, & efficiant filium; quia illam non conferunt per modum generationis, neque natiuitatis, neque ex illis ex eo præcisè quòd administrantur, oritur Iure aliquo positio; quia nullum extat. imò in cap. finali de Cognat. spirituali, in 6. dicitur à Bonifacio VIII. ex nullo alio Sacramento cognationem spirituales oriri.

3
Bon. VIII.

Addunt nihilominus Sancius lib. 7. disp. 55. & Ægidius disp. 32. dub. 2. fornicationem Confessarij cum femina quæ ei ordinariè cõfiteretur, etiam continere malitiam mortalem sacrilegij, quia est peculiãrter prohibita intuitu reuerentiæ Sacramento Pœnitentiæ debitæ, in can. *Omnes*. & in can. *Si quis Sacerdos*. & in can. *Non debet*. 30. quæst. 1. Emanuel verò Sã v. *Confessio*. num. 25. & Basilus lib. 7. cap. 38. docent, dictam fornicationem non continere nouam aliquam malitiam supra malitiam luxuriæ contra castitatem, & non absque probabilitate, vt ait Ledesma de Matrimonio, quæst. 36. artic. 2. quia si aliquam aliam superadderet, vt antiquitus superaddebat, maxime incestus spiritualis, ratione cognationis spiritualis filiationis & paternitatis contractæ inter Confessarium & feminam pœnitentem, vt significatur in dictis tribus canonibus adductis, & non sacrilegij ratione reuerentiæ Sacramenti Pœnitentiæ: hæc tamen cognatio, si antea contrahatur,

batur, iam non contrahitur, quia abolita est vel contraria consuetudine, vel ad minus dicta Constitutione Bonifacii VIII. in cap. fin. de Cognatione spirituali, in 6.

Addimus tamen, peccatum luxuriæ cum femina penitente commissum in ipsa confessione (id est, post signum Crucis, & ante absolutionem perfectam) illam sollicitantis, addere malitiam sacrilegij contra reuerentiam Sacramenti Penitentia; quia prohibitum est intuitu reuerentia; illius.

5 Obseruandum est Secundò, quamcumque cognationem spiritualem ex assignatis à Tridentino, dirimere matrimonium contrahendum Iure Ecclesiastico, habito in Iuribus ad principium Difficultatis citatis, & nullam, adhuc illam paternitatis quæ oritur ex Iure diuino naturali, dirimere, imò neque impedire Iure naturali, vt patet. Cognationem verò, quæ aduenit matrimonio iam contracto, non impedire petitionem debiti, diximus Disputat. x. Difficultate vi.

DIFFICULTAS II.

Vtrum non baptizatus contrahat cognationem spiritualem.

6 **C**onueniunt communiter Doctores, non baptizatum, quamuis baptizet, & sit patrinus, non contrahere cognationem spiritualem dirimentem matrimonium. (Ita Sancius l. 7. dub. 60. *Ægidius* cap. 32. num. 25.) quia nulla cognatio spiritualis dirimit matrimonium nisi Lege Ecclesiastica, cui nullus, antequam sit baptizatus, subditur; imò nulla cognatio spiritualis contrahitur nisi Iure Ecclesiastico, excepta illa paternitatis & filiationis, orta ex administratione Baptismi & Confirmationis quando iustificat, & consequenter non baptizatus nullam contrahet nisi paternitatis quando baptizat, & Baptismo iustificat. Imò baptizatus non confirmatus, qui est patrinus in Confirmatione, nullam contrahit cognationem spiritualem, vt contra Paludanum & Rebellum docent Sancius, *Ægidius* & *Basilus* cap. 37. vt deducitur ex can. *In Baptismate*. de Consecratione, d. 4. dum in eo satis denotatur, non baptizatum non posse validè esse patrinum in Baptismo, neque non confirmatum in Confirmatione, ac proinde ex eo actu, vt pote nullo, non contrahitur cognatio.

*Sancius.
Ægidius.
Basilus.*

7 Vnde, quia non baptizatus, qui tenuit aut suscepit in Baptismo filium Mariæ baptizatae, nullam contrahit cognationem spiritualem cum filio Mariæ, neque cum ipsa Maria, ideò neque filius Mariæ, neque ipsa Maria cum illo non baptizato, quia dicta cognatio est mutua. Et quamuis postea ille baptizetur, non confurget cognatio, vt contra Siluestrum & Toletum docent Sancius & *Ægidius*; quia tunc nullum est fundamentum ex quo possit resurgere, ac proinde ille postea baptizatus poterit contrahere cum Maria. Nihilominus si baptizatus teneat aut suscipiat in Baptismo filium Mariæ non baptizatae, si postea Maria baptizetur, confurget in ea cognatio compaternitatis, ac proinde non poterit contrahere cum eo qui eius filium tenuit aut suscepit, vt contra Sancium docent *Ægidius* & *Henriquez*, quia ex cognatione tunc orta inter dictum patrinum & filium Mariæ, postea

*Sancius.
Ægidius.*

*Ægidius.
Henriq.*

in Maria, quando fit capax, oritur cognatio compaternitatis; quia hæc non oritur immediatè ex Baptismo, sed mediante relatione paternitatis patris, quando parens filij est, aut fit capax dictæ compaternitatis.

Cognatio tamen paternitatis, quæ Iure diuino naturali oritur in non baptizato baptizante filium Mariæ, & cum iustificante, non dirimit matrimonium, etiam quando ille baptizans baptizatur; quia cognatio paternitatis quæ dirimit matrimonium, non est quæ oritur ex diuino Iure naturali, ex eo quòd quis baptizet & iustificet, sed illa quæ oritur ex Iure Ecclesiastico, ex eo præcisè quòd quis baptizet, quamuis non iustificet; & hæc non oritur in baptizante, quando ipse non est baptizatus, quia tantum oritur ex Iure Ecclesiastico, cui non baptizatus non est subiectus.

8 Obseruandum est, quemcumque baptizatum aut confirmatum, quantumuis hæreticum, quamcumque cognationem contrahere, etiam introductas ex Iure Ecclesiastico, quia etiam hæreticus est subiectus Iuri Ecclesiastico, & validè exercet munus patris, & administrantis dicta Sacramenta.

DIFFICULTAS III.

Quis actus requiratur in patrinis, vt contrahant cognationem spiritualem.

9 **C**onueniunt Doctores, ad contrahendam cognationem spiritualem requiri in patrinis actum tenendi baptizatum aut confirmatum, dum baptizatur aut confirmatur, vel actum suscipiendi baptizatum de manibus baptizantis, vbi baptizans tenet infantem; quia Iura, quibus dicta cognatio inducitur, vtuntur dictis aut æquivalentibus verbis, nempe, *suscipit, accipit, tenet, leuat*, vt constat ex quinque primis canonibus, 30. q. 1. & ex Tridentino sess. 24. c. 2. & ex alijs iuribus; & etià vtuntur verbo *tangit*, quod intelligitur de tactu suscipiendi aut tenendi, aut alio æquivalente, præcipuè de tactu, quo adultus tactus, quamuis non subleuatus, dicitur teneri, & quòd efficere tenetur patrinus adulti ex vi sui officij: quòd si id non efficiat, non solum non satisfacit suo muneri, sed neque contrahit dictam cognationem, etiam si assistat quasi se offerens, aut in suam curam suscipiens adultum, vt contra Sotum & Sa docet Sancius disp. 56. Et multò minùs eam contrahet matrigna, quando ipsa non tenet neque suscipit immediatè de manu baptizantis, quamuis suscipiat de manu patris.

Tridens.

Sancius.

10 Præter actum tenendi, vel suscipiendi, vel æquivalentem, non requiritur responsio pro puero, dum fit catechismus, ad contrahendam dictam cognationem, vt contra nonnullos docet Sancius lib. 7. disp. 56. *Basilus* lib. 7. cap. 39. & communiter Doctores: quia in Iuribus, quibus inducitur dicta cognatio ex Baptismo & ex Confirmatione, nulla requiritur responsio; imò in ipso Baptismo & Confirmatione nulla est interrogatio neque responsio, sed tantum in catechismo (qui regulariter comitatur Baptismum) in quo patrinus ex vi sui officij profiteretur fidem pro paruulo, non autem in Baptismo: non est autem necessarium, quòd in catechismo sit idem patrinus, etiam si, quando catechismus comitatur Baptismum, idem sit in vtroque. Ex catechismo tamen, secluso Baptismo, non oritur cognatio matrimonium

*Sancius.
Basilus.*

11

nium

nium dirimens, imò, post Tridentinum, neque impediens, vt dicemus Disput. xv. Difficult. i.

Præter actum tamen externum tenendi aut suscipiendi, etiam requiritur intentio libera eum actum efficiendi, vt docet Sancius disp. 58. quia non contrahitur dicta cognatio, nisi ob actum exteriorem humanum, qui absque dicta intentione non est talis: imò requiritur intentio efficiendi eum actum vt patrinus, vt aduertit Basilius; sed non requiritur intentio contrahendi eam cognationem, quia non contrahitur immediatè ex voluntate, sed ex Iure Ecclesiastico immediatè annexo dicto actui exteriori humano: imò neque requiritur intentio efficiendi actum illum vt cærimoniam, seu vt cærimoniam ab Ecclesia institutam (etiam si regulariter fiat sic saltem confusè) vt contra Sancium & Ægidium docent Lopez 2. Parte Instructorij cap. 51. & Gallego de Cognatione spiritali c. 14. quia ad cognationem contrahendam nihil aliud requiritur in Iure, ex quo introducta est, quàm actus ille exterior physicus liberè factus à patrino vt patrino. Nihilominus qui baptizat absque intentione efficiendi Baptismum vt cærimoniam à Christo institutam, saltem confusè, intendendo videlicet efficere quod Ecclesia facit, non contrahit dictam cognationem, quia non validè baptizat ex defectu intentionis à Christo requisitæ: patrinus autem absque dicta intentione validè exercet officium patrini, quia dicta intentio non requiritur ad id.

DIFFICULTAS IV.

Utrum quando plures quàm vnus & vna tenent aut suscipiunt baptizatum, omnes contrahant cognationem spiritali.

13 **Q**uamuis Iure antiquo, can. *Non plures*. de Consecratione, dist. 4. & cap. fin. de Cognatione spiritali, in 6. prohibitum fuerit, plures patrilinos in Baptismo & Confirmatione adhiberi, & fuerit decretum, quòd si, ea prohibitione non obstante, plures essent patrini, omnes dictam cognationem spiritali contraherent: iam tamen Iure nouo Tridentini sess. 24. c. 2. permittitur, quòd in Baptismo possint duo, vnus & vna tenere aut suscipere in Baptismo; vbi additur, eos esse designandos ab eis, ad quos designatio spectet, & quòd ab alijs ultra designatos, quamuis efficiant actus patrini, nõ contrahatur cognatio spiritalis. Quòd verò docet Sancius lib. 7. disp. 56. n. 9. nempe id quod addidit Tridentinum, & restrinxit circa patrilinos in Baptismo, etiam extendi ad patrilinos in Confirmatione, absq; fundamento dicitur; ac proinde Ius antiquum quoad patrilinos in Confirmatione in suo robore manet.

14 Designatio autem patrini spectat ad parentes, aut ad alios quibus incumbat cura baptizandi, vt innuitur in Tridentino; in eorum verò defectu pertinet ad baptizantem, quia ei incumbit quòd Baptismum legitimè celebretur, quod non fieret absque patrino.

Ex dictis constat, designare & admittere in Baptismo plures quàm vnum & vnã, esse peccatum, vt pote contra prohibitionem antiquam & Tridentini, & esse mortale, vt contra Sancium

docent Rodriguez & Vega; & non esse peccatum, adhuc veniale, maritum & vxorem designari & admitti patrilinos alienæ sobolis, vt contra Suarez & Gallego docent Sancius & alij, quia id nullibi prohibitum est, vt fatetur Urbanus II. in can. fin. 30. quæst. 4.

His suppositis, Primò est difficultas, An quando, non obstante statuto antiquo & Tridentini, plures quàm duo, quorum nullus sit designatus, tenent aut suscipiunt in Baptismo, aut si tantum duo, ambo tamen aut sunt mares, aut sunt feminae, omnes contrahant cognationem spiritali.

Sancius lib. 7. d. 57. & Ægidius d. 32. num. 29. docent, nullum eorum contrahere cognationem spiritali, siue simul siue successiuè teneant aut suscipiant, quia deficiente designatione nullus eorum est verè patrinus, quia Tridentinum eam requirit ad officium patrini: & hac ratione (si efficax est) quamuis vnus tantum teneat aut suscipiat, quando non est designatus, non erit verè patrinus, neque cognationem contrahet, quod Ægidius supponit esse verum.

Henriquez verò l. 12. c. 11. & Rebellus l. 3. q. 6. docent, omnes illos cognationem contrahere, siue simul siue successiuè teneant aut suscipiant, & meritò; quia, vt quis sit validè patrinus, non requiritur à Tridentino designatio (id enim nullo verbo indicatur) sed tantum statuit, quòd Parochus non admitrat in patrilinum nisi designatum ab illis ad quos id spectat, & quòd si alij præter designatos teneant aut suscipiant, non contrahant cognationem. Pro eo autem casu, in quo nullus sit designatus, nihil statuit. Ergo in hoc casu standum est Iuri antiquo cap. fin. de Cognatione spiritali, in 6. iuxta quod omnes tenentes contrahunt illam; quia à Iure antiquo non est recedendum, nisi quoad correctã aut exceptã in nouo.

Secundò est difficultas, An quando plures, quàm à Tridentino permittuntur, designantur, & verè tenent aut suscipiunt, contrahant omnes cognationem spiritali. Procedit autem, quando omnes simul incipiunt tenere aut suscipere.

Suarez 3. p. q. 67. art. 8. docet, tunc nullum contrahere cognationem: quia tunc nullus obit munus patrini modo statuto à Tridentino, nempe totaliter; aut si partialiter, sociando tantum alium diuersi sexus. Sancius verò, Ægidius & Basilius c. 30. docent, tunc omnes contrahere cognationem, & meritò; quia quamuis Tridentinum statuat & præcipiat, vt non designetur nisi vnus, aut ad summum vnus & vna, non tamen irritat designationem plurium duobus. Et quamuis irritaret, non obstaret ad contrahendum cognationem; quia, vt iam diximus, defectus designationis non obest ad validè obeundum munus patrini: imò neque ad contrahendam cognationem, nisi quando ultra designatos alij non designati etiam tangunt (id est tenent aut suscipiunt) vt ex Tridentino constat.

Et in casu dicto, quando scilicet plures quàm vnus, aut quàm vnus & vna, designati tenent aut suscipiunt, non solum vnus, aut vnus & vna, qui prius incipiunt tenere aut suscipere, contrahunt cognationem (in quo Doctores conueniunt) sed etiam illi, qui post vnum, aut post vnum & vnã, incipiunt tenere aut suscipere, quidquid Basilius dicat: quia tunc etiam illi qui posteriùs incipiunt, sunt verè designati & admissi, & exercent actum patrini, non minus quàm qui prius inceperunt.

DIFFICULTAS V.

Vtrum qui per procuratorem seu substitutum exercet munus patris, contrahat cognationem spirituales.

Sancius.
Henriq.

Sancius lib. 7. d. 59. & Henriquez lib. 11. negant, Primò, quia Iura, quibus dicta cognatio inducitur, requirunt ad id factum patris, quem non habet qui per procuratorem tenet aut suscipit. Secundò, quia qui tribuit commissionem ad baptizandum, non contrahit cognationem ex Baptismo factò à suo commissario; ergo.

Rebellus.
Ægidius.
Basilius.

Rebellus verò lib. 3. q. 6. Ægidius d. 32. num. 4. & Basilius c. 39. affirmant, & meritò: quia qui per procuratorem exercet munus patris, per eum tenendo aut suscipiendo, verè & validè exercet illud, vt generaliter constat ex eo, quòd quilibet potest per alium, quod potest per se ipsum, quando Iure aliquo non cauetur, vt nò cauetur in præfenti materia. Ex quo constat ad priorem rationem aduersariorum. Et ad posteriorem, concedendo Antecedens, negamus Consequentiam, ob manifestum discrimen, quia qui baptizat ex licentia seu ex commissione alterius, non baptizat nomine illius, eum representans, & vt eius procurator, neque dicitur per illum baptizare, sed tantum vt minister Christi & Sacramenti, quamuis ex licentia alterius.

18

Sancius.
Henriquez.
Ægidius.
Basilius.

Addimus, vt contra Sorum & Toletum docent Sancius, Henriquez, Ægidius & Basilius, ipsum procuratorem non contrahere dictam cognationem; quia quamuis ipse immediatè teneat, non tamen suo nomine, sed alieno, & ita ipse non dicitur patris; secus qui baptizat ex licentia seu commissione alterius, quia iste non baptizat nomine committentis, sed proprio, tamquam verus minister ad id à Christo designatus, ac proinde iste illam contrahit.

19

DIFFICULTAS VI.

Vtrum ex Baptismo non solemniter priuatim factò oriatur cognatio spiritualis, tam in patris quam in baptizante.

Nauarrus.
Ægidius.

Circa prius Nauarrus cap. 22. num. 40. Ægidius d. 32. num. 59. & Basilius c. 40. docent,

patris etiam in Baptismo priuatim factò (vt quando ob necessitatem domi fit) contrahere cognationem, quia tunc patris verè tenet aut suscipit.

Sorus verò in 4. dist. 42. quæst. 1. artic. 2. Sancius lib. 7. dub. 62. & Suarez 3. part. quæst. 67. art. 8. dub. vltim. docent, patris in Baptismo priuatim non contrahere cognationem, & meritò: quia tenio & susceptio baptizati in Baptismo instituta est ab Ecclesia vt carimonia in solemniter Baptismo, vt ad eius solemniter iuuat; ergo quando Baptismus non est solemniter, tenio aut susceptio (quæ tunc non est necessaria) si fit, non est carimonialis, neque fit eo modo quo carimonialis est, quia non fit vt est instituta ab Ecclesia in Baptismo, videlicet solemniter, ob eius solemniter; ergo ex eo actu non oritur cognatio, quia hæc tantum oritur ex eo vt carimoniali, & vt instituta ab Ecclesia, quamuis non fiat ex ea intentione, & de eo vt sic loquuntur Iura inducentia cognationem ex illo.

20
Sorus.
Sancius.
Suarez.

Addimus, vt optimè Sancius contra Suarez, id esse verum, etiam si qui in Baptismo priuatim tenet, intendat exercere munus patris; quia ea intentione non fit actum illum esse carimonialem, & fieri vt carimonialem, quia non fit eo modo quo institutus est ab Ecclesia.

Sancius.

Circa posterius conueniunt communiter Doctores, baptizantem, etiam priuatim, quamuis laicum, & in extrema necessitate, contrahere dictam cognationem. Ita Sancius disp. 62. quia Iura, quibus dicta cognatio inducitur, absolutè loquuntur de baptizante, nullum excipiendo, quamuis in cap. fin. de Cognatione spirituali, in narratione facti fiat mentio de baptizante qui fuit Sacerdos. Fatemur, in can. *Ad limina*. 30. quæst. 1. excipi parentes in necessitate proprium filium baptizantes, non quantum ad non dirimendum matrimonium subsequens (ac proinde pater, qui proprium filium ex concubina baptizat in necessitate, nequit cum illa validè contrahere) sed tantum excipiuntur, ne ob actum misericordie præceptum priuentur iure petendi, quo in can. 1. & 2. 30. quæst. 1. antiquitus priuabantur; eo tamen iam non priuari parentes, quamuis absque necessitate, & absque ignorantia proprium filium baptizent, diximus Disputatione x. Difficultate vi.

Sancius.

21

DISPUTATIO XIX.

De Cognatione legali.

DIFFICULTAS I.

Quid & quotuplex sit Cognatio legalis.

I



ADOPTIO (ex qua oritur cognatio legalis) est extranea personæ in filium, vel nepotem, vel deinceps, legitima assumptio. Dicitur extranea personæ, id est, personæ quæ non originatur naturaliter ab adoptante. Dicitur legitima assumptio, id est, secundum leges. Dicitur in filium, vel nepotem, vel deinceps, quia adoptio secundum leges non

fit in patrem, aut in fratrem, & idè adoptio dicitur imitari naturam, secundum quam pater generat filium, ob quod etiam dicitur generatio legalis.

Adoptio autem est duplex, vna Perfecta, quæ arrogatio dicitur, qua adoptatus transit in potestatem adoptantis, & fit heres illius necessarius, etiam ex testamento, & tantum fit auctoritate supremi Principis: altera est Imperfecta, seu simplex, quæ nomen adoptionis retinet, qua adoptatus non transit in potestatem adoptantis, quia per eam assumitur in filium ille, qui est sub potestate sui patris carnalis, & non est heres necessarius

rius

rius ex testamento, sed tantum ab intestato, & fieri potest auctoritate magistratus inferioris Principe.

- 2 Hoc ergo supposito, circa prius, cognatio legalis est *propinquitas ex adoptione promeniens*.

Circa posterius, triplex est species cognitionis legalis, alia in linea recta inter adoptantem & adoptatum, cuius fit mentio in Iure Cæsareo & Castellæ; alia in linea transversa seu laterali, inter adoptatum & filios carnales adoptantis, cuius fit mentio in Iure Cæsareo & Canonico; alia quasi affinitas inter adoptantem & uxorem adoptati, & e contra inter adoptatum & uxorem adoptantis, cuius mentio fit in Iure Cæsareo & Castellæ, de quo videri potest Sancius lib. 7. d. 63.

Sancius.

DIFFICULTAS II.

Utrum Cognatio legalis dirimat Matrimonium.

- 3 Conueniunt Doctores, cognitionem legalem, ortam ex adoptione, dirimere matrimonium, non Iure naturali, ut patet, sed positio Ecclesiastico, ut constat ex can. *Ita diligere*. & ex can. *Per adoptionem*. 30. quæst. 3. & ex cap. unico de Cognatione legali, approbantibus leges Cæsareas, quibus dicta cognatio dirimens fuit primò introducta.

Est tamen difficultas Primò, An cognatio, orta ex adoptione imperfecta, dirimat matrimonium.

Sancius.
Henriq.
Ægidius.

Sancius lib. 7. disp. 63. Henriquez lib. 12. c. 12. Ægidius d. 32. num. 34. & Ochagauiæ quæst. 58. negant; quia cum matrimonium sit res fauorabilis, Iura illud dirimentia ob adoptionem restringi debent ad perfectam. Imò addit Ochagauiæ, non impedire matrimonium.

Ochagauiæ.

Toletus.
Rebellus.
Basiliius.

Toletus verò lib. 7. cap. 4. Rebellus lib. 3. quæst. 7. & Basiliius cap. 41. affirmant, & meritò: quia Iura, quibus ex adoptione inducitur cognatio legalis dirimens matrimonium, loquuntur de adoptione absolutè, & absque distinctione aliqua; adoptio autem imperfecta, quamuis sit imperfecta, est tamen absolutè, & verè, & propriè adoptio: vnde dicta Iura non sunt restringenda ad cognitionem legalem ex adoptione perfecta.

- 4 Secundò est difficultas, An cognatio legalis secundum omnes tres suas species dirimat matrimonium.

Conueniunt Doctores, cognitionem legalem in linea recta dirimere matrimonium, ut constat ex can. *Ita diligere*. Idem quoque, paucis quibusdam exceptis, docent reliqui Doctores de secunda specie, nempe de cognatione legali in linea transversali, & etiam de tertia specie, nempe de affinitate legali, quòd scilicet etiam dirimat matrimonium, ut constat ex cap. unico de Cognatione legali, & ex can. *Per adoptionem*. 30. quæst. 3. ubi approbatur impedimentum cognitionis legalis, quasi in communi, & specialiter secunda species: & non obstat, quòd Iure scripto Canonico tertia species non sit specialiter approbata; quia sufficit quòd sit approbata sub cognatione legali, quasi in communi; præsertim quòd omnes tres species approbatae sunt consuetudine scita à Romanis Pontificibus, ut aduertit Sancius num. 17.

Sancius.

5 Obseruandum est, cognitionem legalem aduenientem matrimonio iam contracto, non impedire petitionem debiti, ut aduertunt Sancius & Basiliius, quia id nullo Iure cauetur.

Sancius.
Basiliius.

DIFFICULTAS III.

In quoto gradu, & quousque cognatio legalis duret, & dirimat Matrimonium.

6 Circa prius conueniunt Primò Doctores, affinitatem legalem, quæ est tertia species, tantum dirimere matrimonium adoptantis cum uxore adoptati, & e contra matrimonium adoptati cum uxore adoptantis, quia istæ tantum personæ Iure exprimentur, & redduntur inhabiles.

Conueniunt Secundò, cognitionem legalem in linea transversa, quæ est secunda species, dirimere matrimonium personæ adoptatæ cum filiis, aut filiabus carnalibus adoptantis; quia personæ istæ Iure ipso dirimente assignantur.

Est tamen difficultas, An inter adoptatum & adoptatam ab eodem adoptante sit cognatio legalis dirimens matrimonium.

Petrus Ledesma quæst. 57. art. 3. & Ochagauiæ quæst. 58. affirmant, sed absque Iure aliquo, & idèd Sancius disp. 63. Henriquez, Rebellus & Basiliius meritò negant.

Ledesma.
Ochagauiæ.
Sancius.
Henriq.
Basiliius.

Conueniunt Tertio Doctores, cognitionem legalem in linea recta, quæ est prima species, dirimere matrimonium inter adoptantem & adoptatum, quia personæ istæ Iure ipso dirimente exprimentur.

Est tamen difficultas, An dirimat etiam inter aliquas alias personas.

Antoninus 3. par. tit. 1. cap. 13. docet, contrahi, & dirimere inter adoptantem ex vna parte, & inter adoptatum eiusque descendentes in infinitum, ex altera. Nauarrus cap. 22. num. 45. Toletus & Basiliius docent, contrahi, & dirimere inter adoptantem ex vna parte, & inter adoptatum eiusque descendentes usque ad quartum gradum, ex altera. Henriquez lib. 12. cap. 12. inter adoptantem ex vna parte, & inter adoptatum eiusque filios ex altera.

Antonin.

Nauarrus.
Toletus.
Basiliius.

Henriq.

Sancius verò disp. 63. num. 34. docet contrahi, & dirimere inter adoptantem ex vna parte, & inter adoptatum eiusque descendentes qui erant sub potestate adoptati, quando fuit adoptatus, ex altera, & meritò: quia dicta cognatio contrahitur & dirimit inter adoptantem & adoptatum, ut Iure ipso exprimitur; adoptatam autem aliquam personam, etià censentur adoptari omnes personæ quæ erant sub potestate illius quando illa adoptabatur, ut exprimitur in L. *Si pater familias*. ff. De adoptionibus. Quòd verò non protrahatur ad alios descendentes personæ adoptatæ, constat; quia Iure, quo dicta cognatio inducitur, nulla alia persona exprimitur, nisi adoptans & adoptata, & nulla persona descendens censetur adoptata, nisi quæ erat sub potestate personæ adoptatæ quando adoptabatur.

8

Circa posterius conueniunt Primò Doctores, primam speciem lineæ rectæ, & tertiam affinitatis legalis, semel contractas, semper & in perpetuum durare, & dirimere matrimonium, etiamsi adoptio legitimè cesset, ut constat ex L. *Quin*

X x 4

etiam.

etiam. & ex L. *Adoptivus*. ff. De ritu nuptiarum, quæ approbatæ sunt Iure canonico tam consuetudine introducto, quàm scripto in can. 1. 30. quæst. 3.

- 9 Conueniunt Secundò, cognationem legalem in linea transuersa, quæ est secunda species, tamdiu tantùm durare, & consequenter etiam dirimere,

quamdiu durat adoptio, & quamdiu filij siue carnales siue adoptiui sunt sub potestate adoptantis, vt constat ex cap. vnic. de Cognatione legali, & ex dicto can. *Per adoptionem*. Vnde vt frater carnalis ducat sororem adoptiuam, sufficit aut quòd adoptio cesserit, aut quòd alteruter emancipetur, quo desinit esse sub potestate adoptantis.

DISPUTATIO XX.

De Affinitate.

DIFFICULTAS I.

Quid sit Affinitas, & quid ad eam requiratur.



CIRCA prius, affinitas (quæ dicitur, quasi finium consanguinitatis vnitas, seu sanguinum consanguinitas) est personarum propinquitas, ex copula carnali proueniens, omni carens parentela (id

est, non egens coniunctione consanguinitatis vt contrahatur, quamuis possit esse cum illa;) ex eo enim, quòd vir & femina mediâ copulâ fiant vna caro & vnus sanguis, consanguinei vnus fiunt propinqui & affines alteri, & econtrâ, & non ipse vir & ipsa femina qui fuerunt carnaliter commixti, qui potius sunt stipes seu truncus, vnde sumitur initium affinitatis.

Vnde quolibet mortuo, in eius consanguineis perseuerat affinitas cum altero superstite; quia quamuis tunc deficiat persona quæ fuit origo & principium affinitatis, non tamen deficit subiectum affinitatis originatæ seu inductæ, & terminus illius.

- 2 Quia ergo affinitas oritur ex coniunctione seu commixtione carnali in consanguineis vnus cum altero, cum quo fuit carnaliter coniunctus, ideò ex numero graduum consanguinitatis, & ex eius lineis computandi sunt gradus affinitatis, & assignandæ sunt lineæ illius. Vnde ex copula Petri, qui est filius Pauli, cum Maria, oritur in Paulo patre affinitas in primo gradu lineæ rectæ cum Maria, nempe soceri cum nuru; & ex copula Petri fratris Pauli, cum Maria, oritur in Paulo fratre affinitas in primo gradu lineæ transuersæ cum Maria, nempe leuiti cum glorie.

Circa posterius conueniunt Doctores contra Michaëlem Medinam lib. 5. de Sacrorum hominum continentia, cap. 76. copulam absque feminis intromissione non sufficere ad affinitatem; quia affinitas ex eo solùm oritur, quòd sanguis viri (id est semen, quod honestiori nomine dicitur sanguis, quia proximè fit ex sanguine) & sanguis menstruus feminæ, aut eius semen, commisceantur intra matricem ipsius feminæ, vt tradit Benedictus in can. *Lex diuina*. 23. quæst. 2. quia absq; ea commixtione vir & femina non fiunt vna caro & vnus sanguis, ac proinde consanguinei vnus non fiunt affines alteri.

Benedictus.

- 3 Addimus Primò (in quo etiam conueniunt Doctores) ad affinitatem non sufficere quamcumque sanguinum commixtionem, sed requiri eam

quæ ex se sit sufficiens ad generationem seu formationem vnus carnis & prolis, nisi sterilitas aut aliquid aliud obster, quia absque ea commixtione qui aliter commiscerentur, non fiunt vna caro & vnus sanguis; quia fieri vnâ carnem seu vnum sanguinem, est fieri principium ex se sufficiens vnus carnis & prolis. Et sanè si ad affinitatem non esset necessaria commixtio generationi apta, non esset ad illam necessaria commixtio feminis viri cum semine, aut cum menstruo feminæ. Vnde ad affinitatem requisita est immixtio feminis prolifici viri, & non sufficit feminis eunuchorum, quia hæc inepta est generationi; neque sufficit immixtio feminis prolifici sodomitice facta, quia non est apta ad generationem, vt pote non facta intra matricem feminæ. Ita tamen dicta commixtio requisita est ad affinitatem, vt etiam sufficiat absque copula, seu vasis feminei penetratione, quomodocumque contingat absque copula, quamuis à casu & coactè, & arte adhuc dæmonis (in quo contra Basilium lib. 7. cap. 33. Doctores communiter conueniunt) quia ea, quomodocumque fiat, quamuis absque copula, sufficit vt sic commixti fiant vna caro & vnus sanguis, etiam si, qui nequit aliter commisceri nisi à casu vel arte dæmonis, non sit habilis ad matrimonium, vt dicemus Disputatione xxii. Difficultate 111. quia hic est moraliter impotens. Dicitur tamen affinitas, quòd sit propinquitas ex copula carnali proueniens, quia dicta sanguinum commixtio, ex qua proximè prouenit, fit regulariter mediâ copulâ.

Addimus Secundò (vt contra Sancium d. 64. & contra Basilium docent Innocentius in cap. *Innocent. Fraternitatis*. de eo qui cognouit consanguineam, & Ludouicus Lopez 2. part. Instructoriij cap. 50.) non sufficere seminationem viri in matricem feminæ in qua est sanguis menstruus ad generationem paratus, sed etiam requiri seminationem feminæ, vt indicatur in can. *Lex diuina*. dum in eo requiritur sanguinis (id est feminis) commixtio: quia Galenus & Auicenna docent, quòd etiam seminatio feminæ est necessaria ad generationem, & sanè semen feminæ non videtur ad aliud à natura institutum.

Lud. Lop.

Galenus. Auicenna.

Ex dictis constat, ex matrimonio rato non consummato non oriri affinitatem, quod declarat Pius V. in Breui, quod incipit, *Ad Pius V. Romanam*.

DIFFICULTAS II.

Vtrum ex dicta copula seu commixtione Iure naturali oriatur Affinitas.

Supponimus, ex quacumque copula perfecta commixtione carnali, adhuc fornicaria, oriri affinitatem Iure positivo Ecclesiastico, vt patet ex cap. *Non debet.* 8. de Consanguinitate & affinitate, & ex cap. *Discretionem.* 6. de Eo qui cognouit consanguineam, & ex alijs Iuribus. Est tamen difficultas, An etiam oriatur naturaliter seu Iure naturali.

6 Conueniunt Doctores, ex dicta copula, quando coniugalis est, oriri naturaliter affinitatem, secluse Iure positivo: quia per illam coniuges fiunt vna caro & sanguis, ratione cuius quilibet coniux naturaliter & necessariò fit affinis consanguineis alterius coniugis, vtpote accedens ad eorum sanguinem.

Est tamen difficultas, An etiam oriatur naturaliter ex dicta copula, quando fornicaria est.

Sancius.
Henriq.

Sancius lib. 7. disp. 65. & Henriquez lib. 12. cap. 1. negant, quod videtur significari in L. *Non facile.* § *Sciendum est.* ff. De gradibus affinitatis, dum dicitur, neque cognationem neque affinitatem esse posse, nisi nuptiæ non interdictæ sint, ex quibus affinitas coniungitur. Quod etiam ratione probatur Primò, quia nulla sunt nomina, quibus nomenem sic affines ex fornicatione. Secundò, quia affinitas tantum oritur ex copula quæ nata est causare amicitiam, qualis non est copula fornicaria.

7
Ioan. And.
Ægidius.

Ioannes Andreas in cap. 1. de Conuersione infidelium, & Ægidius disp. 32. num. 49. affirmant, & meritò: quia etiam per dictam copulam fornicariã vir & femina fiunt vna caro & vnus sanguis, non minus quam per coniugalem, vt ex se patet, & tradit Paul. 1. ad Corinth. 6. cum ait: *Qui adhaeret meretrici, vnum corpus efficitur.* Erunt, inquit, *duo in carne vna:* ergo quilibet ex illis naturaliter, & necessariò manet affinis consanguineis alterius, vtpote accedens ad eorum sanguinem.

In L. autem *Non facile.* dum dicitur, ex nuptijs interdictis, id est incestuosis, non contrahi affinitatem, sermo est non absolutè, sed quoad successionem, & alios effectus ciuiles. Ad priorem verò rationem negamus Antecedens, quia eisdem nominibus vocantur affines facti ex fornicatione, quibus facti ex copula coniugali, quamuis ab eis abstineamus, quia affinitas ex copula fornicaria probro ducitur. Et ad posteriorem respondemus, affinitatem sufficienter oriri ex natura copulæ, per quam vir & femina fiunt vna caro, ob rationem dictam, siue illa sit nata causare amicitiam, siue non, præsertim quòd copula fornicaria ex se nata est causare amicitiam inter eos qui eam habuerunt, cum eos faciat vnam carnem, ac proinde etiam inter consanguineos vnus partis, & inter alteram partem, quamuis per accidens ratione opprobrij consanguinei vnus partis, præsertim feminae, odio habeant alteram partem.

8

DIFFICULTAS III.

Vtrum Affinitas in linea transuersa Iure naturali dirimat Matrimonium.

Supponimus, affinitatem in secundo & in vltioribus gradibus lineæ transuersæ Iure naturali non dirimere matrimoniũ contrahendum, imò neque impedire; quia neque id efficit consanguinitas, quæ est strictior propinquitas. Quærimus tamen, An affinitas in primo gradu lineæ transuersæ illud dirimat Iure naturali, vt affinitas cum vxore fratris.

Paludan. Antonin.
Paludan. in 4. dist. 4. quæst. 1. art. 5. Antoninus 3. par. tit. 1. cap. 11. & 14. & alij, præsertim hæretici nostri temporis, partem affirmatiuam tuentur, vt defendant Henricum VIII. Angliæ Regem, qui Catharinam filiam Ferdinandi, & Elisabetham vxorem fratris sui Arthuri, quam ex dispensatione Iulij II. duxerat, repudiauit, & ea viuentem duxit Annam Bolenam: quod deduci videtur ex Matth. 14. & Marc. 6. vbi Ioannes Baptista reprehendit Herodem, quia duxerat vxorem Philippi fratris sui, & tamen Herodes, vtpote gentilis, non tenebatur lege diuina Leuitici 18. *Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis,* sed tantum Iure & lege naturali. Et ratione probatur, quia matrimonium inter fratrem & sororem est Iure naturali nullum; sed vxor fratris reputatur soror, quia per actum coniugalem effecta est vna caro & sanguis cum fratre, ergo.

S. Thomas verò 2. 2. quæst. 154. art. 9. ad 3. & ibidem Caietanus, Sancius lib. 7. disp. 66. Basiliius 1. 7. c. 34. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò: imò & necessariò tenenda est. Quod Primò constat ex factis Pontificum: quia Pontifices in eo primo gradu dispensarunt, vt Innocentius III. cum Liuoniensibus, vt constat ex cap. fin. de Diuortijs, Alexander VI. cum Emanuele Rege Lusitaniæ, & Iulius II. cum dicto Henrico VIII. cuius dispensatione Clemens VII. approbavit. Pontifices autem nequeunt in Iure naturali dispensare. Secundò idè constat ex Scriptura: quia Iacob vir sanctissimus Genes. 29. ante prohibitionem diuinam Leuit. 18. Liam & Rachel sorores duxit, & Deuter. 25. frater iubebatur ducere vxorem fratris sui defuncti absque liberis. Tertio constat ex exemplo consanguinitatis, quæ quamuis sit strictior affinitate, non dirimit matrimonium Iure naturali in eo gradu, vt iam diximus. Quarto, quia nulla inter affines lineæ transuersæ reperitur superioritas aut quasi superioritas ex natura rei, ac proinde dicta affinitas non dirimit matrimonium ex natura rei, imò neque impedit; quia si dirimeret aut impediret, esset, quia commixtio carnalis, ad quam matrimonium ordinatur, non posset absque irreuerentia fieri.

Ad fundamentum verò aduersariorum, ex reprehensione Baptistæ desumptum respondemus, eum reprehendisse Herodem, aut quia duxit vxorem fratris sui viuentis, vt testantur Iosephus 12. Antiquitat. cap. 9. Nicephorus, & alij: aut si defuncti (vt credit Chrysostomus Homil. 44. in Matth.) non tamen absque liberis; quia reliquerat puellam saltatricem, quod prohibitum erat veteri lege Leuit. 18. quia Herodes, quamuis gentilis, tenebatur, quia erat filius Iudæi.

9

Paludan.
Antonin.

10
S. Thomas.
Caietanus.
Sancius.
Basiliius.

11

Iosephus.
Nicephorus.
Chrysost.

Ad rationem verò constat, matrimonium inter fratrem & sororem non esse Iure naturali nullum, imò neque illicitum, saltem grauitè; & quamuis istud esset nullum aut illicitum, non conuinceret, etiam esse nullum inter affines in eodem gradu, neque illicitum; quia affinitas minor est consanguinitate.

DIFFICULTAS IV.

Utrum Affinitas in primo gradu lineæ rectæ dirimat Matrimonium Iure naturali.

12 **S**otus in 4. dist. 4. quæst. 1. art. 3. Couarruias 4. Decretal. 2. par. cap. 6. & Ægidius disp. 32. dub. 4. partem affirmatiuam tuentur; quia copula carnalis, ad quam matrimonium suâ naturâ ordinatur, nequit, ex natura rei, fieri absque irreuerentia inter affines in dicto gradu; ergo matrimonium inter eos nequit validè fieri, quia nequit conferri ius iustitiæ (quale confertur per matrimonium) ad id quod ex obiecto & intrinsicè est malum. Antecedens verò probatur, quia vxor, v. g. patris, ex coniunctione carnali ad patrem, fit vna caro cum ipso patre; ergo in accessu filij ad vxorem patris, utpote carnem patris, nequit non esse irreuerentia ex natura rei. quam irreuerentiam significare videtur Paul. 1. ad Corinth. 5. dum ait: *Audite inter vos fornicatio, & talis, qualis neque inter gentes, ita ut vxorem patris sui quis habeat.*

13 Quod nonnulli extendunt ad affines lineæ rectæ in quocumque gradu sine fine, sicut nos diximus de consanguineis, quia ferè eadem reuerentia debita sit affinibus ac consanguineis.

Caieranus. **Sancius.** **Henriquez.** **Basilius.** Caieranus verò 2. 2. quæst. 154. art. 9. Sancius lib. 7. disp. 66. Henriquez lib. 12. cap. 1. & 9. & Basilii lib. 7. cap. 34. partem negatiuam tradunt, & meritò; quia inter dictos affines nulla repetitur superioritas, contra cuius reuerentiam fit vltus matrimonij; quia superioritas tantùm est in eo qui est principium naturale alterius, & non in eo qui est affinis, quamuis fiat vna caro cum principio naturali, quia propriè non fit vna caro cum illo, sed tantùm quia fiunt principium vnus carnis: ac proinde quamuis in accessu filij ad vxorem patris iam defuncti sit ex natura rei aliqua indecentia, sed non irreuerentia, aut impietas; benè tamen in accessu ad vxorem patris viuentis, non ipsi noueræ facta, sed patri, & maxima, quia ei fit maxima iniuria adulterij. Et de hac loquitur Paulus vbi supra. Id quoque non leuiter confirmatur ex eo, quòd Pontifices nò rarò pro foro conscientie dispensant in dicta affinitate, orta ex copula fornicaria, & tamen est eiusdem rationis cum ea quæ oritur ex copula coniugali; quia fornicarij eodem modo fiunt vna caro per copulam, ac coniuges.

14 Addimus, matrimonium inter dictos affines non solum non esse irritum ex natura rei, sed neque illicitum; quia nulla in vsu illius reperitur irreuerentia, etiam si non desit aliqua indecentia.

DIFFICULTAS V.

Utrum Affinitas dirimat Matrimonium Iure aliquo positiuo.

15 **C**onueniunt Doctores, affinitatem non dirimere matrimonium Iure aliquo positiuo diuino, quia non Euangelico, ut patet, neque veteri, quia quamuis veteri lege Leuit. 18. affinitas in aliquot gradibus dirimebat, iam tamen tota lex vetus purè diuina (qualis erat dicta) cessauit morte Christi: dirimere tamen Iure positiuo Ecclesiastico, ut constat ex pluribus Iuribus quæ statim citabimus.

Obseruandum tamen est, quòd quamuis Iure antiquiori Ecclesiastico esset triplex generis affinitatis dirimens matrimonium, ut constat ex tit. de Eo qui cognouit consanguineam vxoris, & ex can. Porro, & ex can. De propinquis. 35. quæst. 3. iam tamen Iure nouiori, affinitas tantùm inter personam carnaliter cognitam, & consanguineos personæ cognoscentis, & econtrà inter personam cognoscentem, & consanguineos personæ carnaliter cognitæ, dirimit matrimonium, & non inter consanguineos vnus, & consanguineos alterius, neque inter aliquos alios, ut constat ex cap. Non debet. 8. de Consanguinitate & affinitate.

16 Et quamuis Iure antiquiori dicta affinitas cum consanguineis alterutrius carnaliter commixti dirimeret matrimonium, sicut cum propinquis, vsque ad septimum gradum inclusiue vtriusque lineæ, ut constat ex can. Nullum. & ex can. Equaliter. 33. quæst. 3. Iure tamen nouiori restricta fuit vsque ad quartum gradum, ut constat ex dicto cap. Non debet. Et quamuis in Iure illo antiquiori, quo affinitas extendebatur vsque ad septimum gradum, & in nouiori, quo fuit vsque ad quartum restricta, sit tantùm sermo de affinitate orta ex copula coniugali; quia tamen Iure habito in cap. Discretionem. 6. de Eo qui cognouit consanguineam, ex copula fornicaria oritur affinitas dirimens matrimonium, sicut ex coniugali; ideò communi Doctorum applausu receptum fuit, affinitatem ex copula fornicaria in eisdem gradibus dirimere, in quibus dirimit orta ex coniugali, quod Iure consuetudine introducto, fuit obtentum, & supponit Tridentinum sess. 24. cap. 4. de Reformat. Trident. matrimon. Nihilominus Tridentinum hinc affinitatem ex fornicatione ortam restrinxit vsque ad secundum gradum, ut iam in vltiori non tantùm non dirimat, sed neque impediat, ut Pius V. in Pius V. Breui Ad Romanam declarauit. In eo autem c. 4. Tridentini per fornicationem intelligi non tantùm simplicem, sed omnè non coniugalem etiam adulterij, & sacrilegij, & incestus, & raptus, conueniunt Doctores, quia Tridentinum tantùm condistinxit affinitatem ortam ex fornicatione ab affinitate, quæ oritur ex vsu matrimonij.

17 Addimus (ut optimè Sancius lib. d. 7. 67. Sà v. Luxuria, & plures alij) fornicationem habitam cū affini ex fornicatione in tertio & quarto gradu non esse incestum; quia fornicatio cum affini in eis gradibus non habet specialem malitiam irreuerentiæ, seu incestus Iure naturali, ut patet ex dictis; neque Iure Ecclesiastico, quia Ius Ecclesiasticum, prohibens dictam copulam intuitu reuerentiæ conferendæ affinibus, cessauit, cessante prohi-

prohibitione matrimonij, quod tantum prohibetur ob indecentiam copulæ inter illos.

Ex dictis constat, non baptizatos validè contrahere matrimonium cum quavis sibi affini: quia quamvis ante Baptismum contrahatur affinitas, quia naturaliter oritur, tamen ante Baptismum non dirimit; quia Ius Ecclesiasticum, quo solo affinitas dirimit matrimonium, non ligat ante Ba-

ptismum; inualidè tamen contrahere post Baptismum in gradibus prohibitis, quamvis affinitas contracta sit ante Baptismum, quia dicti affines iam post Baptismum tenentur Iure Ecclesiastico dirimente matrimonium. Affinitatem autem, adhuc in secundo gradu, superuenientem matrimonio iam contracto impedire petitionem debiti, diximus Disputatione x. Difficultate vii.

DISPUTATIO XXI.

De Iustitia publicæ honestatis.

DIFFICULTAS I.

Vtrum ex sponsalibus oriatur Iustitia publicæ honestatis dirimens Matrimonium.



IUSTITIA publicæ honestatis est propinquitatis quædam Iure Ecclesiastico introducta, orta ex sponsalibus inter sponsum ex vna parte, & consanguineos sponsæ ex altera, & econtrà; aut orta ex matrimonio rato inter maritum & consanguineos vxoris, & econtrà. Dicitur autem *iustitia publicæ honestatis*, quia iustum seu æquum est, vt ob publicam honestatem seu decentiam non contrahatur matrimonium inter dictas personas.

Conueniunt ergo Doctores, ex sponsalibus oriri iustitiam publicæ honestatis dirimentem matrimonium inter sponsum ex vna parte, & consanguineos sponsæ ex altera, & econtrà, & non oriri ex Iure naturali, seu ex natura rei, vt patet, sed ex Iure Ecclesiastico, vt constat ex can. *Si quis*. 27. quæst. 2. & ex c. *Literas*. 4. de Desponsat. impub. & ex c. *Inuenis*. 3. & ex cap. *Ad audientiam*. 4. & ex c. *Sponsam*. 8. de Sponsalibus. & ex c. vnico de Sponsalibus in 6. & in Tridentino sess. 24. c. 5.

Hoc impedimentum, attento Iure antiquo ante Tridentinum, oriebatur ex sponsalibus absolutis (siue à principio, siue post impletam conditionem) quantumuis inualidis, dummodò non essent inualida ex defectu consensus, & non oriebatur ex sponsalibus incertis, sed ex certis (id est, cum certa & determinata persona) vt exprimitur in dicto cap. vnico: & eodem Iure antiquo attento, dirimebat vsque ad quartum gradum consanguinitatis, non quia in Iuribus, quibus fuit introductum, assignetur gradus vsque ad quem dirimat, sed quia in illis dicitur dirimere inter sponsum & consanguineos sponsæ, & econtrà, & consanguinitas in Iure extendebatur vsque ad quartum gradum, vt constat ex cap. *Non debet*. 8. de Consanguinitate.

Iam tamen Iure nouo Tridentini vbi suprà, impedimentum hoc oriens ex dictis sponsalibus restrictum est, vt non extendatur vltra priorem gradum, & vt non oriatur ex sponsalibus quacumque causa nullis.

Est tamè difficultas Primò, An oriatur ex sponsalibus ore tenus factis absque consensu interiori. Sancius lib. 7. d. 68. Henriquez lib. 12. cap. 10. & Basilius lib. 7. cap. 36. docent, oriri, quando de-

fectus consensus non constat exteriùs, aut quia tunc sponsalia sunt valida vel ratione sui, vel saltem ratione consensus debiti, ex eo scilicet, quòd tunc debet exhiberi consensus; aut quia quamuis sint nulla, apparent tamen exteriùs valida, ob quòd tunc erit publicum scandalum, & publica indecentia in contrahendo matrimonium, ob quæ vitanda, introductum fuit dictum impedimentum.

Rebellus verò lib. 3. quæst. 14. Petrus Ledesma q. 55. art. 4. & Vera-cruz in Appendice ad Speculum fol. 76. docent, ex dictis sponsalibus non oriri, & meritò: quia, vt diximus Disp. 1. Diffic. xi. dicta sponsalia, quamuis sint valida ad obligandum ex fidelitate, non tamen ad obligandum ex iustitia, quia non sufficiunt ad conferendum ius iustitiæ sponsis in alterutrum, ratione cuius vnus pertineat ad alterum quasi proprius, ex quo solo prouenit quòd sit indecens, consanguineos vnus contrahere cum altero, & econtrà, ob quòd Ecclesia introduxit hoc impedimentum; ergo ex dictis sponsalibus, vt pote nullis ad obligandum ex iustitia, non oritur hoc impedimentum; quia quamuis tunc exteriùs appareat esse indecentiam in contrahendo, non tamen est verè indecentia, ob quam solam introductum est. Vnde quamuis tunc possit esse scandalum in contrahendo, quamdium de defectu consensus non constat, & ob id quamdiu durat scandalum, sit illicitum contrahere; si tamen de facto fiat, validè fieri.

Et ob dictam rationem, ex sponsalibus verè nullis nullitate occulta, quamuis ipsa sint publica, non oritur hoc impedimentum, vt contra Sancium docet Ægidius disp. 32. dub. 5.

Secundò est difficultas, An ex sponsalibus validis, mutuo tamen consensu dissolutis, oriatur hoc impedimentum.

Sancius & Piafescius in Praxi Episcopali par. 2. cap. 4. docent oriri, quia oritur ex sponsalibus morte alterius dissolutis, ergo etiam ex dissolutis mutuo consensu. Rebellus verò & Basilius docent, non oriri, & meritò: quia sponsalia, quæ mutuo consensu dissoluuntur, euanescunt immediatè & ratione sui, & sponsis viuentibus vnus desinit ad alterum pertinere, & econtrà, non verò quæ morte alterius dissoluuntur; quia ista mediatè tantum, & ex defectu subiecti, & ipsis viuentibus semper vnus pertinuit ad alterum, & econtrà; ac proinde ex istis, vt pote perpetuis & semper validis, oritur hoc impedimentum, & non ex illis. Quod etiam declarauit Congregatio Cardinalium apud Rebellum in Append. ad 4. lib. num. 99. Et ob eandem rationem nõ oritur ex sponsalibus dissolutis, quia vnus ob causam sufficientem resiliuit.

Impedi-

18

I

2

Trident.

3

Sancius.
Henriq.
Basilius.Rebellus.
Ledesma.
Vera-cruz.

4

Ægidius.

5

Rebellus.
Basilius.

Rebellus.

Impedimentum ergo iustitiæ publicæ honestatis, quod ex sponsalibus oritur, tantum oritur ex sponsalibus cum determinata persona, & ex absolutis, siue à principio, siue postea à impleta conditione, & tantum ex validis, & non ex nullis, siue ex defectu consensus, siue ob aliquod impedimentum, quamuis occultum; siue quia sunt dissoluta, siue mutuo consensu, siue quia alter resiliuit.

defectu consensus) sicut etiam oriebatur antiquo Iure non scripto; quia solum erat scriptum pro sponsalibus nullis, sed consuetudine introducto, desumpta ab exemplo sponsalium. Vnde ex matrimonio clandestino, etiam ubi Tridentinum viger, oritur, vt contra Sancium lib. 7. disp. 70. docent *Ægidius* disp. 32. dub. 5. & *Basilius* cap. 35. quia non est nullum ex defectu consensus. Et ob eandem rationem etiam oritur ex matrimonio nullo ex defectu ætatis, sed non oritur ex matrimonio factò ex metu, aut ex errore personæ, aut in furia; quia est nullum ex defectu consensus.

Ægidius.
Basilius.

DIFFICULTAS II.

Vtrum ex Matrimonio rato oriatur Iustitia publicæ honestatis dirimens Matrimonium.

Supponimus, ex matrimonio rato nõ consummato, ex quo non oritur affinitas (vt diximus Disputat. xx. Difficultate 1.) oriri iustitiam publicæ honestatis, dirimentem matrimonium; vt declarauit *Pius V.* in Breui, quod incipit, *Ad Romanam.* & constat ex can. 14. & 15. 27. quæst. 2. & ex cap. *Juuenis.* 3. de Sponsalibus, & ex cap. *Duo.* 52. de Desponsat. impub.

Pius V.

Quia verò iustitia publicæ honestatis ex matrimonio rato orta (quæ aliquando dicitur affinitas) non est restricta à Tridentino, sed tantum quæ oritur ex sponsalibus, vt declarauit *Pius V.* in dicto Breui, & constat ex contextu Tridentini, idè iustitia orta ex matrimonio rato dirimit matrimonium vsque ad quartum gradum, sicut Iure antiquo ante Tridentinum dirimebat; oriturque ex matrimonio nullo (nisi quando est nullum ex

7.

Pius V.

Est tamen difficultas, An oriatur ex matrimonio rato conditionato.

8

Circa quam, quidquid nonnulli dicant, dicendum est (vt optimè *Sancius*, *Henriquez* & *Basilius*) ex matrimonio conditionato, conditione de futuro suspendente consensus, non oriri ante impletionem conditionis; quia ante eam neque habet vim matrimonij absoluti, neq; sponsalium absolutorum; iustitia autem publicæ honestatis non oritur nisi ex sponsalibus dicto modo absolutis, ac proinde neque ex matrimonio, nisi absoluto, etiam consuetudine desumpta ab exemplo sponsalium: oriri verò ex matrimonio conditionato post impletionem conditionis, vel quia tunc habet veram rationem matrimonij perfecti & absoluti, vt nos diximus Disputatione VII. Difficultate III. & iuxta hanc opinionem nostram dirimet vsque ad quartum gradum; vel quia habet rationem sponsalium, vt alij opinati sunt, & iuxta horum opinionem tantum dirimet in primo gradu.

Sancius.
Henriquez.
Basilius.

DISPUTATIO XXII.

De Impotentia.

DIFFICULTAS I.

Quotuplex sit Impotentia.



CONVENIUNT Doctores, quòd sicut potentia est quintuplex, alia ad penetrationem vasis femineæ, & non ad effusionem veri seminis; alia est econtrà ad effusionem veri seminis, non ad penetrationem vasis; alia ad penetrationem vasis, & ad effusionem veri seminis, sed non intra vas, quod aliquando contingit ob nimium calorem, ratione cuius semen statim ante penetrationem vasis spargitur, & vertitur; alia ad omnia prædicta, nempe ad penetrationem vasis, & ad veri seminis emissionem, & intra vas femineum, sed non ad generationem, quia semen aliàs verum, ratione alicuius accidentis est infecundum, quæ dicitur potentia coeundi; alia tandem est potentia ad generationem: ita etiam impotentia est quintuplex, alia est ad penetrationem vasis, quæ esse potest in eo, in quo est potentia ad veri seminis emissionem; alia est impotentia ad effusionem veri seminis, quæ esse potest in eo, in quo est potentia ad penetrationem vasis; alia est impotentia ad emissionem seminis intra vas, quæ esse potest in eo, in quo est potentia ad penetrationem vasis, & ad seminis emissionem, & quælibet impotentia ex dictis dicitur

2

impotentia coeundi, quia potentia ad coeundum est potentia ad hæc omnia, nempe ad penetrationem vasis, & ad emissionem veri seminis, & intra vas; alia tandem est impotentia ad solam generationem, ob solam infecunditatem seminis, quamuis veri, & dicitur sterilitas.

Deinde quælibet impotentia ex dictis vna est perpetua, & altera temporalis. Deinde quælibet ex his, tam videlicet temporalis quàm perpetua, vna est absoluta, quæ in se & absque respectu ad has aut ad illas personas est impotentia, ac proinde est impotentia respectu omnium personarum; altera est respectiua, quæ tantum est impotentia respectu vnius aut alterius personæ, sed non respectu omnium. Tandem quælibet impotentia ex dictis, tam videlicet temporalis quàm perpetua, & tam respectiua quàm absoluta, alia est naturalis, quæ provenit ex defectu alicuius naturaliter requisiti; alia est artificialis, quæ provenire solet ex arte, seu ex maleficio dæmonis.

5

DIFFICULTAS II.

Quando Impotentia censenda sit perpetua, & quando temporalis.

Conueniunt Doctores, eam impotentiam, siue absolutam siue respectiuam, siue naturalem siue artificialem, tam ex parte viri quàm ex parte

parte feminae, censei perpetuam, cuius defectus nequit suppleri, aut cuius impedimentum nequit auferri humana industria absque miraculo, aut absque corporali periculo (vt constat ex c. *Fraternitatis*. 6. de Frigidis & maleficiatis) aut absque peccato; quia id tantum possumus quod Iure seu licite possumus.

4 Nomine autem *periculi corporalis* non intelligitur mors ipsa, ita vt impedimentum, quod absque morte tolli potest, non censeatur perpetuum, vt nonnulli Iurisperiti immerito affirmant (quia quamuis quod absque morte tolli potest, non sit physice perpetuum, potest tamen esse moraliter tale) sed intelligitur periculum mortis, vt aduertunt Sancius lib. 7. disp. 93. & Aegidius disp. 31. dub. 7. & non leuiter deducitur ex dicto cap. *Fraternitatis*, & merito: quia quamuis quod absque morte auferri potest, non sit physice perpetuum, si tamen non possit absque periculo mortis, est moraliter perpetuum; quia periculum mortis moraliter aequialet morti. Et non intelligitur periculum grauis morbi, adhuc perpetui (vt Henriquez & alij immerito affirmant) quia periculum grauis morbi, quamuis perpetui, non aequialet morti physica. Quod vero auferri non potest absque graui & perpetuo morbo, censeatur perpetuum; quia iste moraliter aequialet morti physica; non minus, imò magis, quam periculum mortis; quia ad vitandum talem morbum potest rationabiliter appeti periculum mortis, imò etiam mors ipsa.

Sancius.
Aegidius.

Henriquez.

5 Ea ergo impotentia censeatur temporalis, cuius defectus suppleri potest, aut cuius impedimentum auferri potest humana industria absque miraculo, & absque dicto periculo corporali, & absque peccato.

DIFFICULTAS III.

Vtrum Impotentia naturalis coeundi, seu ad penetrationem vasis, dirimat Matrimonium contrahendum.

6 Conueniunt Doctores (quod vsus Ecclesiae probat) impotentiam ad solam generationem (quae dicitur sterilitas) quamuis absolutam & perpetuam, & naturalem, non inhabilitate ad matrimonium; quia steriles aliam potentes ad vere feminandum intra vas femineum, nullo Iure inhabiles sunt ad matrimonium; quia non Iure positio, quia nullum extat; neque naturali, quia vere sunt potentes ad exercendum actum coniugalem, ratione cuius, quantum est ex parte ipsius, coniuges fiunt vna caro, id est, principium vnus carnis, seu prolis, etiam si ob aliquod accidens non sit futura generatio. Vnde senes, dum potentes sunt ad sic feminandum, quamuis non nisi adiuti arte medicinae, habiles sunt ad matrimonium; quia eorum semen ex sua natura est sufficiens ad generationem, quamuis ob eius debilitatem non sit futura generatio.

Difficultas ergo est, an impotentia naturalis ad coeundum, id est ad penetrationem vasis (quae eo ipso est per se impotentia ad feminandum intra vas) dirimat matrimonium contrahendum.

7 Circa quam conueniunt Primò Doctores, impotentiam ad coeundum, quando tantum est temporalis, quamuis sit naturalis & absoluta, non dirimere matrimonium, vt supponitur in cap. *Fraternitatis*. 6. de Frigidis, & merito: quia non diri-

mit Iure positio, quia nullum extat; neque Iure naturali, quia qui tantum est impotens ad tempus, potest ex natura rei ex tunc tradere dominium (sui corporis ad vsum coniugalem postea possibilem, & ad eum postea soluendum obligari. Quod est verum, quamuis dicta impotentia ignoretur ab altero contrahente, in quo (vno aut altero oppositum insinuante) conueniunt Doctores; quia nec in casu talis ignorantiae dirimit Iure aliquo.

Conueniunt Secundò, dictam impotentiam naturalem, quando est perpetua & absoluta, dirimere matrimonium, saltem contrahendum, in ordine ad generationem, vt constat, ex 33. qu. 1. per totam, & ex toto Tit. de Frigidis & maleficiatis, & definitum videtur à Sixto V. in Motu proprio, edito anno 1587. cuius verba referunt Sancius lib. 7. d. 92. & Basilius lib. 7. c. 68. Et ratione constat; quia sic impotens est materia inepta, vt obligari possit ad actum coniugalem, ratione cuius coniuges fiunt vna caro; ergo & ad contractum matrimonij, ex quo per se oritur obligatio ad dictum actum.

Id autem, quod dicimus, nempe impotentiam ad penetrationem vasis dirimere matrimonium, est verum, quamuis sit potentia ad feminandum extra vas, imò in ore vasis; tum quia haec seminatio per se non sufficit vt per eam coniuges fiunt vna caro (id est principium vnus carnis) etiam si forte & per accidens aliquando sufficiat, si forte aliquando virtute naturali matricis intromittitur pars aliqua seminis sufficiens ad generationem, & consequenter ad affinitatem; tum etiam, quia potentia ad sic feminandum est impotentia moralis ad feminandum, quia talis seminatio nequit fieri absque peccato.

DIFFICULTAS IV.

Vtrum Impotentia naturalis coeundi perpetua, & naturalis, dirimat Matrimonium in ordine ad castè conuiuendum.

Paludanus in 4. dist. 34. 2. Antoninus 3. p. tit. 1. ca. 22. & Basilius lib. 7. c. 56. docent, dictam impotentiam non dirimere matrimonium contrahendum in ordine ad naturalem vitam & officiorum in diuerso sexu societatem, sed contrahendum in ordine ad generationem, & deducitur ex cap. *Consolationi*. 4. & ex c. *Laudabilem*. 5. de Frigidis, dum in his supponitur, posse inter impotentes celebrari matrimonium in ordine ad viuendum vt fratres; quod etiam supponit Sixtus V. in suo Motu proprio. Et ratione probatur: quia ad matrimonium non videtur necessaria mutua corporum traditio ad coitum, sed sufficit ad dictam societatem, quia matrimonium suam naturam non tantum ordinatur ad prolis generationem, sed etiam ad eam societatem: ergo quamuis impotentia ad coitum inhabilitet ad matrimonium contrahendum ad prolis generationem, non verò ad dictam societatem.

Bonauentura verò in 4. d. 34. ar. 2. qu. 1. Richardus eadem dist. & Sotus q. 1. ar. 2. Sancius lib. 7. disp. 97. & Vasquez 3. p. d. 125. c. 7. docent (& merito) dictam impotentiam dirimere omnino matrimonium contrahendum, adhuc in ordine ad dictam societatem: quod definitum videtur à Sixto V. in dicto Motu proprio, dum absque vlla distinctione matrimonij ad hunc aut ad illum vsum, absolute ait, impotentes esse ineptos ad contrahendum matrimonium.

Sixtus V.
Sancius.
Basilius.

8

9
Paludan.
Antonin.
Basilius.

Sixtus V.

10
Bonauent.
Richardus.
Sotus.
Sancius.
Vasquez.

Sixtus V.

Et id non leuiter deducitur ex dictis capp. *Consolationi. & Laudabilem*, dum in eis, absque vlla limitatione aut distinctione matrimonij ad hunc aut ad illum vsu, absolute dicitur, quando est impotentia ad coitum, feminam non posse haberi vt vxorem, sed tantum vt sororem; & dum in *c. Laudabilem*, & in alijs eiusdem Tit. supponitur, potentem, qui matrimonium contraxit (id est, contrahere attentauit) cum impotente, posse aliud matrimonium contrahere.

Et ratione probatur Primò ab absurdo, quia ex opposito sequeretur Primò, inter patrem & filiam posse Iure naturali contrahi matrimonium, quia sunt personæ aptæ ad dictam societatem. Et Secundò sequeretur, coniugem in dicto matrimonio accedendo ad vxorem, peccare peccato simplicis fornicationis; quia accederet ad non suam in ordine ad copulam; imò & alterum, accedendo ad eam, non committere adulterium contra maritum, quia non accederet ad eam quatenus vxorem illius. Et tandem Tertiò sequeretur, matrimonium ex se non esse perpetuum, quia tantum est tale ob bonum prolis, vt diximus Disp. v. i. i. Difficult. 11. quæ omnia absurda videntur.

Deinde à priori probatur, quia ex vi contractus matrimonij traditur dominium seu potestas corporis alteri, & econtrà, vt constat ex Paul. 1. ad Corinth. 7. & ex communi consensu; sed per traditionem dominij seu potestatis ad dictam societatem, non traditur dominium corporum, sed tantum per traditionem dominij seu potestatis ad commixtionem carnalem; quia per hanc solam commixtionem coniuges dicuntur vt corporibus, & non ex eo quòd simul viuant, & sibi inuicem obsequantur: ergo nullum est verum matrimonium, nisi quod contrahitur in ordine ad copulam: sed dicta impotentia ad copulam dirimit matrimonium contrahendum in ordine ad generationem, ergo absolute & omnino dirimit, cum nequeat valide contrahi, nisi in ordine ad illam.

Ad fundamentum ergo aduersariorum, desumptum ex illis capp. & ex Motu proprio Sixti V. respondemus, in eis tantum supponi, ab impotentibus contrahi matrimonium, non validè, sed quoad attentionem, etiamsi permitterentur non separari qui erant coniuncti, si vellent castè viuere, imò & de nouo coniungi contractu quodam societatis ad vitæ & munerum societatem in diuerso sexu, & modò permittantur, exceptis eunuchis, qui iam dicto Motu proprio non permittuntur coniungi; & qui ante eum contraxerant, permitti sunt non separari, exceptis illis qui coniuicti fuerint simul dormiisse.

Et ad rationem respondemus, quòd quamuis matrimonium ordinetur ad vitæ & munerum societatem, quia tamen etiam, & primariò, ordinatur ad prolis generationem, idè ab impotentibus ad coitum, vt pote per se ineptis ad prolis generationem, nequit validè fieri.

Quod verò à nonnullis dicitur, in nulla matrimonij definitione fieri mentionem coniunctionis in ordine ad coitum, sed tantum in ordine ad vitæ & munerum societatem, falsum est, quia nulla est in qua saltem implicite non fiat mentio illius, saltem in definitione approbata ab Alexandro III. in cap. *Illud quoque*. 11. de Præsumptionibus, nomine coniunctionis maris & feminae.

DIFFICULTAS V.

Vtrum Impotentia naturalis ad seminandum dirimat Matrimonium, quando est potentia ad copulam seu penetrationem vas.

Glossa in can. *Hi qui*. 32. qu. 7. Hugolinus de Matrimonio c. 19. & alij docent, eam impotentiam, quando est potentia ad penetrationem vas, non inhabilitare ad matrimonium, quia non Iure Ecclesiastico, quia eo tantum inhabilitat impotentia ad coeundum, vt constat ex ipso Iure, quæ idem videtur ac impotentia ad penetrationem vas; neque inhabilitat Iure naturali, quia potentia ad penetrandum vas (quamuis deficiat ad seminandum intra vas) sufficit ad sedandam concupiscentiam propriam, & alterius; ergo Iure naturali sufficit ad matrimonium, quòd etiam sua natura ordinatur in remedium concupiscentia.

Sancius verò lib. 7. disp. 92. Egidius disp. 31. dub. 7. & communiter Doctores docent, impotentiam ad seminandum, quamuis sit potentia ad penetrandum vas, inhabilitare ad matrimonium, & meritò, quòd significari videtur in cap. 1. de Frigidis & maleficiatis, dum feminae, quia non potuit effici mater à viro quem accepit, conceditur licentia vt nubat alteri. & in c. 5. eodem Tit. & 33. q. 1. can. 2. dum supponitur, ad valorem matrimonij requiri in coniugibus potentiam ad commixtionem carnalem, per quam fiant vna caro: sed ex eo solùm, quòd vir nequeat seminare, quamuis possit penetrare vas, non potest femina fieri mater per se ex defectu veri seminis, neque contrahentes possunt fieri vna caro, id est, principium vnus carnis; ergo impotentia ad seminandum inhabilitat ad matrimonium, quamuis adsit potentia ad penetrationem vas.

Quòd etiam efficaciter deducitur ex dicto Motu Sixti V. & ex declaratione Nuntij Hispaniarum virtute dicti Motus facta, dum eunuchi, vtroque teste carentes, declarantur esse & fuisse inhabiles ad matrimonium, eò quòd nequeant verum semen emittere, quamuis possint virgam erigere, & vas femineum penetrare.

Et ratione probatur, quia ad matrimonium requiritur corpus aptum, vt fiat vna caro cum corpore alterius, vt supponitur in dicto cap. 5. de Frigidis, & in dicto can. 2. 33. quæst. 1. & deducitur ex illo Gen. 2. *Et erunt duo in carne vna.* & etiam requiritur quòd sit aptum ad reddendum debitum coniugale, vt significatur in cap. 2. de Frigidis; sed qui est impotens ad verè seminandum, non est aptus vt fiat vna caro cum altero, quia copula absque seminatione non efficit duo esse carnem vnã, seu principium vnus carnis, vt patet; neque sufficit ad satisfaciendum debito coniugali, quia coniugi non satisfit copula ex se insufficiente ad generationem. Et sanè si potentia ad copulam, est necessaria ad valorem matrimonij, erit etiam necessaria potentia ad seminandum, imò ad seminandum intra vas, quia copula absq; tali seminatione est omnino vacua & inuutilis, etiamsi adsit seminatio in ore vas; ergo ea est per se insufficiente vt coniuges fiant vna caro, & ad satisfaciendū debito coniugali; non erit tamen inuutilis

14
Glossa.
Hugolinus.

Sancius.
Egidius.

15
Sixtus V.

16

tilis si adsit intromissio partis feminis sufficientis ad generationem, quamuis non totius.

Ad fundamentum autem aduersariorum respondemus, impotentiam ad feminandum, imò ad seminandum intra vas, inhabilitare ad matrimonium, quamuis adsit potentia ad penetrationem vasis, non solum Iure Ecclesiastico; quia in eo, nomine *copulae & coitus* intelligitur perfecta & per se sufficiens ad generationem; sed etiam Iure naturali, quia corpus absque potentia ad seminandum, & intra vas, non est apta materia ad matrimonium, imò neque sufficiens ad sedandam concupiscentiam.

Ex dictis constat Primò, spadones, seu eunuchos utroque teste priuatos, siue quia eis sunt auulsi, seu concussi, seu attriti, esse inhabiles ad matrimonium: quia quamuis possint vas penetrare, & humorem aqueum similem femini emitte, sunt tamen impotentes ad perfectam copulam, qua possint fieri vna caro cum feminis, quia carent vero femine, ad cuius formationem sunt necessarij testes; & dictos eunuchos esse & fuisse inhabiles Iure Ecclesiastico & Iure naturali ad matrimonium contrahendum, etiam cum scientibus dictum defectum, constat ex dicto Motu Sixti V. & ex dicta Declaratione Nuntij: imò ab ipso Nuntio auctoritate Pontificis facti sunt inhabiles ad coniunctiones cum feminis tamquam cum sororibus, quæ permittuntur aliis impotentibus, & etiam illis qui habent testiculos; quamuis eis sit interrupta vena, aut via, qua spiritus, ex quibus semen formatur, communicantur testiculis.

Constat Secundò, senes ita exhaustos, vt adhuc arte medicinae adiuti, nequeant coire seminando intra vas, esse inhabiles ad matrimonium, vt contra Nauarrum & alios docent Sancius & communiter Doctores. Infirmi verò, existentes in articulo mortis, quamuis iam non possint coire, habiles sunt ad matrimonium, vt docent communiter Doctores & vsus Ecclesie probat; quia eorum impotentia non censetur perpetua: quia quamuis duret vsque ad mortem, id contingit per accidens ex defectu subiecti; quia si subiectum non moreretur, tandem potentia fieret expedita.

Addimus contra Sancium, feminam impotentem ad feminandum esse inhabilem ad matrimonium; quia, vt diximus Disput. xx. Diffic. i. feminatio feminae necessaria est ad generationem; impotentiam tamen feminae ad pariendum, sine vite periculo, non inhabilitare ad matrimonium, vt docent Sancius, & communiter Doctores; quia potentia ad pariendum non est necessaria ad generationem seu conceptionem: feminam verò sic impotentem illicitè nubere ob dictum periculum, nisi graues tentationes carnis patiatur.

DIFFICULTAS VI.

Vtrum Impotentia naturalis respectiua dirimat Matrimonium contrahendum.

Supponimus, Impotentiam naturalem respectiuam perpetuam (si aliqua talis inueniatur) dirimere matrimonium contrahendum cum ea persona, respectu cuius est impotentia, vt efficaciter deducitur ex cap. *Fraternitatis*. 6. de Frigidis, quod de impotentia respectiua perpetua, proueniente ex maleficio, expresse admittitur in can. fin. 33. qu. 1. Quòd si impotentia respectiua, ab extrinseco

proueniens, id efficit, multò melius efficiet impotentia respectiua naturalis intrinseca, si perpetua sit. Et ratione constat; quia naturaliter impotens respectiue, est impotens, vt pro tempore impotentia fiat vna caro cum ea persona, respectu cuius est impotens. ergo si impotentia naturalis respectiua sit perpetua, efficit impotentem semper ineptum ad id, ac proinde vt contrahat matrimonium. quòd si validè fiat, nequit non inducere obligationem ad id.

Tota ergo difficultas est, An impotentia aliqua naturalis respectiua possit esse perpetua.

Bonauentura in 4. dist. 34. art. 3. quæst. 2. & Petrus de Ledesima quæst. 58. artic. 2. dub. 5. docent, nullam posse esse perpetuam: quod deduci videtur ex can. 2. 33. qu. 1. dum dicitur: *Nam si huic non poterit concordare naturaliter, quomodo alteri conueniet?* Et ex cap. *Laudabilem*. 5. de Frigidis, dum dicitur, virum separatum à femina, qui triennio cohabitationis transacto iurauit non potuisse illam cognoscere, si aliam cognoscat, cogendum esse ad priorem feminam, redire, & tamquam reum periurij puniendum. Quod non fieret, si posset esse impotentia aliqua naturalis respectiua cum priori femina, quæ esset perpetua, & dirimens matrimonium. Et ratione probatur, quia apertione artificiosa sigilli licita, & absque vitæ periculo, fieri potest quòd impotens ad congregandum cum vna, quia est arcta, fiat potens ad congregandum cum ea.

Paludanus verò in 4. dist. 34. q. 2. Sancius lib. 7. disp. 93. Henriquez lib. 12. c. 7. Basilius c. 61. docent (& meritò) posse esse impotentiam aliquam naturalem respectiuam perpetuam, quod deducitur ex cap. *Fraternitatis*, dum quodam matrimonio viri cum femina dissoluto, quia eam, quia erat arcta, non potuit cognoscere, & ipsa postea alteri nupta, ab hoc altero fuit corrupta, definitur restituendam esse priori viro; quia posterior, à quo fuit corrupta, non erat dissimilis priori, coniecturâ sumptâ, quòd sicut posterior, qui erat prioris similis, nempe quoad ætatem, robur & instrumentum, potuit illam cognoscere, ita potuisset etiam prior; quia in hoc cap. supponitur non fore restituendam, si prior vir esset debilius, & posteriori dissimilis; ac proinde posse esse impotentiam naturalem respectiuam perpetuam, & dirimentem matrimonium. Quod etiam non leuiter confirmatur ex his, quæ Pontifex ad finem dicti cap. supponit, si rectè expendantur, vt Basilius expendit.

Et ratione constat, quia contingere potest, quòd vir sit ita debilis, & mulier ita arcta, aut membrum viri sit ita grossum, & os vasis femine ita angustum, quod femina nullâ humanâ industriâ possit, absque vitæ periculo, ei viro proportionari, vt ab eo cognoscatur, & quòd sit proportionata alteri, aut possit proportionari absque dicto periculo, vt possit ab eo cognosci; quod negari non potest: ergo negandum non est, posse esse impotentiam aliquam naturalem respectiuam, quæ sit perpetua, ac proinde dirimens matrimonium. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

In can. autem 2. 33. qu. 1. vbi dicitur: *Si huic non poterit concordare naturaliter, quomodo alteri conueniet?* tantum est sermo de impedimento proueniente ex naturali frigiditate, quod non est respectiuum, sed absolutum; & de eodem est sermo in c. *Laudabilem*, vt patet ex initio ipsius.

DIFFICULTAS VII.

Vtrum coniux naturaliter impotens, cui licite & absque periculo vitæ potest humano aliquo remedio subueniri, teneatur pati tale remedium, altero id exigente.

23 **D**ifficultas hæc communiter disputatur de femina, quæ nisi patiatur artificiosam sigilli apertionem ferro aut ligno, nequit à marito carnaliter cognosci. Procedit autem in duplici casu. Prior est, quando defectus est in ipsa, ob extraordinariam arctitudinem. Posterior est, quando defectus est in viro ob extraordinariam debilitatem.

Circa difficultatem in utroque casu supponimus (in quo contra Basilium lib. 7. cap. 62. conueniunt Doctores.) id etiam in virgine esse licitum; quia nulla apparet turpitudine in eo, quod naturâ arte iuuetur ad actum honestum, qualis est coniugalitatis, ac proinde, si aliàs possit fieri absque periculo vitæ, ut sæpè fieri potest, dictam impotentiam non censeri perpetuam, nec dirimere matrimonium.

24 Circa difficultatem ergo in priori casu conueniunt reliqui Doctores, feminam teneri, si possit fieri absque graui incommodo, ut absque graui infirmitate, & absque graui dolore.

Dissentiunt tamen, An quando fieri non potest absque graui incommodo, teneatur. Nonnulli apud Sancium ubi infra docent non teneri, si nequeat fieri absque graui dolore. Alij vero econtrâ docent, teneri, quamuis nequeat fieri absque graui infirmitate. Sancius autem lib. 7. disp. 93. & Henriquez lib. 12. c. 7. docent teneri, quamuis futurus sit grauis dolor, non verò si futura sit grauis aliqua infirmitas; & meritò. Ratio prioris est, quia cum defectus sit in ipsa femina, non est censendum durum, obligari ad grauem dolorem citò transiurum, ne alterum in perpetuum priuet debito. Ratio posterioris est, quia durum videtur, feminam obligari ad solutionem debiti cum tanto detrimento.

Ochagan. Circa difficultatem in posteriori casu Ochaganua Tractat. 3. quæst. 69. docet, feminam teneri, quamuis cum graui detrimento, & iactura non periculosa; quia id videtur exigere ius viri in corpore feminae; Sancius verò docet teneri, quando non sit futura grauis infirmitas.

Petrus Ledesma. Petrus autem Ledesma quæst. 58. art. 1. docet, non teneri, & meritò: quia femina nullus est defectus ut reddat, sed tantum viro: ergo ipsi tantum, & non feminae, incumbit uti remedio, quo defectus ipsius suppleatur; feminae verò sufficit offerre debitum modo ordinario, præsertim quòd feminam, præcipuè virginem, artificio corrumpi, horreat quodammodo natura, & honestas ipsa difficillimè patiatur.

DIFFICULTAS VIII.

Vtrum Impotentia ex maleficio dirimat Matrimonium contrahendum.

25 **S**upponimus, posse aliquem arte dæmonis per maleficium fieri impotentem ad cõmixtionem

carnalem, seu ab ea impediri multis modis, qui videri possunt apud Delrium lib. 3. Disquisit. magic. 1. p. quæstiunc. 4. sect. 8. hæc autem impotentia, sicut naturalis, potest esse alia temporalis, & alia perpetua, & alia respectiua, & alia absoluta; potest autem variis signis dignosci, de quibus Sancius lib. 7. disp. 64.

Hoc ergo supposito, Almaynus in 4. dist. 34. Glossain can. fin. 33. quæst. 1. & in cap. Fraternalis. 6. de Frigidis, & Innocentius in c. Laudabilem. 5. eodem titulo docent, nullam impotentiam ex maleficio prouenientem dirimere matrimonium contrahendum. Quod deduci videtur ex cap. Ex literis. 3. de Frigidis, dum dicitur, *Sicut illud mulier à natura contraxit, viro aliam accipiendi liberam tribuas facultatem.* Vbi supponi videtur, quòd quando impotentia non prouenit à natura, non dirimit matrimonium. Et ratione probatur, quia nulla impotentia ex maleficio proueniens est perpetua; quia nullum est maleficium quod auferri non possit per ipsum maleficium: ergo nulla impotentia ex maleficio proueniens dirimit matrimonium.

Sancius verò lib. 7. disp. 94. Aegidius disp. 31. dub. 7. Basilus cap. 65. & communiter Doctores docent (& meritò) impotentiam ex maleficio posse dirimere matrimonium. Quod exprimitur in can. fin. 33. qu. 1. quod quamuis sit cuiusdam Archiepiscopi, & non Romani Pontificis, quoad hoc tamen vsu totius Ecclesiæ receptum est. Quod etiam non leuiter deducitur ex c. Laudabilem. 5. de Frigidis.

Et ratione constat, quia quæcumque impotentia, quando perpetua est, dirimit matrimonium, ut constat ex toto titulo de Frigidis; sed ex maleficio potest prouenire impotentia perpetua, ergo. Consequentia patet, & etiam Antecedens pro Maiori. Minor autem probatur: quia ex maleficio effici potest tanta frigiditas, quanta est naturalis, ex qua prouenit impotentia naturalis absoluta & perpetua. Et etiam potest quis ex maleficio ita impediri, ut nequeat coire, & etiam quòd post coitum nequeat semen emittere; & aliàs maleficium, ex quo prouenit hoc impedimentum, aliquando nequit auferri, nisi alio maleficio, ac proinde nequit absque peccato, ob quod impedimentum censetur perpetuum; aut si potuit absque maleficio, & peccato, auctor tamen maleficij mortuus est, & nullus alius est, qui sciat dissolutionem maleficij; ac proinde iam humana industria auferri non possit. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

In cap. autem Ex literis. ab aduersariis adducto, tantum continetur argumentum à contrario sensu, quod non est efficax, præsertim quando oppositum continetur in Iure: in eo autem continetur, posse esse impotentiam ex maleficio perpetuam, & dirimentem matrimonium, ut constat ex dictis.

DIFFICULTAS IX.

Vtrum Impotentia perpetua dirimat Matrimonium etiam Iure naturali.

28 **S**upponimus, impotentiam perpetuam, siue naturalem siue ex maleficio, siue absolutam siue respectiuam Iure Ecclesiastico dirimere matrimonium.

trimum contrahendum, vt constat ex 33. q. 1. & ex tit. de Frigidis & maleficiatis. Quærimus tamen, an etiam dirimat Iure naturali.

Paludan.
Antonin.
Medina.

Paludan in 4. dist. 30. qu. 1. art. 2. Antoninus 3. p. tit. 1. c. 15. & Michaël de Medina lib. 5. de Cælibatu c. 54. docent, non dirimere Iure naturali, quod deduci videtur ex cap. 2. de Frigidis, dum dicitur: *Sicut puer, qui non potest reddere debitum, non est aptus coniugio, sic qui impotentes sunt, minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur*: sed matrimonia puerorum seu impuberum, non Iure naturali, sed tantùm Ecclesiastico irritantur, ergo etiam matrimonia impotentium.

29

Et ratione probatur, quia ad essentiam matrimonij non requiritur copula, sed sufficit mutua corporum viri & feminae traditio: sed impotentia tantùm impedit copulam, & non mutuam corporum traditionem; ergo impotentes sunt ex natura rei, seu Iure naturali apti & habiles ad contrahendum matrimonium. Et confirmatur, quia impotentia, matrimonio iam factò superueniens, non dissoluit illud, ergo potentia non est essentialiter requisita ad matrimonium; quia si esset, impotentia superueniens illud dissolueret, sicut dissoluit conuersio feminae in virum superueniens, quia diuersitas sexus est essentialiter requisita ad id.

Sancius.
Henriquez.
Ægidius.

Sancius verò lib. 7. disp. 98. Henriquez lib. 12. cap. 7. & Ægidius disp. 31. dub. 7. docent, impotentiam perpetuam, etiam Iure naturali, dirimere matrimonium contrahendum. Quod, quoad impotentiam ortam ex frigiditate, dicitur in dicto Motu proprio Sixti V. quòd si hæc Iure naturali dirimit, etiam quæcumque alia eodem dirimet, quia omnium eadem est ratio. Et ratione probatur, quia qui ex natura rei, siue physicè siue moraliter, siue intrinsecè siue extrinsecè est perpetuò impotens, est ex natura rei perpetuò ineptus, vt alteri tradat dominium sui corporis, & contrahat obligationem ad commixtionem carnalem; quia nemo potest ad id, quod sibi semper est impossibile, obligari; ergo ex natura rei, seu Iure naturali est inhabilis ad contrahendum matrimonium.

Sixtus V.

30

In cap. autem illo 2. de Frigidis, adducto ab aduersariis, matrimonia puerorum & impuberum ex vna parte, & impotentium ex altera, tantùm comparantur quoad nullitatem, non verò quoad Ius ex quo nullitas oritur.

Ad rationem verò respondemus, quòd quamuis ad matrimonium non requiratur copula, requiritur tamen traditio dominij ad illam, & contractio obligationis ad illam, quæ nequeunt fieri ab eo qui est perpetuò impotens ad copulam.

31

Et ad confirmationem concedimus, impotentiam superuenientem matrimonio non dissolueri illud, benè tamen conuersionem feminae in virum; quia quamuis corpus absque impotentia ad copulam requiratur ad essentiam matrimonij in fieri, seu ad tradendum dominium in copulam, non tamen ad essentiam matrimonij in factò esse, seu ad conseruationem illius; diuersitas verò sexus requiritur ad essentiam matrimonij etiam in factò esse. Ratio discriminis est, quia per matrimonium tantùm traditur, & post iam factum tantùm conseruatur dominium corporis vnus tamquàm vxoris, & alterius tamquam mariti, quod nequit primò fieri, neque postea conseruari absque diuersitate sexus. Dictum verò dominium, semel acquisitum, potest benè conseruari absque potentia ad

copulam, dum perseueret diuersitas sexus; quia quamuis superueniat impotentia, potest in diuersitate sexus manere dominium, & obligatio ad copulam, si fortè impedimentum miraculosè auferatur, quamuis nequeat in principio tradi; quia plus requiritur ad inceptionem rei, quam ad eius conseruationem.

Vnde impotentia, superueniens matrimonio, non dissoluit illud, non solùm quando iam est consummatum (in quo Doctores omnes conueniunt) sed etiam quando non est consummatum, vt contra Gratianum, & nonnullos alios Iurisperitos, docent Sancius disp. 102. & communiter Doctores; quod exprimi videtur in can. *Hi qui*. 32. quæst. 7. dum generaliter dicitur, ob nullam impotentiam superuenientem, matrimonium cassare. Gregorius verò III. in can. *Quod proposuisti*. 32. qu. 7. & Alexander III. in cap. *Ex literis*. de Frigidis, vbi concedunt licentiam migrandi ad aliud matrimonium ob impotentiam, non est ob impotentiam superuenientem matrimonio, sed ob antecedentem ad ipsum.

Sancius.

Gregorius
III.
Alex. III.

33

Obseruandum est, non tantùm impotentiam ignoratam ab altero dirimere matrimonium, sed etiam cognitam, vt contra Paludanum in 4. dist. 30. qu. 1. ar. 2. docent Sancius disp. 97. & Ægidius vbi supra: quod constat ex tit. de Frigidis, vbi absque limitatione aut distinctione aliqua impotentiae ignoratae aut cognitae dicitur, impotentiam dirimere matrimonium, & ex dicto Motu proprio Sixti V. dum in eo supponitur, matrimonia eunuchorum esse & fuisse nulla, siue contracta fuerint cum scientibus siue cum ignorantibus eorum impotentiam. Et sanè impotentia, quamuis cognita, efficit ipsum impotentem materiam ineptam matrimonio.

Sancius.
Ægidius.

Sixtus V.

DIFFICULTAS X.

Vtrum hermaphroditus possit Matrimonium mire.

Hermaphroditus dicitur, qui vtrumque sexum habet, virilem videlicet & femineum. Conueniunt autem Doctores Primò, hermaphroditum posse licitè & validè contrahere matrimonium iuxta sexum in eo prævalentem, seu eminentem, ita vt is in quo præualet sexus virilis, possit tamquam vir cum femina contrahere, & is in quo femineus, possit tamquam femina contrahere cum viro. Ita Sancius lib. 7. disput. 106. & Ægidius disp. 31. dubit. 7. quia iuxta sexum eminentem habet potentiam ad perfectam copulam; imò, vt constat ex L. *Queritur*. ff. De statu hominum, iuxta sexum eminentem magis censetur vir aut femina.

Sancius.
Ægidius.

34

Conueniunt Secundò, quòd quando in hermaphrodito vterque sexus est æqualis, possit iuxta sexum quem elegerit contrahere matrimonium; quia ex vna parte etiam tunc iuxta quemlibet habet potentiam ad perfectam copulam, & ex altera ei Iure naturali, non impedito per Ius aliquod positium, datur optio eligendi sexum ad matrimonium. Nihilominus expedit eum non admittere ad matrimonium, nisi coram Iudice Ecclesiastico prius protestetur, imò & iuret, se numquam vsurum altero sexu, argumento canon. 15. *Presbyteros*. 16. quæst. 1. Quòd si factus viduus

viduus de facto contraxerit iuxta alterum sexum, validè contrahet, in quo etiam conueniunt Doctores: quia etiam iuxta eum habet potentiam ad perfectam copulam, & nullo Iure contractus ille irritatur; & forsan etiam licitè contrahet, saltem absque mortali, si non fecerit dictum iuramentum; quia iuramento secluso nulla in hoc apparet inordinatio, saltem grauis. Censetur autem hermaphroditus habere sexum æqualem, non solum quando iudicatur à peritis, sed etiam quando post prudens examen manet dubium, & non constat in eo aliquem eminere.

35
Basilius.

Addimus contra Sancium (vt optimè Basiliius cap. 65.) hermaphroditum posse validè contrahere iuxta sexum minùs præualem, quando iuxta talem sexum est potentia ad perfectam copulam, vt esse potest; quia Iure naturali non est inhabilis, cum verè sit potens iuxta eum sexum, vt supponimus, neque Iure aliquo positiuo, quia nullum extat. Quod autem, vt dicitur in dicta L. *Queritur*. magis censetur vir quàm femina, quando præualet sexus virilis, non obstat, quia etiam tunc est sufficienter femina; & quamuis magis censetur femina quàm vir, quando præualet sexus femineus, etiam non obstat, quia etiam tunc est sufficienter vir.

DIFFICULTAS XI.

Quantum tempus experientie requiratur ad declarationem nullitatis matrimonij ob impotentiam perpetuam.

36 **S**upponimus, pro foro conscientie, quando certò constat impotentiam esse perpetuam, aut quando constat ferè certò (id est, quando est probabile, esse perpetuam, absque probabilitate oppositi) ex tunc coniuges non posse se maritaliter tractare, quamuis ad id per censuras compellantur; quia ex tunc est certum, aut ferè certum, matrimonium esse nullum, & quando est probabile, impotentiam non esse perpetuam, quamuis oppositum etiam sit probabile, ex tunc posse se maritaliter tractare; quia tunc prudenter iudicatur, matrimonium esse validum: quando verò non est certum, neque ferè certum, impotentiam esse perpetuam, & non est probabile non esse perpetuam, sed est dubium an sit vel non sit perpetua, posse coniuges in matrimonio, & in eius vsu pro tempore aliquo perseuerare; quia in dicto dubio habent ius inquirendi, an impotentia sit perpetua, & nequit aliter inquireri, quàm experiendo an possint carnaliter commisceri; ad quod experiendum requiritur tempus aliquod, quod Ecclesia in c. *Laudabilem*. 5. & in cap. fin. de Frigidis, prudenter extendit ad triennium; quia id videtur necessarium, & sufficiens ad veritatem inueniendam; ac proinde ultra triennium nequeunt coniuges se maritaliter tractare, quando eo transacto non constat saltem probabiliter impotentiam non esse perpetuam.

37

Hoc ergo supposito, difficultas est, An dictum triennium requisitum sit pro foro exteriori, seu iudiciali, vt declarari possit matrimonium nullum.

Conueniunt Primò Doctores, quando certò aut ferè certò constat impotentiam esse perpetuam, quia sunt signa euidentia, aut ferè euidentia perpetuitatis impotentie, tunc statim absque expecta-

tione alicuius temporis, matrimonium declarandum esse nullum; quia tempus tantum requiritur, vt dubium experientia superetur: in dicto autem casu nullum est dubium, saltem moraliter. Id verò quod addunt Sancius disp. 107. & Basiliius c. 66. nempe quando non certò, sed tantum ferè certò constat, tunc esse necessarium iuramentum ipsorum coniugum fatentium impotentiam, & iuramentum propinquorum, aut (si hi deficient) vicinorum asserentium, posse coniugibus credi, dicitur absque fundamento: quia dicta iuramenta nullo Iure requiruntur; quia non positiuo, quia isto tantum requiruntur in casu dubio; neque Iure naturali, quia cum in casu dicto perpetuitas sit moraliter & humano modo certa, frustra requiritur maior probatio.

38
Sancius.
Basiliius.

Secundò conueniunt Doctores, quando neque certò neque ferè certò constat Iudici, impotentiam esse perpetuam, quia non sunt signa euidentia, neque ferè euidentia perpetuitatis, sed est dubium, quia signa perpetuitatis sunt dubia, & vterque non fatetur impotentiam, quia alter negat; tunc necessarium esse triennium experientie ad iudicam declarationem nullitatis matrimonij, vt constat ex cap. *Laudabilem*. Sed quid amplius tunc requiratur ad dictam declarationem, disputat Sancius disp. 109.

Est tamen difficultas, An in casu dicti dubij, quando vterque fatetur impotentiam, necessarium sit triennium experientie ad dictam declarationem.

Angelus v. *Matrimonium*. 3. Impedimento 16. Rosella v. *Diuortium*. num. 1. & Siluester quæst. 18. num. 21. docent, tunc non esse necessarium triennium, sed sufficere tempus arbitrium: quod deduci videtur ex cap. 1. de Frigidis, vbi intra breuius tempus conceditur separatio, quod saltem est verum, quando vterque fatetur impotentiam; & etiam ex cap. *Laudabilem*, in quo videtur requiri triennium, solum quando vnus coniugum affirmat, & alter negat. Quod etiam ratione videtur probari, quia post experientiam alicuius temporis confessio vtriusque videtur sufficiens probatio.

39
Angelus.
Rosella.
Siluester.

Sancius verò lib. 7. disp. 108. Antoninus 3. par. tit. 1. cap. 12. & Basiliius cap. 66. docent, etiã quando vterque fatetur impotentiam, necessarium esse triennium ad dictam declarationem; quod non leuiter deducitur ex cap. *Laudabilem*, dum in eo absolutè requiritur experientia triennij, quando non constat de frigiditate, id est, de perpetuitate impotentie, etiam quando vterque fatetur impotentiam; imò etiam requiritur iuramentum vtriusque, quo iurent impotentiam, & quatuordecim propinquorum, aut vicinorum, propinquis deficientibus, quo iurent, quòd possit coniugibus credi; & quando alter negat, præter dictum triennium, & præter dicta iuramenta etiam requiritur vera probatio per testes, qui audierint ab ipsis coniugibus, non posse fieri vnã carnem, nisi fiat probatio per aspectum corporis.

Sancius.
Antonin.
Basiliius.

Et ratione probatur, quia quando est dubium perpetuitatis, confessio & iuramentum vtriusque, quòd adsit impotentia, non aufert necessitatem experientie triennalis; quia quamuis vterque fateatur impotentiam, potest adhuc dubitari an sit perpetua: ergo præter dictam confessionem, & iuramentum impotentie, necessaria est experientia

40

trica-

triennalis ad inquirendam perpetuitatem impotentiae.

In dicto autem cap. 1. de Frigidis (quod non est certae auctoritatis apud omnes) solum conceditur separatio intra tempus breuius triennio, quando ante triennium verè probatur frigiditas (id est, impotentiam esse perpetuam) vt etiam exprimitur in cap. *Laudabilem*, in quo absolute requiritur in dubio perpetuitatis; id verò quod super requiritur, quando altera pars negat, non est triennium, sed supra ipsum dicta illa probatio per testes.

41

Triennium autem hoc cohabitationis in toro ad faciendam dictam experientiam, taxatum ab Ecclesia, non est computandum à tempore ante conatum ad copulam, in quo Doctores conueniunt; quia ante eum nequit inchoari experientia, sed à die conatus, & non à tempore praefixo à Iudice post penitentiam actam à coniugibus, vt nonnulli Iurisperiti immeritò dixerunt; quia in c. *Laudabilem*, expresse dicitur, computandum esse à die celebrationis coniugij, id est, à die intentatae copulae; quia eo die intentari solet, & ab eodem die computandum est, etiam in matrimonio pueri quatuordecim annorum, & puellae duodecim, quando etiam agitur de impedimento impotentiae, & non à decimo octauo anno in puero, & à decimo quarto in puella (vt immeritò docet Sancius:) quia triennium eodem modo, absque distinctione aliqua horum aut illorum, supponitur sufficere pro experientia. Est autem necessarium, quòd triennium sit continuum (vt supponitur in cap. fin. de Frigidis) non mathematicè, sed moraliter, iuxta communem cursum, vt docent Sancius, & communiter Doctores: quòd si attentò communi rerum cursu sit magna aliqua interpolatio, suppleta est post triennium.

Sancius.

42

Obseruandum tamen est, quòd quamuis impotentia fuerit iudicata perpetua siue ante siue post triennium, & ob id matrimonium fuerit declaratum nullum à Iudice; si tamen postea naturaliter sine miraculo, & sine vitae periculo, & sine peccato cesset impotentia, quo constabit non fuisse perpetuam, contrahentes sunt iterum coniungendi; quia matrimonium verè non fuit nullum, quamuis vnus ex illis sit iam Sacris initiatus: imò si matrimonium fuit consummatum, quamuis iam sit Religiosus professus. Quod addimus, quia si non fuit consummatum, verè professione ipsa fuit dissolutum; professus autem, & Sacris initiatus ad coniugem redeunt, quamuis reddere teneantur, prohibiti sunt petere, voto aut obligatione castitatis intuitu Religionis imposita.

43

Id autem quod diximus, nempe in dubio perpetuitatis impotentiae requiri triennium pro foro exteriori, etiam intelligimus verum, quamuis pro perpetuitate impotentiae sit probabilis opinio, si pro non perpetuitate etiam sit opinio probabilis; quia in tanta contingentia physica non perpetuitatis impotentiae, quanta tunc erit, æquum est vt experientia inquiretur veritas, & ante inquisitionem matrimonium non declaretur à Iudice nullum.

DIFFICULTAS XII.

An Impotentia temporalis ex defectu aetatis dirimat Matrimonium, an defectus ipse aetatis.

Conueniunt Doctores, impotentiam temporalem, ex defectu aetatis prouenientem, non dirimere matrimonium contrahendum; ipsum tamen defectum aetatis non attingentis annum duodecimum in puella, & decimum quartum in puero, dirimere matrimonium Iure Ecclesiastico, vt constat ex cap. *Puberes*. 3. & ex cap. *Continebatur*. 6. & ex cap. *Attestationes*. 10. & ex cap. *Ex literis*. 11. de Desponsatione impuberum; & non dirimere Iure naturali, si aliàs sit sufficiens vsus rationis; quia ex natura rei apti sunt obligari ex tunc ad actum coniugalem postea possibilem.

Defectus tamen aetatis, quando malitia aetatem supplet, nullo Iure, adhuc Ecclesiastico, dirimit matrimonium, vt constat ex cap. *Continebatur*. & ex cap. *De illis*. 9. & ex cap. fin. de Desponsat. impub. Nomine autem malitia intelligitur non tantum vsus rationis, sed etiam perfecta potentia coeundi, vt constat ex capp. *Continebatur*. & *De illis*; quia si solus vsus rationis suppleret aetatem, frustra fuisset facta ea dispositio & praescriptio aetatis; quia ex vna parte, quando esset vsus rationis ante dictam aetatem, valeret matrimonium, & ex altera, quando non est vsus rationis, adhuc post dictam aetatem, non valet; quia vsus rationis Iure naturali requiritur ad valorem matrimonij, & cuiuscumque alterius contractus.

44

Est tamen difficultas Primò, an ad valorem matrimonij requiratur dicta aetas mathematicè completa, an sufficiat moraliter; vt quando alicui tantum deficiunt quindecim dies plus minusve; procedit autem quando malitia non supplet aetatem.

Rebellus lib. 3. quaest. 16. sect. 2. Vera-cruz, & alij docent, non requiri dictam aetatem esse mathematicè completam, sed sufficere moraliter modo dicto; quia quod parum distat, nihil distare videtur. Sancius verò lib. 7. disp. 104. Basilius lib. 7. c. 65. & alij docent, requiri dictam aetatem esse mathematicè completam, & meritò: quia Iure praescribitur seu taxatur, ac proinde debet in indiuisibili consistere, sicut pretium iure praescriptum in indiuisibili consistit. Vnde Regula illa, *Quod parum distat*, &c. non habet locum in taxatis à Iure.

45
Rebellus.
Vera-cruz.Sancius.
Basilius.

Id verò quod addit Sancius, nempe sufficere, vltimum diem, quo dicti anni praescripti complentur, esse inchoatum, falsum est, vt optimè Basilius, quia quousque sit completus, dicta aetas non est mathematicè completa, neque in indiuisibili consistens.

Basilius.

Secundò est difficultas, Quanto tempore ante dictam aetatem malitia eam suppleat.

Supponimus (in quo contra nonnullos conueniunt communiter Doctores) non quocumque tempore ante eam aetatem malitiam (id est discretionem & potentiam perfectè coeundi) supplere aetatem, sed tantum tempore proximo dictae aetati seu pubertati, vt constat ex dictis capp. *Continebatur*, & *De illis*. 9.

Dissentiunt tamen dicti Doctores in assignando tempus proximum dictae aetati. Non desunt

46

qui dicant, tempus proximum dictæ ætati esse, quod ab ea non distat amplius quam per sex menses. Et alij, qui in pueris dicunt esse tempus excedens annum decimum & dimidium, & in puellis nonum & dimidium. Sancius verò id relinquit arbitrio Iudicis, ut illud assignet, quia nihil videtur Iure præscriptum.

Nos tamen existimamus, tempus dictæ ætati proximum, à quo malitia ætatem ipsam suppleat, esse, cui non deficit plus quam vnus integer annus, ut exprimitur in cap. *Continebatur*. Vnde puella, quæ habet vndecim annos completos, & puer qui habet tredecim, sunt proximi pubertati, ut, quando malitia suppleat

ætatem, possint matrimonium contrahere.

Observandum est, contrahere ante ætatem in qua matrimonium possit validè fieri, esse illicitum, seu peccatum; quia est prohibitum in cap. *Vbi non*. 2. de Desponsat. impub. imò esse mortale, ut contra Sancium lib. 1. disp. 17. docent Rebellus lib. 4. quæst. 5. Ægidius disp. 21. num. 54. & Basilius, quia est quid graue. Excipitur autem in dicto cap. à prohibitione, ut non sit illicitum, imò etiam ut sit validum, quando fit ex vrgentissima causa, ut ob bonum pacis, & fit ex tolerantia (id est, ex licentia) Ordinarij, ut aduertit Sancius lib. 2. disput. 40. & Basilius.

47

Rebellus.
Ægidius.
Basilius.

DISPUTATIO XXIII.

De Crimine.

DIFFICULTAS I.

Vtrum machinatio in mortem coniugis dirimat Matrimonium postea cum altero contrahendum.

CONVENIUNT Doctores, machinationem in mortem coniugis siue proprij, siue alieni, dirimere matrimonium contrahendum inter coniugem superstitem, & inter alterum, quando ab aliquo ex ipsis duobus facta est machinatio, ut constat ex can. *Si quis viuente*. 31. quæst. 1. & ex cap. 1. de Conuersione infidelium, quamuis vnus, inter quos est contrahendum, machinatus fuerit ante Baptismum, ut constat ex dicto cap. 1. Et non tantum machinatio in mortem vxoris dirimit matrimonium, in quo conueniunt Doctores, sed etiam machinatio in mortem mariti, ut contra Victoriam & Ledesmam docent Sancius, Ægidius, Basilius vbi supra, & communiter Doctores; quia quamuis in aliquibus Iuribus tantum fiat mentio machinationis in mortem vxoris, in duobus tamen prædictis fit mentio machinationis in mortem mariti.

Est tamen necessarium, ut machinatio in mortem coniugis dirimat matrimonium, quod fortiaur effectum mortis, in quo Doctores conueniunt, & constat ex dictis duobus Iuribus. Quod verò in alijs Iuribus non exprimitur, in quibus fit mentio impedimenti machinationis, non obstat, tum quia ista alia Iura explicanda sunt per duo dicta, in quibus id exprimitur; cum etiam, quia Iura imponentia pœnam crimini, intelligenda sunt de crimine completo, quando aliud non constat. Ut tamen machinatio in mortem effectiue secutam dirimat matrimonium cum superstite, sufficit quod fiat consilio aut mandato, in quo etiam Doctores conueniunt, & constat ex dicto can. *Si quis viuente*, & ex c. 1. & ex c. 6. de Eo qui duxit in matrimonium. Sed non sufficit rati habitio machinationis & mortis, in quo etiam Doctores conueniunt; quia in omni Iure requiritur machinatio: rati habitio autem neque est machinatio physica, ut patet; neque moralis in medio consilio, aut mandato; quia rati habitio non aequiparatur mandato, nisi in his quæ à sola nostra voluntate dependent ut rata sint, aut quando Iure exprimitur, ut contin-

git in rati habitio qua quis ratam habet occisionem violentam Clerici.

Est tamen difficultas Primò, An ut dicta machinatio in mortem re ipsa secutam dirimat matrimonium contrahendum, necessarium sit, quod fiat animo contrahendi illud.

Caietanus in Summa, v. *Matrimonium*. cap. 1. Impedimento 5. & Petrus Sotus docent, eam intentionem non esse necessariam, ut dicta machinatio dirimat matrimonium, quia ea intentio nullo Iure requiritur ad effectum dirimendi.

Sancius verò lib. 7. disp. 78. & Ægidius disp. 31. dub. 5. & Basilius lib. 7. c. 45. docent, eam intentionem esse ad id necessariam, & meritò: quia quamuis in Iure non exprimitur, insinuat tamen in cap. *Super hoc*. 3. de Eo qui duxit in matrimonium, & in cap. 1. de Conuersione infidel. dum dicitur, *malitiosè fuerint machinati*, imò etiam in can. *Si quis viuente*, dum dicitur, *occidisse notetur*, quod satis verisimile efficit finis appositionis huius pœnæ & impedimenti, qui fuit, ne quis desiderio matrimonij occidat proprium vel alienum coniugem; imò, ut optimè Basilius, iuxta doctrinam, quam tradit Vasquez 1. 2. disp. 160. necessarium est, eam intentionem exterius indicari, quia aliter nequit puniri ab Ecclesia, à qua sola introducta est dicta pœna.

Secundò est difficultas, An machinatio in mortem re ipsa secutam, & facta ex dicta intentione, dirimat matrimonium, quando non interuenit adulterium.

Antoninus 3. p. tit. 1. c. 5. & Vera-cruz 1. p. Speculi, art. 33. docent non esse necessarium adulterium, quamuis vnus solus supra dicto modo machinatus fuerit in mortem coniugis.

Monaldus in Summa, tractat. de Matrimonio, vbi de impedimento criminis, & Ochagaia tractat. 3. quæst. 61. docent, necessarium esse adulterium ad id, quamuis vterque, nempe vnus coniux, & alter cum quo contrahendum est matrimonium, machinatus fuerit in mortem alterius coniugis.

Sancius verò, & Basilius vbi supra, & Toletus lib. 7. c. 6. respondent sub distinctione (& benè) tunc videlicet etiam requiri adulterium, quando vnus tantum, siue coniux siue alter machinatus est in mortem, ut constat ex dicto cap. 6. de Eo qui duxit, in quo cum machinatione facta ab vno requiritur

4

Antonin.
Vera-cruz.

Monaldus.
Ochagan.

Sancius.
Basilius.
Toletus.

ritur

Sancius.

I

Sancius.
Ægidius.
Basilius.

2

ritur adulterium, quamuis non sufficiat, nisi adulterium ab utroque scienter committatur; tum vero non requiritur adulterium, quando uterque machinatus est in mortem, ut constat ex dicto cap. 1. de Conuersione infidel. in quo, nulla mentione facta adulterij, dicitur, matrimonium inter uxores occisorum à Sarracenis, & inter ipsos Sarracenos, etiam ad fidem conuersos, non valere, quia uxores occisorum cum ipsis Sarracenis malitiosè machinatae fuerunt in mortem suorum maritorum.

DIFFICULTAS II.

Vtrum adulterium absque machinatione mortis dirimat Matrimonium inter adulteros.

6 **C**onueniunt Doctores, adulterium, etiam absque machinatione in mortem coniugis, dirimere matrimonium contrahendum inter ipsos adulteros, si adulterium coniungatur aut cum matrimonio de presenti inito inter ipsos adulteros, adhuc altero coniuge superstite, aut cum promissione matrimonij contrahendi cum adultero complice facta ante mortem coniugis, ut constat ex can. *Relatum*. 31. qu. 1. & ex capp. 1. 6. 7. & ult. de Eo qui duxit in matrimonium: quod est verum, siue adulterium fiat ante dictum matrimonium, aut ante dictam promissionem, siue post, ut constat ex dicto cap. ult. dum adulterium fiat ante mortem illius coniugis, quo superstite facta fuit promissio, aut initum seu attentatum matrimonium, & non postea in alio matrimonio.

Circa adulterium requisitum ad hoc impedimentum, conueniunt Doctores, requiri verum & formale adulterium: ad quod necessarium est, quod uterque habeat notitiam proprii matrimonij, aut matrimonij alterius adulteri, ut constat ex dictis capp. 1. & 7. in quibus, quia femina ignorauit matrimonium alterius, ob quod non peccauit peccato formali adulterij, dicitur, non incurrisse dictum impedimentum. Existimamus autem contra Sancium lib. 7. d. 79. ad hoc impedimentum sufficere, quando uterque adulter est coniugatus, nosse proprium coniugium, quamuis ignoret alterius; quia in hoc casu uterque verè peccat peccato adulterij. In dictis autem capp. 1. & 7. dicitur, feminam ignaram matrimonij viri non incurrisse dictum impedimentum, quia femina non erat coniugata, ut ibi supponitur.

7 Ab hoc autem impedimento & poena non excusat ignorantia vincibilis; quia non excusat à culpa adulterij, quod verum est, quamuis ignorantia sit crassa, ut contra Sancium vbi supra, & Rebellum lib. 3. qu. 8. docent communiter Doctores, quia hæc, utpote vincibilis, non excusat à culpa adulterij, ob quam hoc impedimentum statuitur. Ad illud tamen incurrendum non sufficiunt tactus, imò neque conatus ad copulam; quia nullo eorum committitur adulterium saltem perfectum; imò, ut aduertit Basilius, non sufficit copula absque seminis intromissione; quia absque hac adulterium non est perfectum; poena autem imposita alicui crimini, absolutè tantum imponitur crimini perfecto.

Circa matrimonium de presenti initum, seu intentatum inter adulteros, ratione cuius adulterium inter ipsos dirimit matrimonium inter eosdem

contrahendum, aduertunt Sancius & Aegidius, sufficere matrimonium clandestinum. Id tamen nos difficile existimamus, quia quòd adulterium cum matrimonio inter adulteros inito dirimat matrimonium, est poena, quæ restringenda est. Cui accedit Primò, quòd in iure ad hoc impedimentum tantum, fit mentio matrimonij, quod ad sui valorem non habet alium defectum, quàm alterum coniugem viuere. Secundò, quòd solum matrimonium, quod aliàs non viuente coniuge esset validum, regulariter præbet occasionem occidendi coniugem, quod Ecclesia apponendo dictum impedimentum vitare contendit.

Circa promissionem matrimonij contrahendi post mortem coniugis, ob quam adulterium dirimit matrimonium inter ipsos adulteros contrahendum, est difficultas Primò, An ad id sufficiat promissio oretenus facta, quando apparet seriò & ex animo facta, quæ communiter dicitur facta.

Sancius vbi supra, & Aegidius disp. 31. nu. 57. *Sancius. Aegidius.* docent sufficere; quia etiam promissio facta præbet occasionem insidiandi vitæ alterius coniugis.

Henriquez verò lib. 12. cap. 14. & Rebellus vbi supra docent, non sufficere, & meritò: quia quòd

adulterium cum promissione matrimonij contrahendi cum complice illud dirimat, est poena, quæ, quia potius est restringenda, sicut non incurritur nisi quando adulterium est perfectum, ita nec quando promissio non est perfecta, & aliàs sufficiens ad obligandum ex iustitia, & sub mortali, qualis non est promissio oretenus facta, quamuis sit valida & sufficiens ad obligandum ex fidelitate, & sub veniali, & ad præbendam dictam occasionem coniugi decepto. Secundò est difficultas, An ad id necessaria sit promissio mutua. Henriquez vbi supra, & Hugolinus de Sacramentis, vbi de Matrimonio, c. 19. affirmant: quia mutua promissio necessaria est ad sponsalia, quæ ad dictum impedimentum requiri videntur. Sancius verò & Rebellus negant, & meritò, quia in cap. 6. de Eo qui duxit, vbi fit mentio dicti impedimenti, supponitur, sufficere promissionem vnus, & in aliis Iuribus, in quibus fit mentio eiusdem impedimenti, tantum fit mentio adulterij cum promissione, seu cum fide data, quæ verè reperitur, quamuis non sit utrimque facta, sed ab vno, dum ab altero sit acceptata; quia quæ non acceptatur, non sufficit, in quo Doctores conueniunt; quia absque acceptatione, quamuis sit fidei oblatio, non tamen fidei datio: quia nulli datur, quod à nullo accipitur. Ad acceptationem autem in hoc casu sufficit taciturnitas alterius, ut contra Sancium docent Rebellus, Aegidius & Basilius: quia in his, quæ fauorabilia iudicantur ab eo cui offeruntur, & ut talia ei offeruntur, quamuis re ipsa non sint fauorabilia, quitacet consentire videtur.

Henriquez. Hugolinus.

Sancius. Rebellus.

Rebellus. Aegidius. Basilius.

Addimus Primò, ut significat Aegidius disp. 31. n. 59. ad dictum impedimentum necessariam esse promissionem absolutam ab omni conditione distincta à morte coniugis: siue quæ à principio fuerit absolutè facta, siue quæ facta fuerit absoluta conditionis euentu sub qua fuit facta; quia in iure ad id absolutè & simpliciter requiritur promissio, qualis non est conditionata ante conditionis euentum; & quis ad id promissio (sicut adulterium, & sicut matrimonium de presenti) debet esse ante mortem alterius coniugis; ideo quando fuit à

10 Aegidius.

princi-

principio conditionata, necessarium est conditionem impleri ante mortem illius.

Addimus Secundò, non sufficere ad id, quòd Maria v.g. coniugata committat adulterium cum Petro soluto, sub fide à Petro dictæ Mariæ data, quòd eius marito mortuo contrahet cum ea femina, quam Franciscus v.g. designauerit, quamuis Maria certò credat, quòd ipsa sit designanda à Francisco; quia tunc non datur fides contrahendi cum Maria, quia absque fractione dictæ promissionis potest Petrus contrahere cum alia femina, si aliam Franciscus designet.

DIFFICULTAS III.

Utrum raptus dirimat Matrimonium.

11 **R**aptus, qui est *violenta puella extractio de domo patris*, iure ciuili in L.vnica De raptu, dirimit matrimonium inter raptorem & raptam: quod approbatum videtur iure Canonico antiquo in can. *Placuit*. 36. q. 2. iure tamen Canonico nouiori in cap. fin. de Raptoribus correctum est, dum statuitur, matrimonium inter raptorem & raptam valere, si rapta consentiat liberè; iure verò nouissimo Tridentini sess. 24. c. 6. de Reformatione matrim. irritatur matrimonium inter raptorem & raptam, quamdiu rapta est in potestate raptoris; non verò si sit separata à potestate raptoris, & in loco tuto ac libero constituta.

Trident.

12 Circa hoc tamen decretum Tridentini difficultas est Primò, An raptus, quo femina rapit virum, dirimat matrimonium.

Henriq. Rodriguez & Vega affirmant, immeritò tamen, vt optimè Sancius lib. 7. d. 13. Aegidius d. 30. dub. 4. Basilius & Rebellus, quia dictum decretum Tridentini, quod tantum est factum contra raptorem, non contra raptricem, vt pote odiosum & pœnale, non est extendendum ad raptricem, præsertim cum sit maior ratio ad fauendum feminis ne cogantur, quàm viris.

Henriq.
Rodriguez.
Vega.
Sancius.
Aegidius.
Basilius.
Rebellus.

Secundò est difficultas, An raptus, quo femina inuitis parentibus, ipsa tamen consentiente, rapitur, dirimat matrimonium.

Henriquez vbi supra, & Sà v. *Matrimonium*. affirmant, quia est verè raptus. Sancius verò & Aegidius negant, & meritò: quia Tridentinum in dicto Decreto tantum loquitur de raptu quo læditur libertas ad matrimonium, quia huic tantum læsioni occurrere intendit; dicto autem raptu, quamuis vero, non læditur libertas ad matrimonium, quia non fit inuita femina, cuius tantum libertas, & non parentum, conducit ad matrimonium.

Henriquez.
Sà.
Sancius.
Aegidius.

Tertiò est difficultas, An raptus propriæ sponsæ ipsa inuita dirimat matrimonium. 13

Henriquez negat, immeritò tamen, vt optimè Sancius & Sà, quia Tridentinum indiscriminatim loquitur de raptu, quo libertas ad matrimonium læditur; in hoc autem casu verè læditur. Trident.

Henriquez.

Sancius.

Sà.

Trident.

Quartò est difficultas, An raptus non factus causa contrahendi matrimonium cum rapta, sed causa libidinis, dirimat matrimonium.

P. Sà vbi supra, & Ochagauia Tract. 3. qu. 44. affirmant, Primò, quia Tridentinum absolute & absque vlla limitatione loquitur de raptu. Secundò, quia raptus, etiam non factus causa contrahendi matrimonium, lædit libertatem feminæ ad illud. Tertiò, quia Tridentinum ibi punit raptorem & fautores, quamuis Clericos, & tamen Clerici non rapiunt ad contrahendum matrimonium, ergo.

Sà.

Ochagan.

Tridentin.

Sancius verò & Aegidius negant, & meritò: quia Tridentinum dicto impedimento & reliquis pœnis tantum intendit punire eum qui lædit libertatem ad matrimonium, vt sic puniendo impediatur dictam læsionem: qui autem feminam rapuit non ad contrahendum matrimonium, non violauit libertatem ad illud, neque ad illud coegit; ergo nullam pœnam à Tridentino assignatam adhuc dicti impedimenti incurrit. Ex quo constat ad Secundam rationem aduersariorum, & quòd Tridentinum tantum loquatur de raptu intentione contrahendi matrimonium facto, vt ex eius intentione deducitur, & ex eo quòd in dicto cap. incipit agere de matrimonio contrahendo inter raptorem & raptam. Ad tertiam responderi posset, ibi tantum puniri Clericos fautores, non raptorem; sed adde, Clericos posse esse etiam raptorem intentione contrahendi matrimonium, quando non sunt in Sacris, imò & quando sunt, si non de iure, saltem de facto; quia Clerici in Sacris aliquando de facto contrahunt, quamuis inualidè, sicut coniugati.

Sancius.

Aegidius.

14

15 Obseruandum est, raptorem, & fautores raptus dirimentis matrimonium, excommunicari ipso iure à Tridentino, ac proinde statim absque alia declaratione excommunicatos manere, etiam si postea ducant raptam; pœnam verò infamiæ, & incapacitatis ad dignitates, & obligationem dotandi raptam, siue eam ducant siue non, & priuationem gradus clericalis, quando raptor aut fautor est Clericus, non incurri ante sententiam Iudicis, vt docent Sancius & Aegidius, iuxta communem doctrinam de legibus pœnalibus: imò non sunt imponendæ à Iudice, si eam validè ducat, excepta pœna dotandi eam.

Sancius.

Aegidius.



DISPUTATIO XXIV.

De Disparitate cultus.

DIFFICULTAS I.

Quo Iure Matrimonium personæ baptizatae cum non baptizata sit nullum.



CONVENIUNT Doctores, matrimonium personæ baptizatae cum non baptizata, quamvis catechumena, esse nullum: & non esse nullum Iure naturali, quia disparitas in Baptismo nullam ex natura rei habet impossibilitatem cum matrimonio, quod constat exemplo S. Clothildis, quæ nupta fuit Clodouæo non baptizato. Quod verò dictæ personæ aliquando non conueniant ad benè educandum prolem, non sufficit vt matrimonium inter eas sit ex natura rei nullum: quia quando id contingit, prouenit per accidens ex malicia personæ non baptizatae (aliàs etiam esset nullum inter personas ambas non baptizatas & infideles, quia istæ potiùs conuenient ad malam educationem prolis) erit tamen illicitum ex natura rei, quando sit probabile periculum malæ educationis prolis, aut desertionis fidei in persona fideli.

Est tamen difficultas, an disparitas in Baptismo dirimat matrimonium Iure diuino positiuo.

2 *Viguerius Vasquez* Viguerius in Summa cap. 16. §. 7. & Vasquez disput. 2. num. 20. affirmant: quia eo ipso quòd Christus matrimonium personæ baptizatae instituit in Sacramentum, irritauit matrimonium illius cum persona non baptizata; quia tale matrimonium, adhuc ex parte personæ baptizatae, nequit esse Sacramentum, quia ratio Sacramenti tantum conuenit toti matrimonio, quod in utroque contrahente reperitur, & non in vno solo.

3 *Sancius. Aegidius.* Sancius verò lib. 7. disp. 71. Aegidius disp. 32. dub. 3. & communiter Doctores negant: quia de eo Iure diuino non constat, imò generaliter in lege gratiæ nullum Ius diuinum purè positiuum agnoscitur, nisi receptionis Sacramentorum, & forsitan etiam fidei; ac proinde neque Iure diuino dictum matrimonium erit prohibitum.

Ad rationem ergo respondemus, Christum non instituisse in Sacramentum matrimonium personæ baptizatae adhuc, vt partem Sacramenti, nisi quando etiam est cum altera baptizata, & quamuis instituisset, non eo ipso irritasset matrimonium illius cum persona non baptizata, quamuis non posset fieri Sacramentum; quia etiam matrimonium inter baptizatos potest validè fieri, quamuis non fiat Sacramentum, vt diximus Disp. 111. Difficult. XVI. hoc tamen matrimonium inter baptizatos non efficere Sacramentum, est illicitum Iure diuino naturali, quia supposita diuina institutione, est ex natura rei contra Religionem, efficere tale matrimonium, & illud non efficere Sacramentum.

Disparitas ergo in Baptismo, solo Iure Ecclesiastico dirimit matrimonium (in quo Doctores communiter conueniunt) non scripto, quia nul-

lum extat, sed introducto, aut viuæ vocis oraculo, aut antiquissimo Ecclesiæ vsu, vnde Pontifex in eo dispensare potest.

DIFFICULTAS II.

Vtrum Matrimonium personæ baptizatae fidelis cum baptizata infideli sit nullum.

Ratio difficultatis pro parte affirmatiua desumitur ex VI. Synodo can. 72. dum matrimonium inter personam Catholicam & hæreticam dicitur irritum, & esse dissoluendum.

Conueniunt tamen communiter Doctores matrimonium inter dictas personas esse validum. Ita Sancius lib. 6. disp. 72. & Aegidius disp. 31. dub. 3. *Sancius. Aegidius.* & id supponitur in c. *Decreuit.* 14. de Hæreticis, in 6. Et ratione constat, quia id nullo Iure irritatur, quia non Ecclesiastico scripto, quia nullum extat; dictus autem can. 72. in quo irritum dicitur, nullius est auctoritatis, quia non fuit editus à VI. Synodo, sed post ipsam dissolutam cum multis aliis canonibus, quos Trullanos vocant, editus fuit à nonnullis Episcopis: neque id irritatur Iure aliquo Ecclesiastico, quod consuetudine fit introductum aut esse constet, quia non fuit Ecclesiæ in vsu, sed potiùs oppositum.

Addimus tamen, matrimonium inter dictas personas esse prohibitum Iure Ecclesiastico, vt patet ex Concilio Chalcedonensi can. 13. & ex *Concilium Chalcedon.* communi consuetudine Ecclesiæ, id habentis vt illicitum: & non esse prohibitum alio Iure, quia non diuino, quia de eo non constat; neque naturali, quia id non est contra rationem, secluso probabili periculo peruersionis personæ Catholicae, & malæ educationis prolis, cui verè potest obuiari. Vnde Pontifex in dicta prohibitione dispensare potest, vt inter dictas personas possit licitè contrahi matrimonium.

Quòd autem persona hæretica peccet peccato sacrilegij, indignè recipiendo Sacramentum matrimonij, non obstat, vt persona Catholica licitè contrahat cum illa, quamuis cooperetur contractui qui à persona hæretica fit sacrilegè; quia, vt fit à persona Catholica, licitè fit, & posset à persona hæretica, se disponendo ad gratiam, vt potest, & sua malitia non vult.

Excipit tamen Sancius à dicta prohibitione matrimonium Catholicorum palàm habitantium & *Sancius.* tractantium cum hæreticis, vt secluso periculo peruersionis, & malæ educationis possit licitè fieri, & meritò: quia in Prouinciis illis ita est consuetudine receptum, & in eis prohibitio antiqua cessauit.

De Vi & Ligamine, & defectu Parochi & testium, quæ supersunt ex impedimentis dirimentibus, iam egimus supra; de Vi Disp. vi. vbi egimus de matrimonio coacto; de Ligamine Disp. ix. vbi egimus de polygamia; de defectu Parochi & testium, Disp. v. vbi egimus de matrimonio clandestino.

DISPUTATIO XXV.

De Impedimentis tantum impediens.

DIFFICULTAS I.

Quot, & quæ sint impedimenta tantum impediens Matrimonium.

SUPPONIMVS, impedimenta Iure naturali & antiquo Ecclesiastico tantum impediens matrimonium, id est, quibus illicitum est aut erat contrahere matrimonium (quamuis validè) fuisse duodecim, quæ sequentibus versibus continentur:

*Ecclesia vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque catechismus, sponsalia, iungitū votum,
Incestus, raptus sponsata mors mulieris,
Susceptus propria sobolis, mors presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem
Accipiat: prohibent hæc coniugium sociandum.*

Primum ergo impedimentum impediens ne licitè contrahatur matrimonium, quamuis validè, est *Ecclesia vetitum*, id est prohibitio Iudicis, ex iusta causa prohibentis aliquibus matrimonium ad tempus, vt quando dubitatur de impedimento inter eos, donec liquidò constet. Obligat autem sub mortali, vt pote prohibitio rei grauis. Eam autem prohibitionem posse fieri à Parocho, aduertunt Antoninus 3. part. tit. 1. c. 16. Sancius lib. 3. disp. 16. & Basilius lib. 6. c. 7. Ex cap. fin. de Clandestina desponsatione, extraiudicialiter tamen.

Secundum est *Tempus feriatum*, id est prohibitio Iuris, qua pro certis temporibus Iure ipsò prohibetur matrimonium solemniter celebrari. Et quamuis Iure antiquo id pro pluribus temporibus prohiberetur; iam tamen Iure nouo Tridentini sess. 24. c. 10. tantum prohibetur ab Aduentu vsq; ad diem Epiphaniæ, & à die Cinerum vsque ad Octauam Resurrectionis inclusiue: prohibetur autem tam antiquo quam nouo Iure Tridentini, non matrimonium contrahere, sed solemnitas consistens in benedictionibus nuptialibus, & in traditione sponsæ in domum sponsi comitatu solenni, seu splendido conuiuio, & aliis lætitiæ signis, vt, paucis quibusdam exceptis, docent communiter Doctores, & indicat Tridentinum dum ait:

Antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones sancta Synodus obseruari præcipit. Iam verò non nisi benedictiones nuptiales prohibitæ videntur pro dictis temporibus, & non traductio sponsæ conuiuio, & reliquis lætitiæ signis comitata; quia huius prohibitio opposita consuetudine tolerata cessasse videtur. Prohibitio autem benedictionum nuptialium, quæ perseuerat, obligat sub mortali, vt docent communiter Doctores, & deducitur ex Tridentino, & constat ex grauitate rei prohibitæ. Quod verò à nonnullis dicitur, pro dictis temporibus etiam prohiberi actum coniugalem; abique fundamento dicitur.

Tertium est *Catechismus*, quo quis pro baptizando aut pro iam baptizato respondet Sacerdoti interroganti, an credat, & an renuntiet diabolo, quãuis non teneat baptizatum, vt constat ex cap. 2. de Cognatione spiritali, in 6. Hoc tamen impedimentum iam videtur à Tridentino sess. 24. cap. 2. sublatum, vt contra Bartholomæum Ledesmam & Ochagauiam aduertunt Sancius disp. 10. Aegidius disp. 30. dub. 3. & Basilius lib. 6. cap. 11. dum in Baptismo tantum vult contrahi cognationem spiritualementer baptizatum eiusque parentes ex vna parte, & inter baptizantem & eius paternos ex altera, omni alia cognatione sublata. Ex catechismo autem si impedimentum aliquod oriebarur, tantum erat cognationis spiritalis, quamuis imperfecta.

Quartum est *Sponsalia*, quia hæc inita cum vna impediunt Iure naturali ne licitè contrahatur matrimonium cum altera; quia id est contra fidelitatem, & regulariter etiam contra iustitiam: impediunt autem sub mortali, quando etiam obligant ex iustitia, vt patet ex grauitate rei, & ex rigore obligationis virtutis iustitiæ.

Quintum est *Votum simplex Religionis*, aut castitatis, aut cælibatus; quia hoc suã naturã seu suo Iure naturali impedit, & sub mortali, ne fiat matrimonium; quia tunc contrahere, est contra fidem Deo datam in re graui, quamuis votum Religionis & castitatis tantum impediunt contrahere cum animo consummandi; quia contrahere abique eo animo, non est contra dictum votum, quia post matrimonium ratum impleri potest, imò votum Religionis ex licentia coniugis etiam post consummatum.

Sextum est *Incestus cum persona consanguinea* coniugis in primo aut in secundo gradu, & etiam cum matre & filia, neutra vxore incestuosi.

Septimum est *raptus alienæ sponsæ*, etiam ipsa consentiente. Octauum est *vxoricidium*. Nonum est suscipere in Baptismo aut in Confirmatione prolem ex propria vxore, quando fit ex malitia, id est, ex intentione negandi debitum vxori. Decimum est, *Occisio iniusta Presbyteri*. Vndecimum est, *publica pœnitentia*, dum agitur. Duodecimum est contrahere matrimonium cum *Moniali*.

In his septem vltimis impedimentis, nempe in sex dictis criminibus, & in publica pœnitentia non amplius immoramur, quia iam desuetudine cessarunt, vt testantur Nauarrus cap. 22. nu. 75. Sancius lib. 7. disp. 17. Aegidius disp. 30. dubit. 3. & Basilius lib. 6. c. 14.

Ex dictis constat, iam nullum impedimentum tantum impediens Iure positivo statutum perseuerare; quia iam tantum impediunt sponsalia & votum, quæ suo Iure naturali tantum impediunt; prohibitio autem Iudicis tantum impedit quando apponitur à Iudice.

Antonin.
Sancius.
Basilius.

Trident.

Trident.

4
Sancius.
Aegidius.
Basilius.

5

Nauarrus.
Sancius.
Aegidius.
Basilius.

6

DISPUTATIO XXVI.

De dispensatione Impedimentorum Matrimonij.

1 **C**IRCA hanc disputationem supponimus Primò, dispensationem non esse interpretationem, qua iudicatur, ius aut votum hinc & nunc non obligare ob aliquam causam, aliàs quilibet doctus in Iure & in voto posset dispensare; sed esse relaxationem, seu absolutionem Iuris aut voti: & quamuis dispensatio iuris facta absque rationabili causa sit illicita (quamuis forsitan non nisi venialiter) est tamen valida; quia conseruatio Iuris pendet à voluntate illius qui illud tulit, ac proinde si nolit quòd perseveret respectu alicuius personæ, non perseverabit.

2 Secundò supponimus, potestatem dispensandi alicui commissam, seu delegatam à Principe, esse amplè interpretandam, quia ea commissio est fauor Principis; dispensationem verò factam, siue à Principe, siue à delegato, esse strictè interpretandam, quia est odiosa, utpote discessio à Iure communi, & causa discordantiæ intra membra eiusdem corporis mystici. Vtraque pars constat ex Regula 15. de Reg. Iuris, in 6. dum dicitur, *Odia restringi, fauores conuenit ampliari.* Vtraque tamen dicta pars variè ab alijs limitatur: de quo legendi sunt Sancius lib. 8. disp. 1. & 2. & Ægidius disp. 33. dub. 3.

Sancius.
Ægidius.

DIFFICULTAS I.

Vtrum Pontifex dispensare possit in Impedimentis Matrimonij.

CIRCA impedimenta tantum impedientia conueniunt Doctores, Pontificem dispensare posse in illis quæ solo Iure Ecclesiastico impediunt (si aliqua talia perseverant) ut patet, & etiam in voto, quamuis ex natura rei seu Iure naturali impediatur: id tamen potest commissione extraordinaria Christi, superaddita officio Summi Pastoris & legislatoris Ecclesiastici, quæ Ioann. 21. illis verbis, *Pasce oves meas*, agnoscitur Pontifici concessa ad remittendum nomine Dei obligationem ortam ex voto ipsi Deo facto; & quia hæc superaddita est Pontifici, non absolutè, & in destructionem, sed tantum in ædificationem, idèò voti dispensatio absque rationabili causa spiritali cedente in ædificationem erit inualida.

3 Addimus, Pontificem etiam dispensare posse in sponsalibus initis cum vna, quæ suo Iure naturali impediunt contrahere cum altera: quia, ut diximus Disput. VI. Diffic. III. dispensare potest in matrimonio rato, ac proinde à fortiori etiam in sponsalibus, extraordinaria tamen & superaddita Christi commissione: quod etiam ob dictam rationem non efficitur validè, nisi ex rationabili causa spiritali cedente in ædificationem, ut si timeatur priorem sponsam futuram sponso occasionem peccandi, aut si ex matrimonio cum posteriori speretur pax publica.

4 Circa impedimenta dirimentia etiam conue-

niunt Doctores, Pontificem posse in impedimētis solo Iure Ecclesiastico dispensare, ut patet; non tamen posse in impedimētis Iure naturali dirimentibus, in quo Doctores cōmuniter conueniunt: quia Pontifex id non potest auctoritate ordinaria Superioris purè humani, ut patet; neque extraordinaria aliqua, & superaddita Dei commissione, quia non constat eam à Christo accepisse. Vnde non potest dispensare in impedimento impotentia perpetua, neque in impedimento ligaminis, neque in impedimento consanguinitatis in linea recta adhuc in remotissimo gradu, quia hæc tria dirimunt Iure naturali; neque in impedimento erroris, quia iste dirimit ex defectu consensus, quem Pontifex supplere non potest, benè tamen in impedimento consanguinitatis in linea transversali in quocumque gradu, & in impedimento cognationis spiritalis, & legalis, & etiam affinitatis in quacumque linea, & in quocumque gradu, & in impedimento solemnisi voti castitatis, & in impedimento Ordinis sacri, & in omnibus alijs dirimentibus, quia omnia alia, præter quatuor primò dicta, dirimunt solo Iure Ecclesiastico.

Addimus contra Sancium lib. 8. disp. 7. ut optimè Molina disp. 624. & Ægidius disp. 33. dub. 4. *Molina. Ægidius.* Pontificem non posse dispensare in radice matrimonij quoad effectus sæculares, sed solum quoad Ecclesiasticos, id est, prolem illegitimam, quæ talis est, quia concepta ex matrimonio nullo ob impedimentum Iure Ecclesiastico dirimens, non posse habilitare ad ea officia sæcularia, ad quæ illegitimus est inhabilis Iure ciuili; quia non potest auferre dictam inhabilitatem, non tollendo illegitimationem; & hanc nequit tollere, quia nequit tollere radicem illius; quia nequit efficere, matrimonium non fuisse nullum: posse tamen habilitare ad officia Ecclesiastica, quia quamuis nequeat auferre illegitimationem, ex qua oritur inhabilitas ad illa; potest tamen inhabilitatem ipsam immediatè & in se ipsa tollere, quia Iure Ecclesiastico oritur ex illegitimatione, in qua etiam Pontifex dispensare potest.

DIFFICULTAS II.

Vtrum Episcopus dispensare possit in Impedimentis Matrimonij.

CIRCA impedimenta dirimentia conueniunt Doctores, Episcopum non posse ordinariè in impedimentis dirimentibus dispensare, quia introducta sunt aut Iure naturali, aut à Pontifice, aut à Concilio Generali, quibus Episcopus inferior est.

Addimus ordinariè, quia pro foro conscientia posse aliquando, ex tacita Pontificis concessione, in his quæ Iure naturali non dirimunt, docent Sancius l. 2. disp. 40. Ægidius disp. 33. dub. 3. *Sancius. Basilius. Vasquez.* Basilius lib. 8. cap. 13. Vasquez l. 2. disp. 178. c. 2. & iam communiter Doctores; tunc scilicet, quando matrimonium est bona fide saltem vnius con-

Z z tractum,

tractum, & publicè, & impedimentum est occultum, & separatio coniugum nequit fieri absq; magna famæ iactura, aut scandalo, aut alio magno inconueniente, & nequit ad Pontificem iri, neque ad alium habentem priuilegium dispensandi, aut si adiri potest, dispensatio tamen differri nequit absque probabili periculo peccandi; quod iam videtur certum, postquam Pontifici constat id fieri ab Episcopis in dictis casibus pro foro conscientia; quia id sua taciturnitate approbare præsumitur. Id quoque posse Episcopum, etiam ante contractum matrimonium in casu necessitatis, si non patet aditus ad Superiorem, vt quando quis est morti proximus, & vult legitimare filios, vel restaurare honorem concubinæ, vel pro bono pacis, docent Sancius & Basilius. Id tamen, quod potest Episcopus, non potest Vicarius Episcopi, nisi ex peculiari commissione Episcopi, vt aduertunt Sancius, Ægidius & Basilius.

Sancius.
Ægidius.
Basilius.

Id quoque in casu dictæ necessitatis potest Legatus à latere in sua Prouincia, quia in ea eandem habet potestatem, quam Episcopus in suo Episcopatu, quamuis non maiorem, vt aduertit Ægidius vbi supra, & Henriquez lib. 12. cap. 3.

Ægidius.
Henriq.

Commisarius quoque Bullæ Cruciatæ potest pro foro conscientia dispensare cum his qui bona fide, saltem alterius, inualidè contraxerunt ob affinitatem occultam, ortam ex fornicatione, etiam in primo gradu, vt iterum validè contrahant, admonito tamen ignaro impedimenti, quod prius matrimonium fuit nullum, quamuis non sit necessarium ei manifestare causam nullitatis. Id autem Commisarius potest, quamuis Pontifex sit præsens; quia hoc illi conceditur absque aliqua limitatione: de quo legi possunt Sancius lib. 3. d. 6. & Basilius.

Sancius.
Basilius.
Glossa.
Card. Hof.
Henriq.
Alexand.

Addunt tamen Glossa, Cardinalis Hostiensis, Henriquez & Alexander in cap. *Quia circa* de Consanguinitate, Episcopum post matrimonium contractum, dispensatione impedimenti subreptiæ obtenta, posse dispensare in eo impedimento, confirmando dispensationem Pontificis; & id probabile censet Basilius.

Valentia.
Basilius.

Id verò quod addunt Valentia disp. 10. q. 5. punct. 5. & Basilius, nempe, Episcopum posse dispensare in impedimentis dirimentibus superuenientibus matrimonio iam contracto, impediens petitionem debiti, vt possit licitè peti, absque sufficienti fundamento dicitur; id tamè quoad affinitatè potest pro foro conscientia Commisarius Bullæ Cruciatæ, & etiam possunt Patres nostræ Societatis quibus id fuerit commissum à Prouinciali, & alij Religiosi Mendicantes, qui nobiscum communicant in priuilegijs.

9

Circa impedimenta tantum impediens conueniunt Doctores, Episcopum non posse dispensare in voto absoluto castitatis perpetuæ, neque in voto Religionis; quia sunt Pontifici referuata, vt consuetudo ostendit; potest tamen in voto celibatus, seu non contrahendi matrimonium, vt contra Nauarrum & Valentiam docent Sancius & Ægidius, quia votum hoc non est castitatis simpliciter, seu totalis; & etiam potest in voto suscipiendi Ordinem sacrum, quia non est castitatis, quamuis admittatur esse annexum Ordini sacro; & etiam in voto coniugis non petendi debitum, quia etiã votum hoc non est castitatis simpliciter.

Sancius.
Ægidius.

Henriq.
Valentia.

Id verò quod addunt Henriquez & Valentia,

nempe, Episcopum dispensare posse cum his qui post votum castitatis simpliciter contraxerunt matrimonium, vt possint licitè petere, falsum existimamus; quia id esset dispensare in aliquo substantiali voti castitatis simpliciter, quo etiam post matrimonium tenentur, quamuis teneantur reddere dum matrimonium perseuerat, id tamen ex priuilegio Pontificis possunt Patres nostræ Societatis quibus Prouincialis commiserit.

Addimus, vt optimè Henriquez, Episcopum non posse dispensare in sponsalibus, quamuis sit rationabilis causa; quia nullo fundamento potest facultas hæc Episcopo attribui, quia per sponsalia acquiritur ius iustitiæ ad corpus alterius, quod Episcopus nulla causa auferre potest.

10
Henriq.

DIFFICULTAS III.

Quæ sint iustæ causæ ad dispensandum in Impedimentis Matrimonij.

Supponimus Primò, dispensationem in impedimentis Iure tantum humano introductis, factam absque causa ab eo qui habet potestatem ordinariam dispensandi, esse validam, quamuis illicitam; dispensationem verò voti & sponsalium, quæ sit potestate extraordinaria, & superaddita à Christo Domino, non solum esse illicitam, sed etiam nullam; sicut etiam dispensationem in impedimentis, quamuis Iure tantum humano introductis, factam sine causa ab eo qui tantum habet potestatem delegatam ad id.

Supponimus Secundò, vt dispensatio sit licita aut valida (quando, vt sit valida, requiritur causa), non requiri causam quæ sufficiat ad eximendum ab ipso Iure, aut à voto; aliàs dispensatio non esset ablatio Iuris aut voti, sed interpretatio cessationis; sed tantum requiri causam, quæ sufficiat vt quis rationabiliter eximatur per ipsum Superiorem. Quæ autem causa ad hoc sufficiat, iudicio prudentis discernendum est: grauior tamen requiritur ad dispensationem arctioris impedimenti, vt ex se patet. Et, ceteris paribus, facilius dispensandum est cum Magnatibus & Potentibus, quam cum alijs; quia Ecclesiæ expedit eos habere propitios & fauentes.

11

His ergo suppositis, ad legitimam dispensationem impedimentorum dirimentium Iure tantum Ecclesiastico introductorum, tres causæ communiter assignantur à Doctoribus, quarum quælibet est sufficiens ad illam. Prima est extinctio aut impeditiu grauis litis aut discordiæ. Secunda est, quando quis absque graui incommodo nequit inuenire nuptias sibi dignas, nisi cum cognata, aut cum ea inter quam & inter ipsum est impedimentum cuius petitur dispensatio, vt quando quis nequit illam in proprio oppido inuenire. Tertia est defectus dotis competentis, cuius defectu femina nequit inuenire maritum sibi dignum, nisi eam inter quem & ipsam est impedimentum. Et idem est si vir defectu substantiæ nequeat inuenire uxorem sibi dignam, nisi eam inter quam & ipsum est impedimentum.

Præter has tamen tres etiam sunt plures aliæ, quæ etiam sufficiunt, vt aduertunt Sancius lib. 8. disp. 19. Henriquez l. 12. c. 3. & Ægidius disp. 33. dub. 5. Prima est conseruatio familiæ illustri intra eundem sanguinem; quia id non parum expedit

12
Sancius.
Henriq.
Ægidius.

dic

dit bono publico. Secundò est conseruatio amplissimarum diuitiarum intra eandem familiam, ne causâ dotis distraherentur ad aliam, quia id etiam expedit bono publico. Tertia est excellentia meritorum erga Ecclesiam, siue petentis dispensationem, siue eius in cuius gratiâ petitur; quia æquum est, vt qui de Ecclesia sunt benè meriti, eius benignitatem experiantur. Quarta est magna pecuniæ quantitas ad opera piâ, præsertim quando impedimentum non est ad eò arctum. Possunt quoque esse aliæ plures, quæ sufficiant, quæ iudicio prudentis discernendæ sunt.

13 Addimus Primò, aliquando plures causas aggregatas sufficere, quarum singulæ non sufficiunt. Addimus Secundò, faciliùs posse dispensari in impedimento post matrimoniu bona fide saltem vnus publicè celebratù, imò tunc regulariter sufficere, fuisse contractum, quia ex separatione contrahentium grauiâ incommoda regulariter oriuntur, præsertim quando matrimoniu fuit consummatu, & maximè, quando iam fuit proles genita.

Ad validè autem dispensandum in votis quibus matrimonium impeditur, seu prohibetur, necessaria etiam est rationabilis causa iudicio prudentis discernenda, qualis est spes publicæ pacis, aut quòd materia voti sit facta periculosa venienti, siue ob occasiones moraliter inuitabiles, siue ob scrupulos, siue ob fragilitatem, aut quòd sit dubium, an fuerit validè promissa Deo, vel an fuerit satis maturè promissa: & etiam ad validè dispensandum in sponsalibus, vt possit contrahi cum altera, est necessaria causa arbitrio prudentis discernenda, qualis est si timeatur, priorem sponsam futuram esse occasiõem peccandi sponso, aut si ex matrimonio cum altera speretur publica pax, aut extinctio vel impeditio grauium discordiarum.

14
Sancius.
Basilius.

Obseruandum est, vt optimè Sancius lib. 8. disp. 30. & Basilius lib. 8. cap. 20. si causa motiua (qua Pontifex motus fuit ad committendum Ordinario dispensationem) existat, quando commissio ipsa fit à Papa, valere commissionem, etiam si, quando mittitur ad curiam Romanam pro commissione, non existat; & non valere, quando non existit causa eo tempore, quo fit commissio à Papa, quamuis antè, quando mittebatur, existeret: quia concessio commissionis innititur existentiæ causæ motiue. Deficiente tamen causa motiua ante dispensationem factam ab Ordinario ex commissione Papæ, dispensationem postea ab Ordinario factam esse nullam; quia cum iam non possit licitè fieri ab Ordinario, quia fieret absque causa, non est mens Pontificis vt fiat, imò, vt docent Sancius vbi supra, & Egidius disp. 33. n. 94. contra P. Sà v. Gratia. n. 6. & contra Basilium, dispensationem, deficiente causa motiua post ipsam dispensationem factam ab Ordinario, antequam matrimonium fiat, reddi nullam; quia deficiente causa motiua, nequit dispensatio perseverare licita, ac proinde mens Pontificis est quod non valeat: sicut etiam deficiente causa motiua, ob quam fuit facta dispensatio ad comedendum carnes, adhuc tantum pro vno die, cessat dispensatio; perseverat tamen dispensatio, vt aduertunt dicti Doctores, quamuis causa motiua minuatur, & ita vt ante dispensationem non esset sufficiens, dum magna ex parte maneat: quia minor causa sufficit, vt gratia semel concessa perseveret, quàm vt de nouo concedatur.

15
Sancius.
Egidius.

DIFFICULTAS IV.

Utrum dispensatio, in cuius petitione exprimitur falsum, aut reticetur verum, sit nulla.

16
Supponimus, duplicem esse causam conducentem ad concessiõem dispensationis, vnâ motiuam, seu finalem principalem; alteram impulsiuam, seu finale minus principalem. Motiua (quæ etiam absolutè dicitur *finalis*, quia est principalis) est illa, quæ expressa ita de facto mouet ad concedendam dispensationem (siue sola, siue simul cum alijs) vt si illa non exprimeretur, non concederetur dispensatio, vel saltem non concederetur nisi cum aliquibus limitationibus. Impulsiuâ verò est illa, quæ non mouet ad concessiõem dispensationis, id est, non conducit vt concedatur, sed tantum impellit, id est, tantum conducit vt faciliùs concedatur; seu quòd idem est, non conducit ad substantiã concessiõis, sed tantum ad modum; & consequenter ex eo quòd causa impulsiuâ non exprimitur, non negabitur dispensatio. Et eadè proportione qua sunt & distinguuntur causa motiua & impulsiuâ ad concessiõem, etiam sunt & distinguuntur ad negationem dispensationis; quia illa est causa motiua seu finalis ad negationem dispensationis, quæ si exprimitur, mouebit ad negationem dispensationis (siue ipsa sola, siue simul cum alijs) impulsiuâ verò est, quæ quamuis exprimitur, non mouebit ad negandum dispensationem, sed tantum ad faciliùs negandum.

Hoc ergo supposito, conueniant Primò Doctores, quando in petitione tacetur aliquid verum, quod iure præcipitur exprimi, etiam si tale verum tantum pertineat ad causam impulsiuam, efficere dispensationem nullam. Ita Sancius lib. 8. disp. 21. Sancius. & Couarruuias lib. 1. Variarum, cap. 20. Et efficaciter deducitur ex cap. *Si motu proprio*. 23. de Præbendis, in 6. Et ratione constat, quia tunc conceditur dispensatio dependenter ab expressiõne illius veri tamquam à conditione. Addidimus, in petitione, quia id tantum est verum, quando dispensatio fit ad petitionem partis, & non quando fit motu proprio Pontificis, vt patet ex dicto cap.

18
Conueniant Secundò, quando in petitione exprimitur aliquid falsum, aut tacetur aliquod verum, quod pertineat ad causam motiuam concessiõis, aut negationis dispensationis, efficere dispensationem nullam, etiam si quod tacetur iure non præcipiatur exprimi; quia tunc error aut ignorantia dat causam concessiõis, ac proinde concessio est subreptitia seu obreptitia (est enim subreptio idem ac error dans causam concessiõis) & consequenter est nulla, vt constat ex cap. fin. de Filijs Presbyterorum, in 6. quia dispensatio fit dependenter tamquam à conditione ab existentiâ motiui, quod exprimitur, aut à non existentiâ motiui ad negandum, quamuis non cuiuscumque motiui, sed tantum motiui quasi substantialis & intrinseci, & per se ad rationabilem & prudentem concessiõem aut negationem, quale ad concessiõem dispensationis impediunt est spes publicæ pacis, & non motiui, quod per accidens se habet ad rationabilem concessiõem aut negationem dispensationis, quale est amicitia aut inimicitia petentis dispensationem cum ipso dispensante.

Est tamen difficultas, An taciturnitas veri, aut expressio falsi pertinentium ad causam impulsuam efficiat dispensationem nullam, quando verum, quod tacetur, non præcipitur exprimi.

Angelus v. *Rescriptum*. n. 3. Tabiena q. 3. n. 4. Abbas, & alij in cap. *Ex parte*. 14. de Conuers. coniugat. partem affirmatiuam tuentur. Et in primis, taciturnitatem veri pertinentis ad causam impulsuam ad negandam dispensationem, efficere dispensationem nullam, deduci videtur ex dicto cap. *Si motu proprio*. & ex cap. *Si proponente*. 42. de Rescriptis, dum in eis concessio præbendæ dicitur nulla, quoties eam impetrans tacuit se habere aliud beneficium, quantumuis paruum; & tamen quamuis possessio beneficij parui exprimeretur, nõ auerteret Pontificem à concessione præbendæ. Quod verò expressio falsi pertinentis ad causam impulsuam ad concedendam dispensationem, efficiat eam nullam, deduci videtur ex eo, quòd in omnibus dispensationibus & rescriptis saltem tacitè inest hæc conditio: *Si petitio veritate nitatur*, vt constat ex cap. 2. de Rescriptis.

19

Sancius.
Covarru.

Sancius verò & Covarruuias vbi suprà, partem negatiuam tradunt, & meritò: quia tunc error aut ignorantia non est in causa vt fiat dispensatio; quia quamuis verum illud non taceretur, & quamuis falsum illud non exprimeretur, etiam fieret dispensatio, cum non pertineat ad causam motiuam, vt supponimus, sed ad impulsuam: ergo tunc dispensatio non est subreptitia, ac proinde neque nulla. Quod etiam est verum; quamuis taciturnitas veri, aut expressio falsi, fiat ex malitia & fraude, nisi in rescriptis iustitiæ ad lites terminandas, quia in his in pœnam fraudis & malitiæ, qui tacuit verum, aut expressit falsum, quamuis pertinens ad causam impulsuam, priuatur beneficio rescripti in totum, dispositione seu Iure positiuo cap. *Super literis*. 20. de Rescriptis, quamuis non ante sententiam Iudicis, vt aduertit Sancius num. 74.

20

Sancius.

Ad fundamentum aduersariorum pro priori parte desumptum ex duobus illis capp. respondemus, ex taciturnitate beneficij, quamuis modici, quod non retraheret Pontificem à concessione alterius, annullari concessionem, quia Iure ipso præcipitur exprimi, quod nobis non aduersatur. Et ad eorum fundamentum pro posteriori parte respondemus, conditionem illam, *Si petitio veritate nitatur*, inesse rescriptis, quando veritas pertinet ad causam motiuam.

21

Quæ autem causa sit motiua, & per se, cuius expressio aut taciturnitas efficit dispensationem nullam; quæ verò non sit motiua, sed tantum impulsua, aut si est motiua, sed non per se, & quasi substantialis, sed per accidens, cuius expressio aut taciturnitas non efficit dispensationem nullam, arbitrio prudentis discernendum est, aut ex qualitate causæ, aut ex consuetudine superioris in dispensando, aut ex alijs circumstantijs. Quòd si prudenter seu probabiliter discerni nequeat an causa sit motiua, & id maneat sub puro dubio, dispensatio censenda est nulla, vt contra Sancium & Covarruuiam docent Molina disp. 173. & Egidius disp. 33. num. 93. quia impedimento certo non sufficit dispensatio incerti seu dubij valoris; in hoc enim dubio tutior pars, ea videlicet in qua nequeate esse peccatum, eligenda est.

DIFFICULTAS V.

Vtrum taciturnitas copulæ habitæ inter consanguineos aut affines, irritet dispensationem consanguinitatis aut affinitatis.

Conueniunt Doctores, copulam habitam inter consanguineos aut affines post dispensationem expeditam ab Ordinario, cui fuit à Pontifice commissa, non irritet dispensationem iam expeditam, vt patet; quod etiam Congregatio Cardinalium declarauit: imò copulam illam nulla egere dispensatione, adhuc Episcopi, non pauci contra nonnullos docent (& meritò) siue quia copula post dispensationem factam non est incestus, vt quibusdam placuit, siue quia, quamuis sit, iam tamen defuetudine desuit esse impedimentum.

22

Est tamen difficultas, An taciturnitas copulæ habitæ ante concessionem, seu commissionem Papæ, irritet dispensationem consanguinitatis aut affinitatis.

Sancius lib. 8. disp. 25. Egidius disp. 33. n. 83. Sancius. & plures alij docent irritare, quod etiam declarauit Congregatio Cardinalium apud Rebellum num. 122. & 149. Et probari potest Primò ex stylo Curia, qui obtinuit, vt incestus exprimat in petitione. Secundò, quia copula illa expressa efficit, vt dispensatio concedatur cum quibusdam limitationibus, nempe addita pœnitentia contrahentibus, & maiori compensatione pecuniæ; & quòd eo matrimonio per mortem dissoluto superstes non contrahat aliud: ergo taciturnitas copulæ, vt pote pertinentis ad causam motiuam, efficit dispensationem nullam. Quod nonnulli etiam extendunt ad taciturnitatem copulæ habitæ inter cognatos cognatione spiritali, quod etiam Congregatio Cardinalium declarauit apud Rebellum num. 149.

Sancius.
Egidius.

Rodríguez Tomo 1. cap. 238. Vega Tomo 2. cap. 34. casu 97. Zauillos in Quæst. practicis quæst. 737. Basilius lib. 8. cap. 17. §. 6. Salcedo, Bernardus Diaz & Ouandus docent, non irritare, & non absque probabilitate; quia incestus neque est impedimentum, quod ratione sui egeat dispensatione, vt patet; neque Iure præcipitur exprimi, quia non præcipitur Iure scripto, vt patet, neque Iure introducto consuetudine, seu stylo Curia, cum non semper exprimat ex consilio virorum Doctorum, quamuis aliquando ex consilio aliorum exprimat: & quando exprimitur, non est causa motiua ad negandam dispensationem consanguinitatis aut affinitatis. Et quamuis sit causa ad concedendam dispensationem cum supradictis additamentis, non tamen pertinet ad causam motiuam, quia illa non adduntur pro dispensatione consanguinitatis aut affinitatis, sed in pœnam copulæ expressæ. Congregatio verò Cardinalium in contrarium adducta, secuta est partem probabilem & tutiorem, sed forsitan non probabiliorem.

23
Rodríguez.
Vega.
Zauillos.
Basilius.
Salcedo.
Ber. Diaz.
Ouandus.

Quòd si taciturnitas copulæ habitæ ante commissionem Papæ, non dirimit dispensationem consanguinitatis, neque affinitatis, multò minùs dirimet seu irritabit taciturnitas copulæ habitæ post com-

24

commissionem Papæ ante expeditionem dispensationis ab Ordinario: & si taciturnitas copulæ inter consanguineos & affines non irritat dispensationem, multò minùs irritabit taciturnitas copulæ inter cognatos spiritualiter.

Vnde quando in dispensatione non apponitur clausula illa, *dummodo copula non interuenerit*, dispensatio erit valida, quamuis copula taceatur; & contrahentes, quamuis ab Ordinario interrogentur, & sub iuramento, de copula habita, possunt sub æquiocatione negare, quamuis copulæ adsit infamia, aut semiplena probatio; quia tunc non interrogat iuridicè, quia interrogat de re non pertinente ad dispensationem sibi commissam.

25 Quando verò clausula illa, *dummodo copula non interuenerit*, apponitur, & commissio Papæ facta est pro foro exteriori, quando copula Ordinario non plenè constat, quamuis sit infamia, aut semiplena probatio copulæ, & quamuis contrahentes interrogati negent illicitè (quia existente infamia, aut semiplena probatione, tenentur fateri) dispensatio ab Ordinario facta erit valida: quia quando Ordinario non constat plenè, non dicitur interuenisse copula modo sufficienti; quia cum commissio facta fuerit Ordinario in foro exteriori, seu iudiciali, etià clausula illa intelligenda est in eodem foro. Quòd si Ordinario copula plenè constet, & dispenseret, dispensatio erit nulla, quia clausula illa est conditionalis, qua commissio ei limitatur, vt dispenseret iuridicè dependenter à veritate iuridicè constante; ac proinde quando ei plenè constat copulam interuenisse, nequit validè dispensare. Et ob eandem rationes, quando in petitione exprimitur copula, & in commissione Papæ additur clausula illa, *dummodo copula illa habita non sit spe facilioris dispensationis*, dispensatio facta ab Ordinario erit nulla, si ipsi iuridicè constet ea spe fuisse habitam; erit tamen valida, si ei non plenè constet, quamuis verè fuerit sic habitata.

26 Quando verò commissio Papæ fit pro foro conscientie, vt quando committitur discreto viro, & in ea ponitur, aut clausula illa, *dummodo copula non fuerit*, aut illa, *dummodo copula habita non sit spe facilioris dispensationis*, tunc dispensatio erit nulla in priori casu, si copula fuit verè habitata, quamuis sit omnino occulta, & non constet commissario; & in posteriori, quando copula verè fuit habitata dicta spe; quia tunc commissio fit commissario, vt dispenseret dependenter à veritate non habitæ copulæ, aut non habitæ dicta spe tamquam à conditione, dummodo spes sit exterius significata, & non tantum interius concepta, quia spes interius tantum concepta non subest humanæ potestati.

DIFFICULTAS VI.

Vtrum quando sunt plura impedimenta ad valorem dispensationis, requiratur omnium eorum expressio.

27 **C**onueniunt Doctores, plura impedimenta diuersæ rationis, & non connexa, v. g. consanguinitatem & affinitatem, esse necessariò in petitione ad dispensationem exprimenda; quia ex vna parte quodlibet impedimentum eget dispensatione, ac proinde quodlibet est Pontifici in peti-

tione exprimendum; & ex altera parte, cum non sint connexa, vnum non exprimitur expressione alterius. Plura verò impedimenta connexa, quamuis diuersæ rationis, v. g. iustitiam publicæ honestatis ortam ex matrimonio rato, & affinitatem ortam ex consummatione eiusdem matrimonij non esse necessariò in petitione exprimenda, sed sufficere exprimi illud quod supponit aliud, ac proinde in casu assignato sufficere exprimi affinitatem: quia hac expressa etiam exprimitur iustitia publicæ honestatis.

Est tamen difficultas Primò, An plura impedimenta non connexa, quando sunt eiusdem speciei & rationis, vt quando quis est consanguineus alteri ex duplici parte, sint necessariò exprimenda, vt dispensatio sit valida.

Henriquez lib. 12. cap. 10. partem negatiuam tuetur, loquens tam de affinitate quàm de consanguinitate, & Petrus Ledesma in Summa, vbi de Matrimonio, cap. 27. Rodriguez & Vega loquentes de affinitate; quia tunc ob vnitatem subiecti affinitas, quamuis ex duplici parte proueniens, est tantum vna, & etiam consanguinitas, quamuis ex duplici parte, est tantum vna.

Sancius verò lib. 8. d. 24. Egidius d. 33. dub. 6. & Basilius lib. 8. cap. 17. §. 5. partem affirmatiuam tradunt, & merito: quia tunc aut impedimenta sunt plura numero distincta totaliter, cum sint relationes respicientes diuersa extrinseca; aut si est tantum vnum impedimentum, tamen est habens plures gradus, quorum quilibet auferri potest alio remanente, sicut etiam vnus potest introduci absque alio; ac proinde non eo ipso, quòd est dispensatio vnus gradus, est dispensatio aliorum.

Secundò est difficultas, An quando plura impedimenta sunt necessariò exprimenda, necessarium sit exprimi simul in vna petitione, vt simul dispensentur, an sufficiat separatim in diuersis.

Sancius lib. 8. disp. 23. & Ochagavia quæst. 10. docent, necessarium esse omnia illa exprimi simul in eadem petitione; quia quodlibet impedimentum fortius ligat, quando est coniunctum cum alijs, ac quando est absque illis; ac proinde non eo ipso, quòd Pontifex dispensat in aliquo impedimento existente in persona nullum aliud habente, dispensat in eo existente in persona illud habente coniunctum cum alio.

Henriquez lib. 12. cap. 3. & Sà v. *Dispensatio*. n. 16. docent, non esse necessarium omnia simul exprimi in vna petitione, sed sufficere vno tacito, postea dispensando exprimere alterum, quia id non requiritur iure aliquo: quia non positiuo, vt patet; neque naturali, quia vnum potest auferri non ablato altero; ergo si pro dispensatione omnium sit sufficiens causa, poterit dispensatio separatim peti.

Nos tamen sub distinctione respondemus, nempe quando plura impedimenta sunt adeò diuersæ rationis, & disparata, vt quamuis coniungantur, nullum ardeat indecentiam alterius ad matrimonium contrahendum, qualia sunt affinitas & votum, posse separatim peti dispensationem, quia tunc nullum sit strictius ex coniunctione cum altero: quando verò sunt eiusdem rationis, ratione cuius sunt impedimenta siue eiusdem rationis specificæ, vt duæ consanguinitates, quæ conueniunt in eo quòd sint coniunctio naturalis, ratione cuius sunt impedimenta; siue eiusdem rationis genericæ,

vt affinitas & cognatio (quæcumque illa sit) quæ conueniunt in eo, quòd sint propinquitas, ratione cuius sunt impedimenta; tunc necessarium esse simul exprimi in vna petitione, quia tunc quodlibet fit strictius ex coniunctione cum altero (sicut quando in eodem subiecto sunt duo gradus caloris, quilibet est fortior ex coniunctione cum altero, & non quando quilibet est in diuerso subiecto) ac proinde quodlibet difficilius soluitur, & dispensatur, & maiorem requirit causam. Vnde quòd hæc posteriora impedimenta simul exprimentur, requiritur Iure naturali, seu ex natura coniunctionis eorum: quia quamuis etiam tunc possit vnum absque altero auferri, tamen difficilius, non tantum subiectiuè, seu ex parte Pontificis, sed etiam obiectiuè, seu ex parte impedimentorum, ob quod fieri potest, vt causa, quæ sufficit ad dispensandum in vno, quando est absque altero, non sufficiat, quando est cum illo, quamuis iam dispensato.

31

DIFFICULTAS VII.

Quomodo explicandi sint gradus cognitionis in petitione, vt dispensatio valida sit.

Conueniunt Doctores, ad valorem dispensationis impedimenti consanguinitatis, aut affinitatis, aut iustitiæ publicæ honestatis ex matrimonio rato, necessarium esse exprimi in quoto gradu sint, qui intendunt contrahere, & cuius lineæ: quia quodlibet impedimentum ex dictis strictius est in gradu propinquiori, & in linea recta, & maiorem requirit causam; & ad obtinendam dispensationem cuiuslibet impedimenti ex dictis Iure communi sufficere exprimi remotiorem gradum eorum qui inæqualiter distant à communi stipite proximo, quia verè tantum sunt in eo gradu.

32
Pius V.

Nihilominus Iure peculiari Pij V. in Motu proprio, qui incipit, *Sanctissimus*, ad valorem dispensationis consanguinitatis & affinitatis requiritur, vt quando propinquior stipiti proximo distat in primo gradu, etiam iste primus exprimat, & non sufficiat expressio remotioris: quando verò propinquior distat in secundo, aut in tertio, & non exprimitur iste gradus, sed tantum tertius, aut quartus magis distantis, requiruntur à Pio V.

post obtentam dispensationem litteræ Pontificiæ declaratoriæ super propinquiori gradu non expresso in petitione, non ad valorem dispensationis (quia quamuis non dentur, erit valida) sed ad vitandum scandalum, quod solet in vulgo oriri, existimante duos inæqualiter distantes, v.g. alterum in secundo, & alterum in quarto, esse magis propinquos, quàm si vterque distaret in quarto.

Vnde, vt aduertunt Sancius l. 8. disp. 24. n. 31. Filiucius part. 2. cap. 10. & Basilius cap. 17. §. 5. quando non timetur scandalum, potest licitè contrahi matrimonium absque dictis literis.

33
Sancius.
Filiucius.
Basilius.

Observandum tamen est (in quo Doctores conueniunt) quando in petitione est error in gradu, vt quando exprimitur maior pro minori, v.g. tertius pro quarto, dispensationem esse validam; quia minor continetur in maiori, & qui dispensat in maiori, eo ipso dispensat in minori: quod intelligitur, quando maior & minor sunt eiusdem speciei, vt consanguinitatis aut affinitatis; quia quando sunt diuersæ speciei, dispensatio est nulla, vt si exprimat, vt secundus consanguinitatis pro tertio affinitatis; quia tunc minor tacitus non continetur in maiori expresso. Sicut quando est error in impedimento diuersæ speciei, quamuis exprimat, vt illud quod est maius, vt quando exprimitur consanguinitas pro affinitate, dispensatio est nulla, quia tunc vnum non continetur in altero, nec e contra.

Circa cessationem dispensationis, de quo disputant Sancius lib. 8. à disp. 17. & Basilius lib. 8. cap. 18. observandum est, in quo conueniunt Doctores, commissionem Papæ factam Ordinario ad executionem dispensationis in impedimento matrimonij, non expirare morte Papæ qui commissionem concessit, quando res non est integra, id est, quando iam commissarius cæpit vt iuridicè commissione: imò etiam quando res est integra, id est, quando nondum incepit, vt contra Nauarrum & Sayrum docent Sancius l. 8. disp. 28. n. 87. Henriquez l. 1. 2. c. 2. & Suarez de Censuris disp. 41. sect. 2. Imò quamuis commissio fuerit tantum viua voce concessa, quamuis ante mortem Papæ non fuerint litteræ expedite, valet pro foro conscientiæ, vt non pauci docent, quamuis non pro foro iudiciali, quousq; litteræ expediantur nomine successoris. Nihilominus postquam litteræ expedite sunt nomine successoris, valet commissio à puncto concessionis. Et hæc de Sacramento & contractu Matrimonij sint satis.

34
Sancius.
Henriq.
Suarez.

TRACTATUS DE CENSURIS IN COMMUNI.

DIFFICULTAS PRIMA.

Quid sit Censura.



VT à nomine ipso exordiamur, Censura sumitur Primò generaliter pro omni iudicio de re aliqua, præsertim quo notatur ea quæ in ea re possunt laudari vel vituperari. Secundò (quia apud Romanos constituti erant Censores, qui mores populi corrigebant) sumitur specialiter pro iudicio, seu sententia correctiua, aut pro pœna ipsa imposita per eam sententiam, ex quo vox *censura* Ecclesiæ translatione sumitur. Tertio, pro pœna correctiua, seu medicinali, imposita iurisdictione Ecclesiastica, quæ pœna aliquando nomine sententiæ, qua imponitur, significatur; quia sola ipsa sententia absque coactione aliqua Iudicis infligitur, & quia dicta pœna sola auctoritate Ecclesiastica imponitur, dicitur *censura Ecclesiastica*.

Ad rem ergo accedendo, Censura in communi definitur, quod sit *pœna medicinalis bono spirituali priuans*. quibus verbis, aut æquiualentibus, communiter à Doctoribus definitur. Est autem definitio hæc sufficiens; quia omni & soli censuræ conuenit; quia conuenit excommunicationi, suspensioni, & interdicto, & ipsis solis, quibus & solis conuenit esse censuram, ut dicemus Difficultate II.

2 Et in primis Censura dicitur *pœna*, quia infligitur ob culpam, in eius punitionem; & dicitur *medicinalis*, ut significatur in c. 1. de Sententia excommunicationis, in 6. quia, ut ibi etiam indicatur, inflictione censuræ contumax punitur medicinaliter, ita eius emendationem intendendo, ut hæc posita censura, ex sui institutione exigat auferri. Dicitur *bono spirituali priuans*, quia verè ita est, etiam quando excommunicatio priuat conuictu seu consortio communi; quia tantum priuat conuictu cum baptizatis, quia sunt membra Ecclesiæ. Pœna ergo imposita in foro interiori penitentia, quamuis sit priuans aliquo bono spirituali, non est censura; quia non est medicinalis dicto modo, quia non exigat auferri, posita emendatione penitentis.

Obleruandum tamen est, censuram sumptam pro sententia, aut iudicio quo pœna ipsa infligitur, definiti dicta definitione descriptiue, quia definitur per suum effectum; sumptam verò pro malo ipso inflicto, quod est effectus ipsius sententiæ, aut iudicij, definiti quidditatiue.

DIFFICULTAS II.

Quotuplex sit Censura.

Conueniunt Doctores ad minus esse triplicem censuram, nempe excommunicationem, suspensionem, & interdictum (quas enumerauit Innocentius III. in c. *Quarenti*. 2. de Verbor. significat. & merito: quia cuilibet conuenit definitio censuræ in communi; quia cuilibet conuenit quod sit pœna dicto modo medicinalis, bono spirituali priuans; & quælibet est distincta censura ab alia, quia quælibet priuat diuersis bonis, & diuerso modo.

Et in primis, *diuersis bonis*: quia excommunicatio priuat omnibus bonis, quibus suspensio, & interdictum, & etiam alijs, excepto vsu beneficij, quo aliquando priuat suspensio, & non excommunicatio, neque interdictum: suspensio verò priuat aliquibus, quibus etiam interdictum, & non omnibus; & etiam priuat alijs, ut in suis locis dicemus.

Deinde priuant *diuerso modo*, ex quo differentia, quasi essentialis, seu specifica inter ipsas desumitur; quia excommunicatio (etiam minor) priuat bonis, ut pertinent ad communicationem communem fidelium inter se; suspensio verò priuat bonis, quatenus sunt vsus potestatis clericalis; interdictum autè priuat illis, ut sunt quedam bona secundum se, & participabilia à quolibet, & non ut sunt vsus potestatis clericalis, quibus ut sic priuat suspensio; nec ut sunt communia fidelibus inter se, seu vni cū alijs, quibus ut sic priuat excommunicatio.

Est tamen difficultas, An præter tres dictas censuras sint aliæ. Sotus in 4. d. 22. q. 3. art. 1. & Medina 1. 2. q. 96 art. 4. ad 1. docent, non solum dictas tres, sed etiam irregularitatem, contractam ex delicto, esse veram censuram, quia est verè pœna; & Sotus addit, etiam celsationem à diuinis esse censuram, quia est pœna; imò sunt qui quinque prædictis etiam addant depositionem, & degradationem, ac proinde quod sint septem censura.

Nauarrus verò c. 27. n. 1. Sayrus lib. 1. c. 1. Egidius disp. 17. dub. 1. & communiter Doctores docent, excommunicationem tantum, & suspensionem, & interdictum esse censuras. Quod expressè videtur Innocentius III. in c. *Quarenti*. 2. de Verborum significat. dum interrogatus quid per censuram Ecclesiasticam debeat intelligi in litteris Pontificijs (& idem est in quibuscumque alijs) responderet, intelligi excommunicationem, suspensionem, & interdictum, qui eo ipso, quod non enumeret aliam, sentit tantum esse illas tres; alioquin generaliter interrogatus, non satisfacisset, si esset alia censura.

5 Et ratione probatur, & declaratur; quia definitio censuræ non conuenit nisi prædictis tribus, & non alijs. Et in primis non conuenit irregularitati, adhuc ei quæ contrahitur ex delicto; quia adhuc hæc non est pœna, quia non fertur in punitionem, sed ad euitandam indecentiam, quæ esset in eo, quoddam persona, quæ tale commisit crimen, suscipiat Ordines, aut susceptos exerceat: & quamuis esset pœna, non esset censura, quia non esset pœna medicinalis supradicto modo, quia fertur quasi auferendo potestatem absque spe recuperationis, ob quod non dicitur vinculum seu ligamen potestatis, quod solutione seu absolutione tollitur; sed est quasi impotentia, quæ non tollitur absolutione, sed tantum dispensatione legis, quæ ex se efficit impotentiam illam perpetuam: censura verò est vinculum, quo vincitur seu ligatur potestas cum spe recuperationis, ac proinde solubile potius quam dispensabile.

6 Deinde non conuenit cessationi à diuinis; quia hæc non est pœna, quia non imponitur in punitionem, sed tantum assumitur in signum mœroris, ob enormem iniuriam factam Ecclesiæ, & per modum defensionis, vt cogat ludentem desistere ab iniuria, vt significatur in c. 1. de Sententia excommunicationis.

Nec conuenit depositioni; quia hæc non est pœna, quia non fertur in punitionem peccati, adhuc quando fertur ob peccatum, sed etiam ad vitandum nocendum, quod esse posset, si non deponeretur persona quæ tale crimen commisit: & quamuis esset pœna, non esset censura; quia non esset medicinalis, quia fertur quasi auferendo potestatem absque spe recuperationis.

7 Nec conuenit degradationi (quæ supra depositionem tantum addit solemnitatem quamdam, & priuationem Clericalis priuilegij) quia degradatio non est pœna, quia non fertur in punitionem, sed ad euitandam ignominiam, quæ euenisset statui Ecclesiastico, si Clericus tradatur brachio sæculari, non adhibitis ea cærimonia & priuatione: & quamuis esset pœna, non esset censura, quia non esset medicinalis, quia fertur in perpetuum absque spe recuperationis.

DIFFICULTAS III.

Vtrum in Ecclesia sit potestas ferendi Censuras.

Non defuerunt hæretici, qui specialiter negauerint Ecclesiæ potestatem ferendi excommunicationem: nec qui generaliter ei negauerint potestatem ferendi censuras; quia excommunicatio, & quæcumque alia censura consistit in priuatione bonorum spiritualium, quibus à nulla creatura possit quis priuari nisi à se ipso.

Veritas tamen Catholica est, in Ecclesia esse potestatem ferendi censuras: quæ exprimitur in Concilio Constantensi sect. 8. & 15. & constat ex usu & praxi Ecclesiæ, quæ à temporibus Apostolorum tulit censuras (præsertim excommunicationem, in qua poterat esse maior difficultas) vt patet ex Canonibus Apostolorum, & ex Concilijs generalibus, & ex innumeris Pontificum decretis.

8 Et id efficaciter deducitur ex Matthæi cap. 16. vbi Christus promisit Petro potestatem ligandi & soluendi, & Matth. 18. vbi eandem potestatem promittit Apostolis etiam in foro exteriori,

vt deducitur ex antecedentibus verbis Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Hæc autem potestas de facto concessa est Petro Ioan. 21. *Pasce oves meas,* & Apostolis cap. 20. *Sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos,* ad gubernandam scilicet Ecclesiam: ergo in Ecclesia est potestas pascendi & gubernandi membra illius (id est baptizatos) in foro exteriori; ac proinde in eodem foro priuandi baptizatos, ipsi rebelles & inobedientes, bonis spiritualibus, quæ subsunt ipsius dispositioni & administrationi, vt sunt suffragia communia Ecclesiæ, vsus Ordinum & beneficiorum, & commercium cum baptizatis; ac proinde ferendi censuras, quæ consistunt in priuationibus dictorum bonorum, quamuis solus Deus possit priuare bonis spiritualibus merè internis, vt sunt gratia, virtutes, & dona, & quis possit sua tantum culpa illis priuari à Deo.

9 Et quamuis potestas ferendi censuras conueniat Ecclesiæ immediatè à Christo, vt constat ex dictis testimonijs; nihilominus, quidquid nonnulli dicant, censurarum institutio non fuit facta immediatè à Christo, sed tantum ab Ecclesia, quæ pro arbitrio suo eas instituit & ordinauit; quamuis Christus Matth. 18. verbis illis, *Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus,* generaliter admonuerit, vt inobedientes & rebelles Ecclesiæ caueantur, & cautè cum illis tractetur, sicut cautè tractatur cum Ethnicis & publicanis, nihil specialiter instituens nec ordinans; quia id reliquit suæ Ecclesiæ, quæ censuras, vt nunc sunt, instituit, & eas, quædo expedit, pro suo arbitrio fert.

DIFFICULTAS IV.

Qui possint ferre Censuras.

Supponimus, censuras, vt nunc sunt in Ecclesia, fuisse institutas à summis Pontificibus; quia sunt ritus quidam generales toti Ecclesiæ, qui tantum possunt institui ab illis qui toti Ecclesiæ præsent, & totam eam gubernant.

Hoc ergo supposito, difficultas est, in quibus sit potestas ferendi censuras à summis Pontificibus institutas.

Circa quam conueniunt Doctores, in illis omnibus & solis esse potestatem ferendi censuras, in quibus est potestas Ecclesiastica in foro exteriori, siue ordinaria, siue delegata: illa autem dicitur ordinaria, quæ conuenit ex vi muneris instituti ex Iure ordinario siue diuino siue humano; delegata verò, seu commissa, quæ non conuenit ex munere dicto modo instituto, sed tantum ex commissione, & arbitrio Iudicis ordinarij.

Vnde in Papa, & in alijs Episcopis habentibus subditos (quamuis non consecratis, sed tantum confirmatis) inuenitur potestas ordinaria ferendi censuras; quia ex proprio munere instituto ex Iure ordinario diuino habent exteriorem iurisdictionem Ecclesiasticam; & in Archiepiscopis respectu suorum Diocesanorum (non verò respectu Diocesanorum Episcopi sibi suffraganei, nisi in quibusdam casibus relatis à Siluestro v. *Archiepiscopus*.) & in Concilio Provinciali ad eas ferendas medio statuto: & etiã inuenitur in Legato à latere Sedis Apostolicæ; quia in sua Prouincia est Ordinarius, & habet iurisdictionem Episcopalem exteriorem ex vi sui muneris instituti ex Iure ordinario Ecclesiastico, vt constat ex c. 2. de Officio Legati, in 6.

In Vicario quoque seu Prouisore Episcopi inuenitur, quia idem est tribunal Vicarij & Episcopi, vt constat ex c. 2. de Consuetudine, & ex cap. *Romanus*. 3. de Appellat. in 6. Reperitur etiam in Capitulo Cathedrali sede vacante, quia succedit Episcopo in iurisdictione Episcopali, vt deducitur ex cap. vnico de Maioritate, in 6. Et etiam reperitur in Vicario ipsius Capituli, vt deducitur ex Tridentino sess. 24. cap. 16. de Reformatione.

Trident.

12

Reperitur quoque in Prælati non Episcopis à iurisdictione Episcopali exemptis, & gaudentibus iurisdictione Episcopali perpetua: & etiam in Cardinalibus in suis Ecclesijs, quia in Cardinalibus reperitur iurisdictione Episcopalis perpetua in suos parochianos. Inuenitur etiam in Superioribus Religionum, adhuc Conuentualibus, seu immediatis, v. g. in Guardianis; quia Superiores Religionum, adhuc immediati, ex priuilegio Pontificio ordinario constituti sunt iudices & pastores in foro exteriori; quamuis in aliquibus Religionibus id sit prohibitum Superioribus immediatis peculiari prohibitione ipsarum.

Inuenitur etiam in Concilio Generali, & in Prouinciali, & in Synodo Diocesana; & vt diximus, etiam in Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, sede vacante, & in Congregationibus seu Capitulis Religionum.

Tandem reperitur in multis Archidiaconis, & etiam in Archipresbyteris siue speciali institutione ordinaria, siue consuetudine habente vim Iuris ordinarij. Eam verò nullatenus esse in Parochis, adhuc ad excommunicandū, docent communiter Doctores, quia ex vi sui muneris non conuenit eis iurisdictione exterior, de quo nonnihil dicemus Tractatu de Excommunicatione, Disput. xii. Diffic. 1.

13

In illis autem omnibus & solis inuenitur potestas delegata seu commissa ad ferendum censuras, quibus aliàs capacibus, fuerit delegata seu commissa ab habente potestatem ordinariam; quia iste potest eam aliàs capacibus delegare, vt patet ex cap. *Cum Episcopus*. 7. de Officio Ordinarij, in 6. Addimus, aliàs capacibus; quia potestas ferendi censuras non potest licitè nec validè Iure ordinario delegari, nisi viro, & non feminae, vt deducitur ex cap. *Dilecta*. 12. de Maioritate & obedientia; & non nisi Clerico, vt patet ex can. *In nona*. 16. quæst. 7. & non Clerico coniugato, vt deducitur ex cap. *Sane*. 2. de Clericis coniugatis.

Quia tamen merè laicus, & femina, & Clericus coniugatus & non baptizatus sunt incapaces prædictæ potestatis ex solo Iure Ecclesiastico, in quo Papa dispensare potest; idè quilibet Ordinarius ex Papæ dispensatione potest suam iurisdictionem delegare, non solùm non Clerico, & multò meliùs Clerico coniugato, in quo Doctores conueniunt; sed etiam viro non baptizato, vt contra Suarez docet Sayrus l. 1. c. 5. imò & feminae, vt cõtra Auilam 1. p. dub. 6. & contra Ægidium disp. 13. dub. 4. docent Sayrus & Filliucius tract. 11. c. 2. quæstio 8.

Sayrus.
Filliucius.

14

Ita tamen potestas delegata ferendi censuras, & generaliter iudicandi in foro exteriori, dependet à potestate delegantis, vt quando potestas delegantis deficit vel morte, vel translatione, aut impeditur excommunicatione, aut aliter, etiam deficit aut impediatur potestas delegata, quando res est integra (id est, quando res seu causa nondum est inchoata) vt constat ex cap. *Relatum*. 19. & ex cap. *Gratum*. 20. & ex cap. *Licet*. 30. & ex cap. vlt.

de Officio delegati; & vt aduertit Auila ex alijs *Auila*. 2. par. disp. 1. cap. 3. dub. 3. delegatus, cui reuocata est iurisdictione, validè fert censuras, & iudicat quousque ad eum perueniat reuocatio; vt deducitur ex cap. *Vt debitus honor*. 5. de Appellationibus, & ex cap. *Auditis*. 8. & ap. *Mandato*. 13. de Procuratoribus.

Obseruandum est, potestatem ferendi censuras siue ordinariam, siue delegatam, nec licitè neque validè exerceri ab excommunicato, neque à suspensò non toleratis, in quo Doctores conueniunt; quia sunt priuati vsu iurisdictionis, quantum possunt ab Ecclesia; & excommunicatum, aut suspensum toleratum, etiam inualidè illam exercere, etiam quando prouocatur à fidelibus (& consequenter nec licitè;) quia excommunicatus, aut suspensus toleratus non obligat suo præcepto, aut quasi præcepto; cum licitum sit subditis non communicare cum illo, saltem in actibus iurisdictionis, quibus est priuatus: ac proinde nec ligat suis censuris, quia incurfus censura supponit inobedientiam; quæ non reperitur, quamuis non impleatur præceptum excommunicati, aut suspensi etiam tolerati, de quo latius Tractatu de Excommunicatione Disputat. vii. Difficult. 11. & Tractatu de Suspensione, Diffic. vii. & Tractatu de Interdicto Difficult. 14.

15

Addimus, quòd quamuis excommunicatus, aut suspensus non toleratus, nequeat, adhuc validè, suam iurisdictionem delegare, quia id est actus iurisdictionis, cuius vsu est omnino priuatus: potest tamen validè, quando est toleratus (etiam quando id facit illicitè, vt quando ipse se ingerit ad id) quia eo ipso, quòd Ecclesia eum tolerat in fauorem fidelium, relinquit illum sufficientem, vt possit validos efficere actus (exceptis præceptis ob rationem dictam) sub conditione tamen, si ab ipsis fidelibus, cum quibus communicat, ad eos actus acceptentur; de quo latius locis supra citatis.

16

DIFFICULTAS V.

Quibus modis possit ferri Censura.

Conueniunt Doctores Primò, censuram posse duobus modis ferri: vno modo Iure, seu lege perpetua, præcipiente aliquid sub censura incurrenda, statim ac violatur ius, & hæc dicitur *censura à Iure*, quia ipso solo Iure perseverante, quamuis legislator, & simul lator censuræ deficiat, verè fertur, & incurritur; altero modo fertur censura, vel præcepto transitorio, præcipiente aliquid sub censura incurrenda statim, ac violatur præceptum; vel noua sententiâ superadditâ ipsi Iuri aut præcepto, pro transgressione Iuris aut præcepti, quando nec Iure nec præcepto fertur ipso facto, sed ad summum imponitur comminatoriè; & censura posteriori modo lata, siue medio præcepto transitorio, siue sententiâ noua superadditâ Iuri aut præcepto transitorio, dicitur *ab homine*, quia ab ipso perseverante in officio infligitur, & non ipso deficiente, etiam si lata sit medio præcepto.

17

Ad ferendam autem censuram priori modo, nempe à Iure, requiritur potestas ad ferenda Iura seu statuta perpetua, quæ reperitur in Romano Pontifice, & in alijs inferioribus Episcopis, & in omnibus alijs qui iurisdictionem Episcopalem participant, & etiam in Legato à latere Sedis Apосто-

postolica, in Concilijs quoque generalibus, & in Prouincialibus, & in Synodo Diœcesana, & in Congregationibus seu Capitulis generalibus Religionum, & in Visitatoribus diœcesum & Religionum dum visitant. Ad ferendas verò censuras posteriori modo, nempe ab homine, sufficit potestas exterior Ecclesiastica, siue ordinaria siue delegata, qualis reperitur in Vicario seu Prouisorè Episcopi, & in Archipresbytero, & in alijs; quia ad id sufficit posse ferre præceptum, aut sententiam, & censura punire, quod potest quicumque qui habet potestatem exteriorem Ecclesiasticam.

18 Quia tamen Ius ex se est perpetuum, idè, quamuis legislator deficiat, manet Ius efficax ad infligendam censuram ipsi Iuri annexam: & quia præceptum non est perpetuum, sed cessat cessante officio personæ præcipientis, siue morte siue desertione officij, idè etiam cessante officio, deficit præceptum esse efficax ad infligendam censuram ipsi præcepto annexam. Quia verò sententia superaddita Iuri aut præcepto, secum trahit executionem, idè statim ac ipsa fertur, infligit censuram, quæ non cessat cessatione officij ferentis sententiam, sed absolutione, aut aliter; sicut etiam censura incurfa ob violationem Iuris aut præcepti non cessat reuocatione Iuris, nec cessatione præcepti, sed absolutione, aut aliter.

19 Conueniunt Secundò Doctores, censuram posse duobus alijs modis ferri, nempe specialiter & generaliter, vt deducitur ex cap. Romana. 5. de Sententia excommunicationis, in 6. specialiter, quando fertur contra personas determinatas, nominatim expressas nomine proprio, aut nomine officij, aut aliter (siue mediâ sententiâ superaddita Iuri aut præcepto, siue medio præcepto:) imò etiam quando fertur contra communitatem aliquam determinatam & expressam, quamuis tunc censura dicatur generalis: tunc dicitur ferri generaliter, quando fertur non contra determinatas personas, aut communitates nominatim expressas, sed contra personas aut communitates indeterminatas, & sub vaga quadam ratione (siue medio Iure aut præcepto, siue mediâ sententiâ superadditâ) etiam si censura incurfa à particulari persona, vt particularis est, dicitur specialis.

Conueniunt Tertio Doctores, censuram dupliciter imponi, Iure, aut præcepto; seu annecti Iuri aut præcepto, nempe ferendam & latam. Illa est ferenda, seu sententiæ ferenda, quæ non fertur seu infligitur ipso Iure, nec præcepto; quia Ius aut præceptum illam tantum comminatur; & idè transgressor Iuris aut præcepti illa non ligatur ex vi Iuris nec præcepti, sed tantum ex vi sententiæ superadditæ à Iudice, si superaddatur. Illa verò censura est lata seu latæ sententiæ, quæ actu fertur & infligitur ipso Iure aut præcepto, statim ac quis violat Ius aut præceptum cui est annexa, & dicitur lata, aut latæ sententiæ, quia ante violationem lata est sub conditione futuræ violationis; & dicitur etiam ipso facto, quia ipsa violatione nullo alio spectato incurritur; & quando est annexa Iuri, etiam dicitur ipso Iure, seu à Iure, quia ipso solo Iure perseverante infligitur, quamuis deficiat legislator. Incurritur autè ipso facto ante sententiam declaratoriam criminis, quia est pœna priuatiua, quæ ex vna parte fit integrè ipso Iure aut præcepto, absque cooperatione aliqua criminosi, consistens in prohibitione, aut in habilitate, aut in vtraque,

pro diuersitate censuræ, & ex alia parte non est pœna intolerabilis.

20 Tunc autem imponitur seu annectitur Iuri aut præcepto censura lata, quoties imponitur verbis significantibus censuram actu infligi, seu incurri statim post transgressionem, absq; noua & superaddita sententiâ, vt quando imponitur verbis comminantibus censuram, aut alijs, addito tamen aliquo ex illis tribus verbis, nempe, vel latæ sententiæ, vel ipso facto, vel ipso Iure, quando annectitur Iuri; & etiam quando imponitur Verbis censuræ præsentis Indicatiui, vt quando dicitur, *excommunicamus, suspendimus, interdicimus*. Imò etiam quando fertur Verbis præsentis Imperatiui, aut Optatiui, quibus non committitur, aut quasi imperatur alteri executio seu inflictio censuræ, vt quando dicitur, *incidat*, aut *incurrat excommunicationem*: & etiam (quidquid dicat Nauarrus cap. 27. n. 12.) quando imponitur Verbo substantiuo præsentis Imperatiui, aut Optatiui, aut futuri Indicatiui, addito tamen Participio præteriti, vt quando dicitur, *sit excommunicatus*, aut *erit excommunicatus*: imò etiam quando imponitur alijs Verbis de futuro, quibus idem significatur, vt quando dicitur, *incidet*, aut *incurret excommunicationem*.

21 Tunc imponitur aut annectitur Iuri aut præcepto censura ferenda, seu sententiæ ferenda, quando imponitur verbis, quibus nõ significatur statim incurri aut infligi post transgressionem, absq; superaddita Iudicis sententiâ; vt quando imponitur solis verbis comminatorijs, non addito verbo *latæ sententiæ*, nec *ipso facto*, nec *ipso Iure*, nec alio æquiualente, vt quando tantum dicitur, *sub pœna excommunicationis*, & quando imponitur verbis censuræ de futuro, vt quando dicitur, *excommunicabimus, suspendemus*, & quando imponitur Verbis præsentis Imperatiui, aut Optatiui, quibus quali imperatur & committitur alteri executio seu inflictio censuræ, vt quando dicitur, *excommunicatur, suspendatur*.

Addimus, vt optimè Anila 2. p. cap. 2. dub. 2. & 22
Ægidius disp. 13. n. 22. quòd quando verba relinquunt dubium, an contineant censuram latam, iudicandum est non continere illam, sed tantum ferendam; quia odia sunt restringenda. *Auila. Ægidius.*

DIFFICULTAS VI.

Quæ requirantur in ferente Censuras ad eas validè ferendas.

23 **P**Rimò ad validè ferendas censuras requiritur potestas seu iurisdictio ad eas ferendas, vt patet, & quòd nõ sit impedita, aut per legitimam appellationem, antequam censura incurratur, ex c. Si à Iudice. 10. de Appellationibus, in 6. aut per legitimam reculationem, etiam antequam censura incurratur; aut per excommunicationem, aut per suspensionem, siue ipsius ferentis censuras ex can. *Audiuimus*. 24. q. 1. siue illius à quo dependet potestas ferendi censuras, vt per excommunicationem aut suspensionem delegantis iurisditionem, quando ferens censuras est delegatus, si res non sit incepta, aut per excommunicationem, aut suspensionem Episcopi; quando Vicarius seu Prouisor illas fert ex cap. 1. de Officio Vicarij, in 6.

Secundò requiritur ad validè ferendas censuras, quòd eas ferens ferat, aduertens & intendens eas infligere; quia si non aduertat quid agat, non fert

fert illas validè, quia non agit vt homo: imò requiritur, quòd aduertat plena aduertentia, aliàs sufficiente ad mortale; quia absque ea pronuntiatio censuræ non erit simpliciter humana; & si non ferat censuras intendens eas infligere, non fert illas validè: quia intentio est, quæ dat valorem actionibus humanis, ex cap. *cum voluntate*. 54. de Sententia excommunicationis; & præter dictam aduertentiam & intentionem requiritur etiam expressio exterior dictæ intentionis, verbis, aut scripturâ, aut nutibus facta, aliàs non erit sensibilis & humana, & quòd ea sufficienter exprimat latio censuræ huius aut illius.

24
Ægidius.

Quòd autem censura feratur metu graui, seu cadente in virum constantem, non obstat valori censuræ, vt contra nonnullos docent Ægidius disp. 13. dub. 5. & communiter Doctores, quia censura sic lata nullo iure irritatur: quia in primis non iure naturali, quia quamuis eo metu fiat, est simpliciter voluntaria; deinde non iure aliquo positivo, quia nullum est quo irritetur, etiam si absolutio à censura, quamuis fauorabilis ipsi absolueudo, irritetur, in cap. vnico, de Ijs quæ vi metusve causa fiunt, in 6. quia ad hanc irritandam fuit maior ratio, quàm ad irritandam lationem censuræ; quia crebriùs contingit absolutionem fieri metu, quàm lationem censuræ, præsertim quòd nullitas absolutionis metu extortæ est fauor potestatis Ecclesiasticæ, quæ maximè infirmaretur, si absolutio sic extorta maneat valida, non verò si latio censuræ aliàs iusta; & magis prospiciendum est fauori potestatis Ecclesiasticæ, quàm delinquentis indigni fauore.

25 Tertiò ad validè ferendas censuras requiritur, quòd eas ferens, adhuc in suos subditos, sit intra suum territorium, seu intra locum suæ iurisdictionis, vt patet ex Clementina vnica, de Foro competenti; quia iurisdictionis contentuosa, qualis est ad ferendas censuras, exercetur pro tribunali, in quo nequit quis extra suum territorium sedere. vnde Episcopus existens extra suum territorium, non potest validè ferre censuras, adhuc in suos subditos. In ea tamen Clementina conceditur Episcopis vi expulsis à suo Episcopatu, vt in loco ei viciniori suam iurisdictionem exerceant, petita (quamuis non obtenta) licentia ab Episcopo loci.

Quartò requiritur, quòd ferens censuras, eas ferat contra alterum, & non contra seipsum, vt constat ex can. 2. 4. q. 4. quia censura, vt pote pœna, tantum potest ferri ex vi coactiuam in subditum, & nemo est sibi neque suæ legi subditus, quoad vim coactiuam: ac proinde Iudex prohibens aliquid sub censura, eam non incurrit, quamuis quoad vim directiuam teneatur sua prohibitionem cui annexit censuram: imò requiritur, quòd eam non ferat in propria causa, nisi vt violentiam sibi factam repellat, seu per modum defensionis, vt constat ex cap. *Delicto*. 6. de Sententia excommunicationis, in 6. *si quis in alio non mandauit* &c.

DIFFICULTAS VII.

Qui possunt ligari Censuris.

26

Conueniunt Doctores, eos omnes & solos posse censuris ligari, qui alicui superiori Ecclesiastico, habenti iurisdictionem in foro exteriori, subditi sunt. Quia sicut ferre censuras, est

actus omnis & solius dicti superioris; ita etiam censuris ligari, est omnis & solius subditi dicto superiori, vt deducitur ex cap. *A nobis*. 21. de Sententia excommunicationis, & ex cap. *Cum inferior*. 16. de Maioritate & obedientia.

Vnde creaturæ irrationales, vt locustæ, non possunt censuris ligari, quia non sunt subditi alicui superiori Ecclesiastico; quamuis ab Ecclesia institutæ sint quædam imprecationes, quibus à Deo postulat destructionem quarundam, quæ fructus terræ deuastant: nec angeli adhuc mali, quia non sunt subditi alicui superiori Ecclesiastico: nec homines non baptizati, quamuis sint Catechumeni, quia adhuc isti non sunt subditi Ecclesiæ, quia nondum ad eam pertinent, quia nondum receperunt Baptismum, qui est ianua ad Ecclesiam: nec Papa, quia nulli superiori Ecclesiastico in foro exteriori subditus est.

Imò nec defuncti possunt censuris ligari, vt contra nonnullos Theologos & Iuristas docent communiter Doctores, quia scilicet non sunt subditi Ecclesiæ militanti, quia ei non est concessa potestas ligandi directè, nisi eos qui super terram sunt: & idè qui viuens non incurrit censuram, nequit eam post mortem incurtere; ac proinde qui viuus mandat occidi Clericū, qui post mortem ipsius mandantis occiditur, non incurrit excommunicationem, quam incurreret si viueret. Imò defunctus, qui censura ligatus moritur, non perseuerat propriè & directè ligatus, quia iam in se ipso non est capax censuræ. Nihilominus in alijs fidelibus viuentibus manet ex voluntate Ecclesiæ obligatio, quæ in eis esset si censura ligatus viueret, quousque defunctus absoluitur; & consequenter per absolutionem non absoluitur directè & in se ipso; & quia non est in se ipso ligatus, & quia non habet superiorem à quo possit in se ipso absolui: absoluitur tamen indirectè quoad alios fideles, vt possint eum sepelire in loco sacro, & pro eo suffragia offerre: sicut etiam quando post mortem censurâ ligatur, vt aliquando fieri in Ecclesia, dicitur in c. *A nobis*. 28. de Sententia excommunicat. tantum ligatur indirectè, & quoad alios, vt nequeant eum sepelire in loco sacro, nec pro eo suffragia offerre. Et hoc tantum modo in nonnullis Concilijs aliqui hæretici sunt post mortem anathematizati, si anathematizatio in eis sumitur pro excommunicatione: & fortè non sumitur pro ea, sed pro execratione & detestatione, vel pro declaratione qua declarantur fuisse in vita excommunicati.

Nihilominus corpora defunctorum possunt comburi, aut aliter malè tractari; quia sunt res quædam externæ, & super terram, de quibus, sicut de alijs rebus externis ipsius defuncti, Respublica tam secularis quàm Ecclesiastica potest disponere, vt expedit ad bonum commune, neque potestare seu iurisdictione in ea corpora tamquam in subditos, sed tantum tamquam in res pertinentes ad Rempublicam.

Nec idem potest à se ipso censuris ligari; quia non est sibi ipsi subditus, saltem quoad vim coactiuam, vt diximus Difficultate præcedenti.

Nec pueri ante usum rationis, nec perperuamentes, qui ante usum rationis in amentiam inciderunt, possunt ligari censurâ præquirente propriam culpam, quia sunt culpæ incapaces; bene tamen, quidquid alij negent, possunt ligari censurâ

27

28

29

furâ non prærequirente propriam culpam, vt interdico personali, sed non quoad effectus in prohibitione consistentes, quia sunt incapaces prohibitionis; sed quoad alios quorum sunt capaces, vt quoad priuationem Ecclesiasticæ sepulturæ, ex qua priuatione redundat in alios fideles prohibitio eos sepeliendi in loco sacro.

Pueri tamen impuberes, ratione vtentes, possunt simpliciter ligari quacumque censura à Iure lata, vt constat ex cap. 1. & ex vltimo de Sententia excommunicationis; & meritò: quia ex vna parte possunt peccare adhuc mortaliter, & ex altera nullo Iure censura contra eos lata irritatur. Imò, vt contra Hugolinum cap. 17. §. 3. num. 5. & contra Abbatem docent Suarez disp. 5. sect. 2. & *Ægidius* disp. 13. dub. 6. possunt validè ligari censuris ab homine, quia ex vna parte possunt peccare adhuc mortaliter, & ex altera nullo Iure censura contra eos lata irritatur, imò nec prohibetur contra eos ferri; ac proinde, vt indicat *Ægidius*, id potest licitè fieri à superiore. Quòd verò non percipiant ordinem iudicarium, non obstat, vt ligentur censuris generaliter latis; quia tunc non est necessarium ad incurfionem, quòd interueniat cum illis ordo iudicarius; imò nec obstat, vt ligentur censuris specialiter latis contra illos, quia instrui possunt de ordine iudicario: sicut etiam possunt ligari alij puberes ordinem iudicarium ignorantes, quia etiam possunt instrui; imò & quamuis non possent, cum possint medio procuratore se defendere. Quòd si impuberes ratione vtentes possunt censuris ligari, etiam de facto ligantur quando in eis est causa sufficiens, vt còtra Vasquez de Pœnitentia quæst. 90. art. 2. dub. 4. supponunt *Aluuius* lib. 3. disp. 10. c. 4. & *Ægidius*, & quoad censuram Iure latam supponitur in cap. 1. & vlt. de Sententia excommunicationis.

Idem quod diximus de pueris ante vsum rationis, & de perpetuò amentibus ante illum, etiam est verum in perpetuò amentibus, qui post vsum rationis in amentiam inciderunt, excepto quòd isti possunt ligari censuris, & de facto ligantur, quando ante amentiam dederunt causam sufficientem; sed non ligantur quoad effectus in prohibitione consistentes, quia iam sunt incapaces prohibitionis, sed quoad alios, quorum sunt capaces. Qui verò incidit in amentiam tantum temporaneam, potest ligari censuris etiam quoad effectus in prohibitione consistentes (si aliàs sit aut fuerit causa sufficiens) quia sicut habitualiter & quasi in actu primo retinet vsum rationis, quamuis pro eo tempore impeditum, ita etiam est capax prohibitionis in actu primo, etiam si ab obligatione in actu secundo pro eo tempore excusetur ob dictum defectum.

DIFFICULTAS VIII.

Utrum existens in alieno Episcopatu, possit ligari censuris à suo Episcopo.

32 **C**onueniunt Doctores, existentem extra suum Episcopatum in alieno, non ligari censuris annexis statuto perpetuo, seu constitutioni perpetua sui Episcopatus, vt constat ex cap. 2. de Constitutionibus, in 6. vbi redditur ratio huius, quia scilicet extra territorium Ius dicenti non paretur impune: quibus verbis supponitur, Episcopum

non habere iurisdictionem ad dicendum Ius extra suum territorium, quia dicitur, existentem extra suum Episcopatum non obedire suo Episcopo, non fieri dignum pœna. Et idem est quando quis existit in loco exempto à iurisdictione sui Episcopi, quamuis intra suum Episcopatum, vt contra Archidiaconum & contra alios docent communiter Doctores, & deducitur ex cap. Cum Episcopis. 7. de Officio Ordinarij, & ex cap. 1. de Priuilegijs, in 6. & meritò: quia locus ille est formaliter extra territorium sui Episcopi, cum sit extra iurisdictionem illius. Nomine autem loci exempti, quoad hunc effectum, intelligitur locus exemptus ratione sui, vt sunt Abbatia aliqua, & Prioratus aliqui, & non intelliguntur Monasteria Religiosorum, vt contra Henriquez & Auilam docent Suarez disp. 5. sect. 4. & *Ægidius* disp. 13. dub. 7. quia locus Monasterij non est exemptus, sed tantum Religiosi ipsi, qui non ratione loci, sed ratione sui sunt subditi Ius Prælati Religiosis, sicut filij parentibus, & vxor marito, & ideò vbi que terrarum possunt à Ius Superioribus ligari censuris, siue annexis statuto perpetuo, siue præcepto, vt aduertit *Ægidius* num. 64. Quòd intelligimus de censuris annexis statuto totius Religionis, & præcepto Generalis: quoad Prouincialem verò & Superiores immediatos domorum, standum est legibus & consuetudinibus Religionum.

Est tamen difficultas, An subditus Episcopi existens in alieno Episcopatu, possit ligari censuris annexis præcepto, siue generali siue speciali sui Episcopi.

Suarez disp. 5. sect. 5. & Sayrus lib. 1. cap. 7. *Suarez* partem affirmatiuam tuentur, quia præceptum, & *Sayrus* censura ei annexa, non tam respiciunt territorium seu locum iurisdictionis, quam personas subditas, ac proinde obligat suos subditos, & censura ei annexa eos ligat vbi cumque sint.

Henriquez verò lib. 13. cap. 26. & *Ægidius* disp. 13. num. 61. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia iurisdictione Episcopi non extenditur vltra suum territorium, vt satis significat Pontifex in dicto c. 2. dum reddens rationem, ob quam qui extra territorium Episcopi furantur, non ligentur statuto Episcopi excommunicantis *fures*, aut, quia extra territorium Ius dicenti non paretur impune, vbi per Ius dicere non intelligit ferre statutum seu legem, quia ferè idem esset, non potest ferre statutum, quia nò potest illud ferre; sed idem est ac vti iurisdictione; ac proinde Episcopus tantum habet iurisdictionem in personas ratione territorij, quando in eo habent domicilium, aut quasi domicilium.

Addimus tamen (in quo Doctores conueniunt) subditum existentem in alieno Episcopatu, posse ligari censuris à suo Episcopo ratione delicti commissi in proprio Episcopatu, vt si habens curam animarum non resideat, quia est absens, & existens in alieno Episcopatu, quia tunc omisio residentia fit in proprio Episcopatu: aut si quis furtum fecit in proprio Episcopatu, & in alieno existens non satisfacit, quia ratione delicti fortitur quis forum, vt dicitur in cap. vlt. de Foro competenti. Vnde in dictis casibus existens in alieno Episcopatu, incurreret censuram annexam statuto aut præcepto, siue generali, siue speciali notificato (siue ante egressum à suo Episcopatu, siue post, ex

ex consensu Episcopi loci in quo est, qui requisitus consentire debet, quia alter Episcopus habet ius ratione delicti) quia ex vna parte statuto aut præcepto notificato, censura, quæ ei annectitur, executioni mandatur absque actu aliquo iudiciali faciendo in alieno territorio, quia in eo inualidè fieret absque consensu Episcopi illius territorij, quamuis iniuste negato; & ex altera parte ratione delicti commissi in proprio Episcopatu, manet in alieno territorio subditus suo Episcopo.

DIFFICULTAS IX.

Vtrum existens in alieno Episcopatu, possit ligari Censuris ab Episcopo Episcopatus in quo est.

36 **C**onueniunt Primò Doctores, existentem in alieno Episcopatu, animo semper manendi in eo, obligari statuto illius Episcopatus, & præceptis illius Episcopi, & ligari censuris eis annexis, quia ex tunc acquirit domicilium, & fit incola illius loci: & idem est, vt non pauci contra nonnullos docent, quando est in eo Episcopatu animo ibi manendi ad medietatem anni plus minùsve, quia eo acquirit quasi domicilium.

Conueniunt Secundò, existentem in alieno Episcopatu absque dicto animo tamquam hospitem & alienigenam (de quo procedit difficultas) posse ratione delicti in eo Episcopatu commissi, ante publicationem præcepti generalis, & ante intimationem specialem, ligari censura annexa ipsi præcepto, siue generali Episcopi Episcopatus in quo est, ei notificato in eo Episcopatu, siue generaliter, si est generale, siue specialiter, si est speciale; vt si commisit furtum, vt satisfaciatur: quia ratione delicti sortitur quis forum quoad illud delictum, vt dicitur in cap. vlt. de Foro competenti. Addidimus, *ei notificato in eo Episcopatu*, quia, vt contra nonnullos aduertunt Auila 2. part. cap. 3. disput. 2. dub. 3. & Aegidius disp. 13. num. 59. si ante notificationem præcepti egreditur ab eo Episcopatu, non ligatur censura, tali præcepto siue generali siue speciali annexa, nisi post egressum ei notificetur ex consensu Episcopi proprii, aut alterius in cuius territorio sit, qui requisitus consentire tenetur, quia Episcopus loci habet ius ad id ratione delicti.

37 Est tamen difficultas Primò, An alienigena existens in alieno Episcopatu, ligetur censurâ generaliter latâ annexâ dicto seu præcepto generali Episcopi Episcopatus in quo est lata, non in satisfactionem delicti antea commissi.

Glossa. Glossa in cap. *A nobis*. 21. de Sententia excommunicationis, partem affirmatiuam tuetur: quia ratione violationis edicti fit subditus ei Episcopo.

Aegidius. Aegidius verò disput. 13. nu. 58. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & absque dubio traditur in dicto cap. *A nobis*. & merito: quia ille, quamuis sit in eo Episcopatu, non est subditus ei Episcopo, vt supponitur in dicto c. *A nobis*, quia non acquisiuit domicilium, nec quasi domicilium in eo, ratione cuius quis ad parochiam & ad Episcopatum pertinet: ergo non obligatur eius præcepto generali, nec ligatur censurâ ei annexâ. & ob hanc rationem etiam non ligatur censurâ specialiter annexâ præcepto spe-

38 ciali, sicut nec obligatur ipso præcepto, quia scilicet non est ei subditus.

Ad rationem autem Glossæ negamus, alienigenam ratione violationis præcepti generalis aut specialis Episcopi, non continens materiam aliâs Iure naturali aut diuino prohibitam, fieri subditum ipsi; quia tali violatione non delinquit, quia nondum est ei subditus, vt eius præcepto obedire teneatur. Et quamuis fiat, quando præceptum Episcopi continet materiam aliâs Iure naturali aut diuino prohibitam, quia violatione illius fit delinquens contra præceptum naturale aut diuinum, fit tamen solùm subditus ipsa violatione, vt ipsi Episcopo post violationem præcipienti, siue generaliter siue specialiter, pro violatione obediat, & vt ligetur censurâ annexâ præcepto satisfaciendi, si non satisfaciatur.

Secundò est difficultas, An alienigena ligetur censuris annexis statuto perpetuo Episcopatus in quo est.

Filliucius Tract. 11. c. 5. in fine, partem affirmatiuam tuetur, quia statutum perpetuum respicit territorium, & personas ratione territorij.

Aegidius verò vbi supra partem negatiuam tradit, & merito: quia nemo obligatur statuto, ac proinde nec censura ei annexa ligatur, nisi ratione domicilij, aut quasi domicilij fiat incola illius Episcopatus aut Reipublicæ, vbi est statutum illud: quia statutum ita respicit territorium, & personas ratione illius, vt non respiciat omnes qui in eo sunt, sed tantùm eos qui ad illud pertinent, & sunt incolæ illius.

Observandum est, in quo Doctores conueniunt, statuto antea facto, & censurâ ei annexâ, etiam comprehendi eos qui post factum statutum sunt subditi, quia obligatio statuti etiam durat eo tempore quo iam sunt subditi: imò addimus, vt contra Sayrum & Auilam aduertunt Suarez disput. 5. sect. 5. & Aegidius num. 59. edicto seu præcepto generali, & censura ei annexa, comprehendi eos qui post publicatum edictum sunt subditi supradicto modo, quia etiam post publicationem edicti durat eius obligatio, & impositio pœnæ, aliâs tunc non comprehenderet eos qui erant subditi tempore publicationis.

Vagi verò, seu vagabundi, ligari possunt censuris, ab Episcopo loci in quo actu habitant, & non ab alio Episcopo, quia sunt subditi Episcopo illius, & ei soli, quia actualis habitatio in his est loco domicilij, quia non habent alium modum domicilij; quod eis conuenit Iure non scripto, sed vsu & praxi introducto.

DIFFICULTAS X.

Vtrum Censura possit validè ferri ob peccatum tantùm veniale.

Supponimus, in quo Doctores conueniunt, censuram strictè sumptam non posse ferri validè (& consequenter nec incurri) nisi ob peccatum seu culpam, quia censura est pœna quæ necessariò respicit culpam.

Est tamen difficultas, An ferri possit & incurri ob peccatum tantùm veniale.

Circa quam conueniunt Doctores Primò, excommunicationem maiorem non posse, nisi ob peccatum mortale, vt dicitur in can. *Nemo Episcoporum*. 11. quæst. 3. quia est pœna grauissima,

& consequenter peccato veniali, utpote leui, maior, inæqualis, & iniusta, ac proinde nulla, quando ob peccatum tantum veniale fertur. Vnde non potest validè ferri nec incurri ob non parendum Superiori in re leui. Imò vt contra Glossam in cap. *Duo. 96.* docent communiter Doctores, nec ob non comparendum coram Iudice in re leui; quia nec in non parendo Superiori in re leui, nec in non comparendo coram illo in re leui, potest esse nisi tantum peccatum veniale, seu leue.

42 Conueniunt Secundò, excommunicationem minorem posse ferri & incurri ob peccatum tantum veniale, quia omnibus pensatis est pœna leuis; quia quamuis ex obiecto sit graue malum, ob maximam tamen facilitatem qua auferri potest, est leue: quia auferri potest à Confessario ordinario, imò à quolibet simplici Sacerdote. Vnde id intelligitur de excommunicatione minori, vt nunc fertur, quæ tantum fertur à Iure, quam potest Confessarius peccati venialis auferre: & etiam potest intelligi de excommunicatione minori, si feratur generaliter ab homine, quia etiam potest à Confessario peccati venialis auferri. Non tamen est verum de excommunicatione minori, si specialiter feratur ab homine, quia hæc tantum potest à Iudice in foro exteriori auferri, ac proinde tunc esset grauis pœna, quia est graue malum ex obiecto, & esset difficile ablatu.

43 Est ergo punctum difficultatis, an suspensio & interdictum integrè & plenè, vt communiter feruntur, possint validè ferri (& consequenter incurri) ob peccatum tantum veniale. Addimus, *integrè & plenè, vt communiter feruntur*; quia si tantum sint ab vna actione, & ad breue tempus, vt ferri possunt pro arbitrio Iudicis (quamuis tunc non erunt censura) possunt, utpote pœnæ leues, ferri & incurri ob peccatum tantum veniale.

Caetan. Nauarrus. Henriquez. Auila. Caetan. v. *Præcepti transgressio*, Nauarrus cap. 27. num. 165. Henriquez & Auila, absolutè & absque vlla limitatione docent, posse ferri & incurri ob peccatum tantum veniale, quia etiam excommunicatio minor potest, & tamen est maior pœna quam suspensio & interdictum, adhuc plenè & integrè lata.

Sauarez. Aegidius. Vasquez. Suarez. verò disp. 4. sect. 4. Aegidius disp. 13. dub. 8. & Vasquez 1. 2. disput. 158. docent non posse, & meritò (excepto interdicto particulari personali puro, lato à Iure, vel generaliter ab homine, & non referuato) quia suspensio & interdictum plenè lata, sunt ex obiecto graua mala, & (excepto dicto interdicto) non possunt facilè auferri, sicut auferuntur excommunicatio minor (ex quo habent, quòd sint maior pœna quam excommunicatio minor) quamuis non referuentur, non possunt auferri à Confessario ordinario (sicut potest auferri excommunicatio minor) vt de suspensione dicemus in suo Tractatu Difficultate x. & de Interdicto Difficult. xvi. Excepimus interdictum personale particulare purum (id est, non adiunctum locali) latum à Iure, vel generaliter ab homine, & non referuatum, vt possint ob peccatum tantum veniale ferri & incurri, vt dicemus in suo Tractatu Difficult. xii. quia ex alia parte istud (sicut & alia) non est intensiue maior, imò est minor priuatio quam excommunicatio minor, & ex alia ita facilè potest auferri, ac excommunicatio mi-

nor, quia potest à Confessario ordinario auferri, vt dicemus in eo Tractatu Difficult. 16. & statim expendemus; & ex alia non est adiunctum interdicto locali, quod non potest nisi ob graue peccatum ferri, vt dicemus in eo Tractatu Diffic. xiii. Quòd autem nulla suspensio, & nullum interdictum, nisi dictum, possint auferri à Confessario ordinario, probatur: quia illa censura, & ea sola potest à Confessario ordinario auferri, cuius absolutio non referuatur, & potest Sacramentaliter fieri (quia isto solo modo potest ordinarius Confessarius censuram auferre) & cuius absolutio prærequiritur ad absolutionem à peccatis, vt Confessarius non impediatur ista censura à suo officio, & cuius absolutione non perturbatur tribunal ferentis censuram; vt contingit, quando persona ligata censura est iudicialiter incognita; quia censura lata fuit à Iure, vel generaliter ab homine. Nulla autem suspensio impedit absolutionem à peccatis, quia dari potest suspensio, manenti suspensio, nec interdictum personale speciale mixtum, seu adiunctum generali, sicut nec istud generale locale ex concessione Pontificis in cap. *Alma mater. 24.* de Sententia excommunicationis, in 6. Et quamuis locale speciale, & generale personale, verè impediunt absolutionem à peccatis, nihilominus non possunt auferri à Confessario ordinario; quia ablatio eorum requirit iurisdictionem exteriorem, & etiam ablatio interdicti generalis localis; quia nequeunt auferri Sacramentaliter, quia nec locus, siue specialis siue generalis, nec communitas possunt Sacramentaliter absolui.

Vnde quod dicitur in cap. *Nuper. 39.* de Sententia excommunicat. nempe excommunicationem latam à Iure, quando non referuatur, posse ab ordinario & à proprio Sacerdote auferri, est verum generaliter, in excommunicatione lata à Iure, de quo ibi est sermo, & etiã in excommunicatione lata generaliter ab homine non referuata: quia excommunicatio impedit absolutionem à peccatis; & absolutione ab excommunicatione, tam lata à Iure quam lata generaliter ab homine, non turbatur tribunal ferentis illam, quia persona sic excommunicata non est iudicialiter cognita, ac proinde ab Ordinario fieri potest tam in foro exteriori quam in Sacramentali, si aliàs est Confessarius, quia in vtroque habet iurisdictionem, & à proprio Parocho Sacerdote in foro tantum Sacramentali, quia tantum in hoc habet iurisdictionem. Et idem, ob eandem rationem Pontificis, est in aliis censuris; quia id docet Pontifex non definiendo, sed declarando intentionem excommunicantis, & non referuantis excommunicationem, vt patet ex contextu. Et eadem est intentio in ferente alias censuras, & eas non referuante, proportionetamen accommoda; ita vt censura, quæ exigunt ad sui absolutionem iurisdictionem exteriorem, vt sunt suspensio ob rationem dictam, & interdictum personale generale, & vtrumq; locale & personale speciale, adiunctum locali siue generali siue speciali, tantum possunt auferri ab Ordinario iurisdictione exteriori; & quæ possunt Sacramentaliter auferri, & absque turbatione tribunalis ferentis, vt sunt interdictum personale speciale purum latum à Iure, vel generaliter ab homine, possunt etiam auferri à proprio Parocho Sacerdote, quia potest Sacramentaliter absolueri, & ob hanc rationem etiam à Confessario ordinario.

Nulla

Nulla ergo suspensio potest validè ferri ob peccatum tantum veniale, non solum specialiter ab homine, sed nec à Iure, nec generaliter ab homine; quia nulla potest facile auferri, quia nulla potest à Confessario ordinario auferri, & nullum interdictum potest validè ferri specialiter ab homine ob peccatum tantum veniale: quia eo ipso non potest facile auferri, quia non à Confessario ordinario in foro Sacramentali, sed tantum à Iudice ipso in foro exteriori; sicut etiam excommunicatio minor, si feratur specialiter ab homine, non potest ob peccatum tantum veniale ferri validè, ob eandem rationem.

48 Ex dictis deducitur, eum, qui in violatione statuti aut præcepti, cui annexa est censura aliqua, excusatur à peccato prærequisito ad lationem validam & ad incursum illius, siue mortali siue veniali, pro diuersitate censurarum, quocumque modo excusetur, siue defectu aduertentiæ, siue vi aut metu, siue graui aliqua necessitate, siue alia via, non incurrere eam censuram.

DIFFICULTAS XI.

Utrum Censura possit ferri ob peccatum purè internum.

Adrianus.
Medina.
Corduba.

ADRIANUS Quodlibet. 8. qu. 1. lit. G. Medina A. C. de Pœnitentia, tract. de Oratione qu. 15. & Corduba lib. 4. Quæstionum Theolog. qu. 13. docent, ferri posse censuram ob peccatum purè internum. Et ratione probatur; quia potestas Ecclesiæ est spiritualis, ergo potest præcipere & prohibere actus purè internos & spirituales, & inobedientes præcepto, aut prohibitioni, censuris punire. Et confirmatur variis exemplis; quia in Clement. 1. de Hæreticis, excommunicantur Inquisitores, qui in causa fidei, odio vel amore aliquid omittunt: & in Clementina 1. de Statu Monachorum, excommunicatur Monachus Benedictinus, qui absque licentia Prælati se confert ad Curiam Regiam animo accusandi illum: & in can. *Si quis*. d. 30. desumpto ex Concilio Gangrensi cap. 18. anathematizantur, qui in die Dominica ieiunant in contemptum eiusdem diei: & in pluribus Canonibus Conciliorum anathematizantur, qui crederint contra id quod in ipsis decernitur.

49

Concilium
Gangrense.

Suarez verò disp. 4. sect. 2. Egidius disp. 13. dub. 8. Vasquez 1. 2. disp. 160. & communiter Doctores docent (& meritò) non posse adhuc validè ferri censuram ob peccatum merè internum, quod non exeat in actum exteriorem sensibilem. Quod deducitur ex *c. Tua nos*. 34. & ex cap. *Sicut in nos*. 33. de Simonia, & ex can. *Erubescant*. 32. Et ratione probatur, quia homo nequit actus purè internos cognoscere; ergo quamuis sit superior, nequit de illis iudicare, nec eos præcipere nec prohibere; ac proinde nec eos, nec eorum omissiones, censuris nec alia pœna punire. Cum hoc tamen benè stat, quòd prohibito actu exteriori, etiam indirectè & per accidens, maneat prohibitus actus interior efficax voluntatis; quia est causa actus exterioris prohibiti; & prohibito seu factò illicito actu exteriori, nequit non esse illicitum, ad illum conati: nihilominus pœna imposita pro opere exteriori, non incurritur ob affectum efficacem illius, si non fiat opus ipsum; quia pœna non derivatur secundariò ex actu exteriori in affectum ef-

50

ficacem, sicut derivatur culpa seu malitia.

Potest tamen Ecclesia non ordinaria potestate suprema legislatoris humani, sed extraordinaria & speciali Christi commissione, gerens vicem Christi, à peccatis purè internis absolueret, & in votis purè internis dispensare.

Ad rationem ergo aduersariorum respondeamus, quòd quamuis potestas Ecclesiastica etiam quoad forum contentiosum sit spiritualis, id est, circa ea quæ conducunt animæ ad vitam æternam; quia tamen residet, & concessa est hominibus modo generali & ordinario, qui verè sunt sensibiles, & dependenter à sensibus cognoscentes & iudicantes; ideò talis potestas directè non se extendit, nisi ad ea quæ sensibus percipi possunt.

Ad confirmationem desumptam ex dictis exemplis respondemus, vt optimè Vasquez, nullum actum interiorem contentum in illis præcipi, neque prohiberi, nec puniri ab Ecclesia, nisi verbo aut alio signo exteriùs indicetur, quamuis coniungatur cum exteriori actu; ac proinde Inquisitores non incurrere excommunicationem, quamuis ex odio vel amore non procedant in causa fidei, nisi signo aliquo exteriori indicent omissionem procedendi prouenire ex odio vel ex amore; nec Monachum Benedictinum, quamuis adeat Curiam animo accusandi Superiorem, nisi exteriùs indicet adire eo animo; nec eos, qui in contemptum diei Dominica ea die ieiunant, nisi indicent exteriùs id fieri in contemptum; nec eos, qui interiùs discredunt, nisi exteriùs indicent animum hæreticum, imò non sufficit postea fateri se interiùs discredidisse, nec adisse Curiam eo animo, nec non processisse in causa fidei ex odio aut ex amore; quia id non est discredere, nec adire Curiam eo animo, nec non procedere in causa fidei ex odio aut ex amore.

51

DIFFICULTAS XII.

Utrum Censura possit ferri ob peccatum exteriùs, absque inobedientia respectu Ecclesiæ.

SVPPONIMUS, Iudices Papa inferiores non possent licitè ferre censuram ob peccatum exteriùs præteritum, factum absque inobedientia seu contumacia respectu Ecclesiæ, seu ministrorum Ecclesiæ, id est, quando non præcessit aliqua iuridica monitio, seu iussio, aut prohibitio, qua monuerint opus illud peccati non esse faciendum: quia ferre censuram, non præsupposita dicta monitione, prohibitum est Iure canonico in cap. *Romana*. 5. & in cap. *Constitutionem*. 9. de Sentent. excommunic. in 6. & in cap. *Reprehensibilis*. 26. de Appellationibus, & in aliis capitibus Iuris.

52

Est tamen difficultas, An censura possit à dictis Iudicibus validè ferri absque dicta inobedientia, id est, ob peccatum quod non sit contra Ius aut præceptum Ecclesiasticum, quamuis sit contra Ius naturale, aut diuinum, aut humanum sæculare.

Caietanus 2. 2. quæst. 69. art. 2. Almaynus de Potestate Ecclesiastica cap. 10. & Corduba lib. 2. quæst. 27. ad 2. docent, excommunicationem maiorem (ac proinde maiori ratione suspensionem & interdictum) posse validè ferri, etiam à Iudicibus inferioribus, ob peccatum exteriùs, absque dicta inobedientia.

53
Caietan.
Almayn.
Corduba.

Quod variis exemplis & canonibus probatur, in quibus dicitur lata censura, nulla facta mentione monitionis: eis tamen id non probatur efficaciter, quia quamvis in eis non fiat mentio dictæ monitionis, non tamen significatur, nec supponitur non fuisse factam.

Ratione tamen probatur, quia peccatum exterius, quamvis non sit contra præceptum Ecclesiasticum, potest esse dignum censura, & potest ab Ecclesia puniri in bonum animæ illius qui peccat; & ex alia parte censura ex eo, quod feratur absque inobedientia respectu Ecclesiæ, non irritatur Iure aliquo: ergo ferri potest validè ob peccatum exterius, quod non sit contra præceptum Ecclesiæ.

54
Suarez.
Auila.
Ægidius.
Vasquez.

Suarez verò disp. 4. sect. 5. Auila 2. p. c. 5. disput. 1. dub. 10. Ægidius disp. 13. dub. 8. Vasquez de Excommunic. dub. 12. & communiter Doctores docent, censuram non posse validè ferri à Iudicibus (ac proinde nec incurri) nisi ob peccatum exterius inobedientiæ seu contumaciæ respectu Ecclesiæ, & meritò: quia excommunicatio (imò etiam suspensio & interdictum, ut sunt censura) instituta est ab Ecclesia in pœnam contra sibi contumaces seu inobedientes; quia eam instituit excitata & admonita à Christo illis verbis Matth. 18. *Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in celo.* & ob id ad eam infligendam, præcipitur Iure canonico fieri admonitionem, imò trinam, aut vnam pro tribus, ad imitationem trinæ admonitionis, quam Christus vbi supra præscripsit fieri peccatori, quamvis vnam tantum præscripsit fieri ab Ecclesia, & alias duas à proximo. Ergo contra institutionem & naturam excommunicationis, & aliarum censurarum est, ferri ob peccatum quod non sit inobedientiæ seu contumaciæ respectu Ecclesiæ; ac proinde aliter lata erit nulla & inualida, non Iure Ecclesiastico puro superaddito naturæ censuræ, sed Iure Ecclesiastico naturali, id est Iure suæ naturæ quam habet ex Ecclesiæ institutione. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

55

Suarez.
Auila.
Ægidius.
Covar.
Vasquez.

Id verò quod addunt Suarez, Auila & Ægidius, nempe ad valorem censuræ prærequiri contumaciam respectu Ecclesiæ comminantis sub censuram, falsum est, ut indicant Covarruias 1. p. §. 9. & 10. & Vasquez dubit. 16. ad finem; quia absque fundamento aliquo talis comminatio requiritur, imò contra rationem: quia quamvis ea comminatio non fiat ab Ecclesia, qui ei non obedit, verè dicitur contumax in Ecclesiam, & eam non audire, quod sufficit ut censuram puniatur. Quod non leuiter confirmatur ex eo, quod in c. *Ut animarum*. 2. de Constitutionibus, in 6. ut quid fauorabile & priuilegium statuitur, non incurri censuram annexam statuto Ordinariorum, ab eo qui eam probabiliter ignorat: quo supponitur, quod incurreretur, si id non statueretur; & quod incurratur censura Iure communi lata; ac proinde, quod inobedientia respectu Ecclesiæ comminantis sub censura, non prærequiratur ad valorem censuræ, quia qui omnino aut probabiliter ignorat censuram, non est sic inobediens Ecclesiæ.

56

Addidimus, non posse censuram validè ferri absque inobedientia respectu Ecclesiæ, à Iudicibus Papa inferioribus; quia contra non paucos

existimamus, posse etiam excommunicationem validè ferri à Papa absque dicta inobedientia: quia potestas Papæ ad ferendas validè censuras non est limitata ad eas dicto tantum modo ferendas, quia non est limitata per ipsius institutionem, per quam inferioribus limitatur, ut patet, quia sibi nequit eam auferre nec limitare; nec limitata est à Christo illis verbis, *Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, quia Christus illis verbis nec limitauit Ecclesiæ facultatem ad censuras eo tantum modo instituendas & ferendas, nec eas eo tantum modo instituit, quia eas verè non instituit. Nihilominus Papa illicitè feret censuram absque dicta inobedientia, quando ad secum dispensandum in sua institutione non sit rationabilis causa; quia Papa suo Iure tenetur quoad vim directiuam.

DIFFICULTAS XIII.

Vtrum quando Censura fertur ob aliquod peccatum, tantum feratur ob illud completum in suo genere.

Conueniunt Doctores, censuram latam ob aliquod peccatum, tantum ferri & incurri ob illud in suo genere completum, ut verbis sonat. ita Suarez disp. 4. sect. 3. Auila 2. par. cap. 5. disp. 3. dub. 5. & Ægidius disp. 13. n. 75. quod non leuiter deducitur ex cap. *Perpetuo sanctionis*. 7. de Elect. in 6. Et ratione probatur, quia impositio pœnæ est odiosa, ergo est strictè interpretanda.

57

Vnde qui conatur percutere Clericum, si verè non percutit, vel quia errauit, vel quia impeditus fuit, vel aliter, non incurrit excommunicationem canonis *Si quis suadente*: & qui percutit aliquem, si non sequatur mors, non incurrit censuram, si lata sit ob homicidium quousque mors sequatur: & si non sequitur, quamvis miraculose impediatur, numquam incurret; quia quamvis ante mortem actio ex parte delinquentis sit perfecta, non tamen est perfecta ut significatur nomine *homicidium*, quod significat actionem delinquentis ut coniunctam cum morte: & qui feribit ad aliquem, non incurrit censuram latam ob scribendum ad illum, quousque ad illum perueniat scriptura: & qui profert hæresim absque assensu hæretico interiori, non incurrit excommunicationem latam contra hæreticos, quia non est perfectè hæreticus.

Suarez.
Auila.

58

Et ob eandem rationem, qui consulit, aut mandat opus cui est annexa censura, hanc non incurrit, quamvis ex consilio aut mandato fiat opus (nisi illa sit etiam extensa ad consulentes aut mandantes) quia qui consulit, aut mandat opus, non efficit illud in rigore. Imò addimus, quod quando censura fertur ob consilium aut mandatum, non incurritur, si non sequitur opus: & quamvis sequatur, non incurritur ante opus secutum, quando censura principaliter fertur tantum propter opus, ut fertur excommunicatio contra mandantes percussorem Clerici: at quando censura etiam fertur principaliter ob consilium aut mandatum, statim incurritur ante secutum opus: & quamvis numquam sequatur, ut fertur excommunicatio in c. 1. de Homicidio, in 6. contra eos, qui mandant aliquem occidi per assassinos (quæ excommunicatio iam non habet locum,

59

cum,

cum, quia iam non sunt assalini) & vt fertur in Clementina de Pœnis cap. 1. contra Religiosos Mendicantes, qui in concionibus docent aliquid animo retrahendi populum à solutione decimarum; subintellige tamen animo exterius expresso, iuxta ea quæ diximus Diffic. xi.

60 Obseruandum est, censuram latam ob consilium aut mandatum non principaliter, sed tantum accessorie (qua ratione censenda est ferri, quoties non constat etiam ferri principaliter) quæ non incurritur, nisi secuto effectu, aliquando non incurri, quamuis sequatur effectus: tunc videlicet, quando efficiens effectum non efficit illum, motus consilio aut mandato, sed eodem modo efficit illum, ac si non fuisset consultus nec mandatus; quod contingit, quando consilium aut mandatum vel non fuit à principio efficax, vel si fuit, desinit esse efficax ante effectum secutum. Est tamen discrimen inter consilium & mandatum quantum ad desitionem efficacis, quod mandatum eo ipso quod reuocatur, & reuocatio fit nota mandatario, desinit esse efficax, quia in mandato agitur res mandantis, & in eius gratiam, & vt ei placeatur; ac proinde cognita opposita voluntate mandantis, etiam mandatum desinit mouere, seu esse efficax: in consilio verò non agitur res consulentis, nec in eius gratiam; ac proinde non eo ipso quod reuocatur, quamuis reuocatio fiat nota consulto, desinit mouere, & esse efficax. Sed an reuocatio, seu pœnitentia, quantum est ex se efficax consilij aut mandati, impediatur incurSIONEM censuræ, dicemus Diffic. xv.

DIFFICULTAS XIV.

Utrum Censura lata contra facientes, etiam comprehendat consulentes & mandantes.

61 **C**onueniunt Doctores, vno aut altero excepto, censurâ latâ contra facientes aliquod opus, v.g. percussione Clerici, non comprehendit consulentes, quando in latatione censuræ id non significatur; quia consulens non dicitur absolute & simpliciter facere opus: qui enim consultit percussione Clerici, quamuis sit causa moralis percussione, quæ fit ex vi talis consilij, non tamen dicitur percutere.

Est tamen difficultas, An comprehendantur mandantes, seu commendantes, & committentes alteri opus ob quod fertur censura.

Siluester. Rosella. Siluester *Excommunicatio*. 9 nu 79. & *Excommunicatio*. 10. quæst. 4. & Rosella *Excommunicatio*. 1. casu 43. n. vlt. partem affirmatiuam tuentur, quæ deduci videtur ex c. *Mulieres*. de Sententia excomm. in 6. dum dicitur, eos quorum auctoritate aut mandato alij iniiciunt manus violentas in

62 *Innocent. II.* Clericos, esse excommunicatos excommunicatione lata ab Innocentio II. in can. *Si quis suadente diabolo*. 17. q. 4. reseruata Sedi Apostolicæ: hæc autem excommunicatio in eo canone tantum fertur contra eos, qui manus violentas in Clericos iniiciunt; ergo censura lata contra facientes, etiam comprehendit mandantes. Et ratione insinuata in eodem cap. probatur, quia qui aliquid mandat efficere absolute, etiam simpliciter dicitur illud efficere. Iudex enim, qui mandat seu committit executori quod aliquem suspendat, absolute dicitur illum suspendere; ergo censura lata contra facien-

tes aliquid, etiam comprehendit mandantes, quia etiam isti verè & absolute dicuntur illud efficere.

Nauarrus. verò cap. 27. nu. 51. Aegidius disp. 14. n. 188. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & merito: quia lex pœnalis, vt pote odiosa, strictè est accipienda secundum propriam & rigorosam significationem verborum: qui autem mandat seu committit aliquid efficere, id non efficit proprie & in rigore, quia mandare & efficere sunt in rigore distinctæ actiones, quamuis mandans opus aliquando dicatur absolute & simpliciter illud efficere, tunc videlicet quando id solet effici per alios, vt ædificare, suspendere, sepelire mortuum, & alia. Ex quo constat ad rationem pro aduersariis adductam. Quod non leuiter confirmatur ex eo, quod in non paucis Iuribus, quibus fertur censura contra facientes aliquid, etiam additur contra mandantes, vt constat ex cap. vltimo de pœnis, in 6. & ex Clementina 1. eodem tit. & ex multis excommunicationibus Bullæ Cænæ Domini.

Vnde excommunicatio, quæ in dicto cap. *Mulieres*. dicitur aut supponitur incurri ob mandatum percussione Clerici, non est ex vi dicti Canonis, *Si quis suadente*. in quo tantum fertur excommunicatio contra percipientes Clericum, sed ex vi dicti cap. *Mulieres*, in quo excommunicatio illa lata in eo canone extenditur ad mandantes, ad quam extensionem faciendam motus fuit Pontifex ratione pro aduersariis adducta; quia scilicet ille dicitur committere delictum, cuius auctoritate & mandato committitur, quæ ratio non sufficeret ad illam excommunicationem incurrendam, nisi Pontifex ea motus faceret dictam extensionem: sicut etiam in c. *Quante*. 47. de Sententia excommunic. extenditur excommunicatio dicti canonis ad non impediens percussione Clerici, cum possint, ad quam extensionem mouetur Pontifex, quia illi consentiunt (& consequenter etiam extenditur ad consulentes, & auxilium præbentes, quia etiam consentiunt) consentientes autem pari pœna plectendi sunt ac facientes. Quæ ratio non sufficeret ad illam excommunicationem incurrendam, nisi etiam ea motus Pontifex talem extensionem faceret.

Aegidius tamen excipit casum, nempe quando lex esset ferè frustratoria, si non comprehenderet mandantes, vt esset lex prohibens sepelire excommunicatum defunctum, si sola persona, quæ suis manibus sepelit, incurrat excommunicationem, & non id mandantes. Id tamen absque sufficienti fundamento excipit, vt in eo casu non habeat locum nostra doctrina supradicta, ob quam in c. *Si ciuitas*. 17. de Sententia excommunicationis, in 6. necessarium fuit, vt interdictum, quo ciuitas interdicatur, etiam comprehenderet suburbia, quod Pontifex illud extenderet ad suburbia, quamuis esset ferè frustratorium si illa non comprehenderet.

DIFFICULTAS XV.

Utrum quando Censura extenditur ad mandantes & consulentes, eam incurrant, si ante opus secutum reuocent mandatum aut consilium.

Difficultas hæc tantum habet locum, & procedit de censura lata ob opus, & exten-

sa ad mandatum & consilium; lata principaliter ob opus tantum, & quæ ob id non incurritur ante opus secutum.

Conueniunt Doctores, reuocationem, seu rescissionem à mandato vel consilio, peruenientem ad notitiam mandatarij vel consulti, qua mandatum vel consilium desinit mouere, seu esse efficax (quod semper efficit reuocatio mandati nota mandatario, & non semper reuocatio consilij, quamuis nota consulto) impedire incursum censuræ; quia tunc nec mandans nec consulens est causa operis, ob quod solum principaliter lata est censura.

66 Est tamen difficultas, an quando mandatum aut consilium post reuocationem seu pœnitentiam mansit efficax, seu mouens, vel quia reuocatio non peruenit ad notitiam, vel aliter, tunc reuocatio seu pœnitentia impediatur incursum censuræ; & non procedit, quando reuocatio seu pœnitentia non est efficax quantum est ex se, id est, quando non est talis, vt mandans aut consulens, quantum in se est, pro temporis opportunitate non curet impedire efficaciam, seu motionem, seu influxum sui mandati aut consilij, si commodè potest notificando reuocationem, & si necessarium sit, aliter impediendo ne eueniat opus: quia quando reuocatio non est sic efficax, non impedit incursum censuræ; quia tunc mandans aut consulens non tantum est causa moralis operis, sed etiam permanet inobediens, saltem habitualiter, superiori prohibenti mandatum aut consilium; quia non retractat illud efficaciter quantum est ex se: sed procedit difficultas, quando reuocatio seu pœnitentia est efficax quantum est ex se, & tamen non impedit influxum mandati aut consilij in opus, quia mandans aut consulens nequit, saltem commodè, quamuis id procurauerit, an scilicet tunc reuocatio habita ante incursum censuræ illum impediatur.

Aegidius. Circa hanc ergo difficultatem *Aegidius* disp. 14. dub. 1. §. & plures alij partem negatiuam tuentur; quia etiam tunc mandans aut consulens verè fuit contumax seu inobediens Ecclesiæ, quæ prohibuit mandatum aut consilium, & sub censura lata, & ex mandato aut consilio verè fuit factum opus.

Innocent. Tabiena. Auila. Innocentius verò in cap. *Mulieres*. 6. de Sententia excommunicationis, *Tabiena* v. *Excommunicatio*. 5. casu 1. num. 35. & *Auila* part. 2. disp. 3. dub. 7. partem affirmatiuam tradunt, & merito: quia per dictam reuocationem seu rescissionem ex se efficacem, cessat, imò destruitur inobediencia habitualiter perseuerans. Ecclesia autem, supposita institutione censurarum, vel non potest validè, vel non intendit ligare censurâ eum, qui ante incursum iam non est inobediens adhuc habitualiter, sed pœnitens efficaciter, sicut etiam debet absolueri à censura incursum eum, quem efficaciter, quantum est ex se, pœnitet inobedienciæ factæ.

68 Et ob hanc rationem censura, quando Iure aliquo aut præcepto fertur contra scribentes ad aliquas personas, v. g. ad Moniales, non incurritur, quando, antequam epistola perueniat ad personam ad quam mittitur, scribens respicit modo dicto; quia hæc censura non incurritur antequam scriptura perueniat ad personam, & dicta inobediencia cessat antequam perueniat, & incursum sit censura. Vnde qui scribit ad excommuni-

catum, si, antequam scriptura perueniat ad excommunicatum, ita respicit, vt, si commodè posset, impediret peruentum scripturæ, non incurrit excommunicationem minorem Iure latam ob communicationem cum excommunicato; & qui propinat venenum Clerico, si ante mortem Clerici omnino efficaciter respiscat, non incurrit excommunicationem latam in can. *Si quis suadente diabolo*.

Et ob eandem dictam rationem credimus, eum quem, antequam Iudex ferat censuram pro transgressione sui præcepti, monitione sufficiente præmissa, pœnitet efficaciter inobedienciæ factæ, ita vt si post pœnitentiam possit, obediat (v. g. soluat creditori) & si non possit obedire, sit obedire paratus, non incurtere censuram, quamuis latam à Iudice contra eum, siue absentem siue præsentem.

69 Obseruandum tamen est, dictam reuocationem, seu pœnitentiam consilij aut mandati, aut inchoationis operis, non impedire obligationem satisfaciendi damno illato medio consilio aut mandato, aut media inchoatione operis, verè influente in damnum illud: nec impedire irregularitatem annexam ei consilio aut mandato, aut operi cuius facta fuit inchoatio (& idem est de quacumque alia pœna aut pœnalitate, quæ non sit censura) quia ex vna parte præcessit causa sufficiens ad incurrendam irregularitatem, nempe delictum semel commissum medio consilio aut mandato, aut media inchoatione illius; & ex altera irregularitas, cum non sit censura, non requirit perseuerantiam inobedienciæ vsque ad incursum illius.

DIFFICULTAS XVI.

Vtrum Censura ferri possit pro peccatis futuris.

70 **C**ensura fertur pro peccatis futuris, quando connectitur Iuri aut præcepto, quo præcipitur vt in posterum fiat aliquid, aut quo prohibetur ne in posterum fiat aliquid sub hac aut illa censura ipso facto incurrenda, quod est ferri pro peccatis futuris, sub conditione, si fiant, siue subintellecta, quando sic fertur, *qui furatus fuerit sit excommunicatus*; siue expressa, vt quando dicitur, *si quis furatus fuerit sit excommunicatus*.

Hoc ergo supposito, conueniunt Primò Doctores, censuram validè & licitè ferri Iure seu lege, aut quod idem est, validè & licitè annexi Iuri seu legi pro peccatis futuris, quod non paucis canonibus & statutis Ecclesiasticis factum est, & merito, quia latio censuræ medio Iure pro peccatis futuris nullo Iure cauetur.

71 Conueniunt Secundò, censuram posse validè ferri ab homine, seu à Iudice, tam generaliter quam specialiter pro peccatis futuris, quia id nullo Iure irritatur.

Est tamen difficultas, An possit licitè ferri ab homine seu Iudice pro peccatis futuris.

Nonnulli Canonistæ docent, non posse licitè ferri, qui ducuntur c. *Romana*. 5. de Sentent. excommunicat. in 6. vbi Innocentius IV. ait: *Caveant ne sententias excommunicationis, siue specialiter siue generaliter, pro culpis futuris proferre presument.* vbi verbum *caveant* videtur prohibitionis.

Couarruias tamen 1. par. §. 10. Vasquez de *Conarr. Vasquez* Excommunic. dub. 12. & Suarez disp. 3. lect. 4. & *Suarez* com.

72 **Trident.** communiter Doctores docent, id posse licite fieri, quod Iudices regulariter faciunt. Et in cap. *A nobis*. 21. de Sententia excommunic. & in Trident. sess. 25. cap. 3. de Reformatione, supponitur licite fieri: imò etiam in dicto cap. *Romana*, in quo verbum illud *caueant*, quo prohibendum erat, si in eo fuisset prohibitum, aut non continet prohibitionem, sed simplicem admonitionem ne id fiat, aut si continet prohibitionem, id non prohibetur simpliciter & absolute, sed tantum quando non est rationabilis causa ad id: quia in eo capite tantum cauetur, ne feratur censura à Iudicibus pro peccatis futuris omnino (nempe, *qui tale fecerit sit excommunicatus*.) nisi quando peccatum seu culpa præcedit, id est, nisi quando peccata similia ei, ob quod vitandum fertur censura, fuerint commissa, & ne feratur pro peccatis iam commissis exigentibus satisfactionem, ut fiat satisfactio; nempe, *Qui tale furtum fecit, sit excommunicatus, nisi intra tale tempus satisfecerit*, nisi quando mora præcessit, id est, nisi debita satisfactio iam sit in mora, aut nisi pro quolibet modo ex his duobus ferendi censuras sit alia rationabilis causa, præter assignatam pro quolibet, ut attentè legenti constabit.

DIFFICULTAS XVII.

Vtrum committens peccatum, cui annexa est Censura, committat duplex peccatum.

73 **Henriquez.** Henriquez lib. 5. de Sacramen. cap. 7. docet, committentem peccatum cui annexa est censure, committere duplex peccatum; alterum contra eam virtutem, contra quam aliàs est, seclusa censura; alterum inobedientie, contra obedientiam: v. g. committentem furtum cui annexa est censura, duplex committere peccatum, alterum iniustitie, & alterum inobedientie.

74 **Corduba. Anila.** Corduba verò in Summa, questione 11. & Anila 2. parte, cap. 5. disputatione 1. dub. 11. docent, non committere nisi vnum peccatum contra eam virtutem contra quam aliàs est, seclusa censura, ut in exemplo furti, tantum committere peccatum iniustitie, & meritò; quia ex vna parte non est speciale aliquod præceptum non incurrendi censuram, & ex altera ad eam incurrendam non est necessarius actus inobedientie specialis, ortus ex affectu expresso non se subiiciendi superiori, quia sufficit actus inobedientie generalis contra præceptum superioris, ortus ex motivo vitæ aut delectabilis, vel ex alio quam non se subiiciendi superiori; obedientia autem generalis non est virtus distincta ab ea contra quam est actus ille (v. g. furti) ob quem incurritur censura.

DIFFICULTAS XVIII.

Vtrum Censura possit ferri absque præuia monitione canonica.

75 **S**upponimus, ad ferendam censuram medio Iure aut præcepto siue generali siue speciali pro peccatis seu transgressionibus futuris, sub conditione *si fiant*, siue expressa siue subintellecta, nullo Iure prærequiri aliam monitionem, quam lationem Iuris aut præcepti, & eorum promulgationem, eis annectendo censuram ipso fa-

cto incurrendam. Et satis congruenter nulla alia monitio Iure prærequiritur; quia ipsum Ius aut præceptum, cui censura annectitur, non tantum semel aut iterum, sed continuè admonet sub censura iam lata sub conditione dicta. Quòd autem ad ferendam censuram medio præcepto tam speciali quam generali (in quo est maior difficultas, quam medio Iure) nulla alia monitio, quam dicta prærequiratur, satis indicatur in cap. *Romana*. 5. de Sententia excommunicationis, in 6. in quo quamuis sermo sit de pronuntiatione excommunicationis ab homine, tam generaliter quam specialiter, & tam pro peccatis præteritis vel presentibus, quam pro futuris: nihilominus ad pronuntiantiam excommunicationem pro peccatis præteritis vel presentibus, quæ fertur ab homine, noua sententia post commissum peccatum prærequiritur, quòd præcesserit monitio canonica ante peccatum. Ad pronuntiationem verò excommunicationis, tam generaliter quam specialiter pro futuris, nulla sit mentio admonitionis distinctæ ab ipso præcepto cui excommunicatio annectitur: quod etiam indicatur in c. *Reprehensibilis*. 26. de Appellationibus, dum dicitur: *Vt nec Pralati proferant sententiam suspensionis vel excommunicationis, non præmissa canonica admonitione, nisi talis sit culpa, quæ ipso suo genere inducat pœnam suspensionis, vel excommunicationis*, id est, annexa sit Iuri aut præcepto ipso facto incurrenda. vbi supponitur, posse incurri suspensionem aut excommunicationem annexam Iuri aut præcepto, nulla canonica monitione præmissa.

Vnde praxis Iudicum, qui, dum censuras ferunt tam generaliter quam specialiter medio præcepto pro peccatis omnino aut aliquo modo futuris, adinonent addendo, *trina canonica monitione præmissa*, non est necessaria, quamuis sit optima.

Admonitio ergo canonica tantum prærequiritur, & præmittenda est, ut feratur censura ab homine, tam generaliter quam specialiter, media noua sententia, post peccatum iam omnino commissum: pro ipso est autem generaliter prærequisita, etiam quando censura fertur à Prælato spoliato suâ Ecclesiâ, ad defensionem sui iuris, ut contra nonnullos aduertunt Couarruias parte 1. §. 9. & Vasquez dub. 10. quia absque fundamento sit hæc exceptio, sicut etiam aliæ: prærequiritur autem pro ferenda excommunicatione à Iudice in dicto cap. *Romana*, & in cap. *Sacro*. 48. de Sententia excommunicationis; & pro excommunicatione & suspensione in dicto cap. *Reprehensibilis*; vbi nomine suspensionis potest etiam intelligi interdictum, quod nomine suspensionis significatur cap. 1. de Sententia excommunicationis, in 6. & pro interdicto sub nomine interdicti supponitur in cap. *Ex parte*. 22. de Verborum significatione, & indicatur in cap. *Statutum*. 13. de Sententia excommunicat. in 6.

Et dicta canonica monitio etiam prærequiritur, ut Iudex ferat nouam censuram ob delictum iam factum, cui aliàs Iure aut præcepto est annexa similis censura ipso facto incurrenda, ut contra nonnullos aduertit Vasquez dub. 12. quia nulli, adhuc in cap. *Reprehensibilis*. 26. de Appellationibus, fit exceptio pro hoc casu; quia in eo cap. dum prohibetur proferri sententia censure non præcedente canonica monitione, addendo hanc

78 exceptionem, nempe nisi talis sit culpa, quæ ipso suo genere censuram inducat; (quo significat, in casu, in quo censura feratur ipso iure aut præcepto, non esse necessariam præuiam canonicam admonitionem, ut Iudex pronuntiet sententiam censuræ) non est sermo de noua numero censura pro eodem peccato, superaddita censuræ latæ ipso iure aut præcepto (quia ad quid noua numero censura?) sed tantum est sermo de sententia declaratiua censuræ ipso iure aut præcepto latæ, quia ad hanc declarationem faciendam non prærequiritur canonica admonitio. Vnde in eo cap. *proferre sententiam censuræ* sumitur, prout comprehendit sententiam declaratiuam & latiuam: nihilominus ad hanc sententiam declaratiuam prærequiritur citatio, ut constet de crimine, & absque ea aduertit Couarruias sententiam esse nullam.

Covarr.

79

Et non solum prærequiritur canonica monitio, ut Iudex ferat nouam numero censuram ob commissum peccatum, cui iure aut præcepto est annexa similis censura ipso facto incurrenda, sed etiam, quidquid dicat Auila 2. par. cap. 5. disp. 1. dub. 5. prærequiritur, ut ferat censuram, quam Ius comminatur, & non imponit ipso facto; quia tunc ea censura verè fertur ab homine, & pro peccato omnino præterito, & nullibi fit exceptio pro hoc casu. Et idem ob eandem rationem existimamus, ut Iudex ferat censuram, quam ipse aut alius comminatur, siue generaliter siue specialiter, dum in præcepto seu admonitione comminante non continetur trina monitio, vel vna pro tribus. Habet autem locum monitio ad ferendam censuram pro peccato iam omnino commissum, quando, antequam censura imponatur à Iudice, commissum est peccatum contra Ius aut præceptum aliquod, siue naturale siue positiuum, cui non est annexa censura saltem ipso facto; quia tunc, ut à Iudice pro peccato illo feratur censura, necessarium est, quod ante commissum peccatum præcesserit monitio (imò sub comminatione censuræ) siue generaliter siue specialiter facta.

80

Est tamen discrimen inter excommunicationem ex vna parte, & inter suspensionem & interdictum ex altera, quod excommunicatio non agnoscitur instituta, nisi ut censura (ac proinde semper ad eam prærequiritur monitio;) suspensio verò & interdictum, quamuis instituta sint ut censuræ, & consequenter etiam ad ea, ut sic, prærequiratur monitio, nihilominus etiam agnoscuntur ferri, & aliquando feruntur, non ut censuræ, sed in puram pœnam, seu vindictam, qua ratione suspensio fertur in c. *Tam literis*. 33. de Testibus & attestationibus, & in cap. *Cum in cunctis*. 7. de Electione; & interdictum fertur ea ratione in cap. 1. de Sentent. excommunicat. in 6. (quamuis sub nomine suspensionis) & in cap. *Sacro*. 48. de Sentent. excommunicat. quia in utroque fertur ad tempus determinatum, ante quod non exigit auferri, quamuis posita sit emendatio, & tunc ad eorum lationem non prærequiritur admonitio. Est tamen aduertendum, quod quando suspensio & interdictum feruntur ut censuræ, possunt licitè & validè ferri ob causam minùs grauem, ac quando feruntur in puram pœnam, quia quando feruntur ut censuræ, exigunt auferri, posita emendatione; non verò quando feruntur in puram pœnam; quia tunc tantum auferuntur mediâ gratiâ & dispensatione, quæ nequit licitè fieri, nisi existente rationabi-

81

li causa: ob quod contingere potest, quod suspensio, & interdictum ferantur licitè & validè, quando feruntur ut censuræ, quæ illicitè & inualidè ferrentur, si ferantur in puram pœnam; quia sic lata, essent pœna maior, seu excedens culpam; & lata ut censuræ, non excederent illam.

DIFFICULTAS XIX.

Qualis debeat esse monitio canonica prærequisita ad lationem censuræ à Iudice.

82 **C**anonica monitio, prærequisita ut Iudex ferat censuram, quæ facienda est ab ipso, in primis debet esse iussio, cuius nomine comprehenditur præceptum, tam negatiuum quàm affirmatiuum; quia iure canonico prærequiritur monitio, ut censura non feratur nisi contra inobedientes Ecclesiæ (imò ipsi censuram ferenti, aut eius antecessori) qui non erunt ei inobedientes, nisi monitio sit præceptiua. Secundò debet esse iuridica, id est, non priuatim facta, sed ordine Iuris, & nomine Iudicis, & ipsi reo, nisi malitiosè abscondatur: quia tunc sufficit, quod fiat in domo propria rei, vel in alio loco, vnde præsumatur quod ad eius notitiam perueniet, dummodò tandem perueniat, aliàs non erit inobediens ipsi Iudici. Tertio debet esse trina, vel vna pro tribus, pro arbitrio Iudicis, & cum competentibus aliquorum dierum interuallis, nisi necessitas postulet temporum interualla moderari. Ita disponitur in cap. *Constitutionem*. 9. de Sentent. excommunicat. in 6. Quarto debet fieri sub comminatione censuræ, ut indicatur in cap. *Sacro*. 48. de Sententia excommunicationis: & confirmatur consuetudine Iudicum, qui numquam infligunt censuram, nisi præsupposita comminatione illius. Quintò, ut à Iudice feratur censura contra eos, qui communicant cum excommunicato in locutione, & in aliis ob quæ iure incurritur excommunicatio minor, prærequiritur canonica monitio, qua ille qui censura est ligandus, expressè & nominatim moneatur, ut pro excommunicatione maiori disponitur in c. *Constitutionem*, & pro omnibus censuris in c. *Statutum*. Tandem sexto, ut excommunicatio feratur ab homine, prærequiritur quod monitio fiat coram personis, quibus possit iuridicè probari, ut disponitur in cap. *Sacro*.

83

Monitio ergo, ut sit canonica completè & competens (id est, ut sit qualis prærequiritur iure canonico) pro ferenda quacumque censura requirit quinque priores condiciones, & pro ferenda excommunicatione etiam requirit sextam.

DIFFICULTAS XX.

Qualiter requiratur monitio canonica ad lationem Censuræ à Iudice.

84 **N**on omnes condiciones præquisitæ à iure in monitione præuia ad lationem censuræ à Iudice, de quibus diximus Difficultate præcedenti, eodem modo requiruntur: quia in primis, quod monitio sit præceptiua & iuridica, imò & quod vsque ad notitiam rei perueniat, requiritur ad valorem censuræ, ita ut aliter lata sit nulla iure naturali Ecclesiastico; quia aliter non fertur contra inobedientes Ecclesiæ, aut eius ministris, quod est contra eius institutionem, seu naturam, quam habet ex institutione Ecclesiæ. Quod verò sit trina,

vcl

85 vel vna pro tribus, & cum competentibus interuallis, etiam quādo necessitas non postulet ea moderari, non est necessarium ad valorem censuræ, sed tantum vt licitè fiat; quia ad valorem censuræ, absque fundamento requiritur plus quàm canonica monitio iuridica; quod est verum, quamuis censura feratur à Iudice delegato, & non solum quando in delegatione non exprimitur quòd feruetur trina monitio, vel vna pro tribus (in quo Doctores conueniunt) sed etiam quando id exprimitur, vt contra nonnullos aduertit Vasquez dub. 12. Et etiam quòd monitio fiat sub comminatione censuræ, non est necessarium ad valorem censuræ, sed tantum vt licitè feratur, vt contra Auilam & Aegidium videt Couarruias 1. p. §. 10. & Vasquez dub. 16. ad finem, dum docent, ignorantiam excommunicationis non excusare ab incurso illius; quia dicta comminatio nullo Iure requiritur ad valorem; quia non Iure purè Ecclesiastico, quia nullum tale extat; nec Iure naturali censuræ, supposita eius institutione (quod dici potest Ius naturale Ecclesiasticum,) quia Iure naturali, seu natura ipsius censuræ, sufficit quòd præsupponatur contumacia, seu inobedientia respectu Ecclesiæ, ad quam sufficit quòd fiat contra simplex Ius aut præceptum Ecclesiæ, seu ministrorum illius, absque comminatione censuræ.

Vasquez.

Covarr.
Vasquez.

86 Quòd verò eā moneatur nominatim qui ligādus est censurā ob communicationem cum excommunicato in locutione, & in aliis ob quæ Iure incurritur excommunicatio minor, prærequiritur ad valorem talis censuræ, vt exprimitur in dicto c. Constitutionem, & supponitur in dicto cap. Statutum. Imò in eis ad valorem illius etiam requiritur, quòd sit canonica, seu competens, & in c. Statuimus. 3. eodem tit. ad valorem prærequiritur canonica monitio: imò in ipso c. Constitutionem, ad valorem illius requiritur quòd sit ita canonica, vt non solum eā moneatur nominatim censurā ferendus (quod etiam supponitur in c. Statutum) sed etiam quòd alia requisita feruentur ritè. Vnde ad valorem cuiuscumq; censuræ ob communicationem cum excommunicato, in prædictis credimus requiri monitionem cum omnibus supradictis conditionibus requisitis; nempe ad valorem suspensionis & interdicti monitionem cum quinque prioribus conditionibus, & ad valorem excommunicationis etiam cum sexta, traditis Difficultate præcedenti.

D I F F I C U L T A S X X I.

Vtrum ignorantia facti impediatur
incurtionem Censuræ.

87 S Vpponimus, ignorantiam aliam esse facti, quæ videlicet quis ignorat factum suum, v.g. se occidere; aliam esse Iuris, siue naturalis, siue positivi, quæ videlicet quis ignorat, suum factum, v.g. homicidium, esse prohibitum; aliam esse ipsius censuræ annexæ facti prohibito: & quamlibet ignorantiam ex iis alteram esse inuincibilem, aut physicè; quia physicè vinci non potest, vt quando rei ignoratæ nulla est orta dubitatio, nec suspicio, quæ ignorantia absolutè dicitur inuincibilis; aut moraliter, quæ quamuis physicè vinci potest, quia rei ignoratæ orta est dubitatio, nequit tamen moraliter vinci, quia diligentia prudenti, seu probabili, qua maior fieri non obligat, attentà substantiâ & circumstantiis negotij, vinci non potest; & hæc di-

88 citur probabilis, seu moraliter inuincibilis; alteram esse vincibilem nullo modo inuincibilem, quæ non solum physicè, sed etiam moraliter vinci potest: & hanc ignorantiam vincibilem posse esse culpabilem, aut mortaliter, quando videlicet est rei grauis, & est plenè voluntaria; aut tantum venialiter, quando videlicet est rei leuis, vel si rei grauis, non tamen est plenè voluntaria, quia scilicet dubitatio præcedens non fuit plenè considerata: & rursus ignorantiam vincibilem alteram esse supinam seu crassam, quæ videlicet non vincitur, quia ignorans ex tædio addiscendi non curat scire; & alteram esse affectatam, quæ non vincitur, quia ignorans directè ex fine aliquo, siue liberius viuendi, siue ex alio omittit requirere & scire.

Hoc ergo supposito, circa ignorantiam facti Doctores conueniunt Primò, ignorantiam facti inuincibilem, quamuis solum moraliter, impedire incurtionem censuræ, quia excusat ab omni culpa adhuc veniali; absque culpa autem saltem veniali, nequit censura incurri. Vnde quando quis in nemore occidit Clericum, existimans inuincibiliter, saltem moraliter, esse feram, non incurrit excommunicationem: quod est verum, vt contra nonnullos aduertunt Couarruias 1. p. §. 10. & Vasquez dub. 14. quamuis ignorans det operam rei aliàs illicitæ, v.g. illicitæ venationi; quia ex eo quòd ignorans det operam rei aliàs illicitæ, non desinit ignorare inuincibiliter factum suum ex tali ignorantia, autem tali ignorantia, quia factum sic ignoratum nequit esse voluntarium seu liberum, quia voluntarium est quod procedit à principio intrinseco cum cognitione.

Covarr.
Vasquez.

89 Et quod dictum est de ignorantia inuincibili facti, dicendum est de ignorantia inuincibili alicuius circumstantiæ, ex qua oritur illa culpa ob quam fertur censura, vt quando quis inuincibiliter ignorat, hominem, quem occidit, esse Clericum, ob rationem dictam, quia scilicet ea ignorantia, quamuis non excuset factum à culpa seu malitia iniustitiæ homicidij, excusat tamen à malitia sacrilegij homicidij Clerici, ob quam tantum, & non ob malitiam iniustitiæ lata est excommunicatio.

Addit Couarruias ignorantiam inuincibilem comitantem facti non impedire incursum censuræ, vt quando quis occidit Clericum, existimans inuincibiliter esse feram, habens tamen actualiter animum, quòd quamuis sciret esse Clericum, illum nihilominus occideret: id tamen falsum est, vt aduertit Vasquez vbi supra, & P. Auila 2. p. c. 5. disp. 5. dub. 6. quia tunc occisio Clerici non habet malitiam sacrilegij, quia circumstantia clericatus fuit inuincibiliter ignorata, quamuis ille animus habeat talem malitiam; quia dicta ignorantia non excusat animum à tali malitia: censura autem tantum est lata ob occisionem exteriorem sacrilegam, & non ob animum sacrilegum.

Covarr.

90

Et ob supradictam rationem omnimoda inaduertentia actualis facti, quamuis adsit scientia habitualis, impedit incurtionem censuræ: imò quando censura prærequirit culpam mortalem, excusat à tali censura defectus plenæ aduertentia, quia absq; plena aduertentia, non sit peccatum mortale.

Conueniunt Secundò Doctores, ignorantiam vincibilem facti, adhuc crassam seu supinam, non impedire incurtionem censuræ, quando est plenè voluntaria, quamuis operans non det operam rei illicitæ, quando censura fertur absolutè contra eos

qui

qui aliquid fecerint, non addita particula *scienter*, nec æquivalente; quia hæc ignorantia non excusat à culpa mortali, ob quam tantum incurritur censura, exceptis excommunicatione minori, & interdicto personali particulari puro, non reseruato lato à Iure vel generaliter ab homine, quæ etiam incuruntur ob tantum venialem.

91 Conueniunt Tertio Doctores, ignorantiam vincibilem facti ordinariè crassam seu supinam, impedire incurfionem censuræ, quando censura non fertur absolutè contra eos qui aliquid fecerint, sed cum addito particulæ *scienter*, contra eos videlicet qui aliquid scienter fecerint, quia dicta ignorantia non æquualet scientiæ, quæ requiritur ad incurfionem talis censuræ: quod etiam est verum (quidquid indicent Corduba & Couarruias) quamuis ignorans det aliàs operam rei illicitæ, quia ex eo, quod det operam rei aliàs illicitæ, non efficit scienter.

Est tamen difficultas, An ignorantia vincibilis facti impediat incurfionem censuræ, latæ contra eos qui scienter aliquid fecerint, quando est affectata, vel adeo crassa, & ex tanta negligentia, vt moraliter censeatur intentata seu affectata.

92 Sancius. Aegidius. Saneius lib. 9. disput. 32. & Aegidius disput. 13. dub. 11. docent non impedire, quia dicta ignorantia æquualet scientiæ seu dolo.

Vasquez. Siluester. Angelus. Tabiena. Vasquez verò dub. 15. Siluester v. *Culpa*. q. 11. Angelus & Tabiena v. *Dolus*. docent impedire, & merito: quia quod fit ex ignorantia, vel cum ea, quæcumque sit, non fit scienter seu cum dolo, quia verè fit ignoranter: & quamuis dicta ignorantia ferè æquualet scientiæ seu dolo, quoad incurendam culpam, non tamen quoad pœnam; quando hæc imponitur contra scienter seu ex dolo peccantes. Et ob eandem rationem excusat à censura lata contra eos qui aliquid facere præsumpserint, aut contra eos qui ausu temerario aliquid fecerint, quia pro eodem sumuntur; & idem est aliquid facere scienter seu ex dolo, & illud facere ausu temerario, & præsumere illud facere, imò & illud contemnere.

DIFFICULTAS XXII.

Vtrum ignorantia Iuris impediat incurfionem Censuræ.

93 Conueniunt Doctores, ignorantiam Iuris (cuius nomine etiam comprehenditur præceptum transitorium, tam generale quàm speciale) quo factum est prohibitum, quando inuincibilis est, quamuis tantum moraliter, impedire incurfionem censuræ; quia hæc non incurritur nisi ob culpam, à qua excusat dicta ignorantia: quia qui ignorat inuincibiliter, quamuis tantum moraliter, suum factum esse prohibitum Iure aliquo, siue naturali siue positiuo, non peccat. Et ob eandem rationem impedit inaduertentia omnimoda actualis ipsius Iuris, quamuis adsit scientia habitualis illius; quia scilicet excusat à culpa: imò quamuis adsit aduertentia actualis illius, si non sit plena, impedit incurfionem censuræ, quæ tantum incurritur ob culpam mortalem.

Dissentiunt tamen Doctores, an quando factum, cui annexa est censura, aliàs est prohibitum Iure naturali aut diuino, aut humano sæculari, ignorantia inuincibilis Iuris Ecclesiastici, prohibentis

tale factum sub censura ipso facto incurrenda, impediatur incurfionem censuræ.

Scotus in 4. dist. 6. q. 8. & Couarruias 1. p. §. 10. nu. 9. docent, non impedire, & deducitur ex Regula 13. de Regulis Iuris, in 6. dum dicitur: *Ignorantia facti excusat, non Iuris*. & ex cap. *Cum illorum*. 32. de Sententia excommunicationis, dum dicitur, eos, qui Iuris ignari Clericos percusserint, dispensatione indigere.

Vasquez verò dub. 16. Aegidius disp. 13. dub. 10. Suarez disp. 4. sect. 8. Auila 2. p. disp. 5. dub. 7. & communiter Doctores docent, impedire, & merito: quia ea ignorantia existente (& idem est in aduertentia actuali) non est contumacia respectu Ecclesiæ ob quam tantum incurritur censura, sicut ob eandem tantum fertur validè.

Illam autem Regula 13. tantum procedit in foro contentioso, in quo non præsumitur ignorantia Iuris, quamuis præsumatur facti, & in eo cap. *Cum illorum*. tantum est sermo de ignorantia vincibili, vt ex contextu deduci potest.

Addunt Suarez, Auila, & Aegidius, ignorantiam inuincibilem ipsius censuræ annexæ Iuri, impedire incurfionem illius, quamuis non sit ignorantia ipsius Iuris, seu prohibitionis (quod Aegidius etiam extendit ad inaduertentiam actualem censuræ) id tamen est falsum, vt aduertunt Couarruias & Vasquez; quia absque fundamento aliquo ad valorem censuræ requiritur contumacia respectu Ecclesiæ ferentis censuram, aut comminantis sub illa; quia absque dubio sufficit contumacia respectu Ecclesiæ simpliciter præcipientis seu prohibentis, vt diximus Difficult. XI.

95 Obseruandum tamen est, ex peculiari dispositione c. *Vt animarum*. 2. de Constitutionibus, in 6. nouiter facta à Bonifacio VIII. ignorantiam inuincibilem censuræ annexæ statutis perpetuis Ordinariorum impedire incurfionem illius; quo non leuiter probatur, ignorantiam inuincibilem censuræ eam non impedire, aliàs non fieret hæc exceptio nouiter à Pontifice.

96 Vnde ignorantia inuincibilis censuræ, latæ Iure communi Pontificio, non impedit incurfionem illius, quamuis impediatur ignorantia inuincibilis censuræ latæ Iure peculiari Pontificis vt Episcopi Romani pro eo Episcopatu, sicut & aliorum Ordinariorum: nec impedit ignorantia inuincibilis censuræ annexæ præcepto siue generali, siue speciali, & multò minùs ignorantia inuincibilis censuræ latæ à Iudice noua sententia facta post violationem præcepti Iudicis comminantis sub censura, quæ solet ferri in absentem. Et in hoc ultimo Doctores conueniunt; quia tunc quamuis adsit hæc ignorantia, censura fertur in contumacem respectu Ecclesiæ comminantis sub censura, quod in omni sententia sufficit ad valorem censuræ. Sed quamuis dictæ censuræ ignorantia incurfatur statim ligent, quoad omnes suos effectus etiam in prohibitione consistentes, nihilominus quando ignorantia incurfionis censuræ est inuincibilis, excusat à culpa, quæ esset, faciendo contra prohibitionem ipsius censuræ incurfatur, & consequenter à pœna aut pœnalitate tali culpæ annexa; non verò quando ignorantia est vincibilis. Vnde Clericus ignorans inuincibiliter se incurfisse censuram, non fit irregularis celebrando.

Id ergo quod docet Filiucius Tract. 11. cap. 8. quæst. 13. & à quo non multum discrepat Suarez disp.

94
Scotus.
Couarr.

Vasquez.
Aegidius.
Suarez.
Auila.

Suarez.
Auila.
Aegidius.

Couarr.
Vasquez.

95
Bonifac.
VIII.

96

Filiucius.
Suarez.

disp. 4. sect. 11. nempe hominem censurâ ligatum à Iudice, quamvis prudenter timentem, contra eum esse iam latam censuram à Iudice pro transgressione præcepti ipsius Iudicis comminantis sub censura, non teneri se gerere ut censurâ ligatum quoad effectus in prohibitione consistentes (etiam si teneatur quoad effectus in irritatione consistentes) quousque ei legitimè intimetur censura lata & incurta, quamvis non careat probabilitate, & possit tuta conscientia amplecti: nihilominus falsum esse existimamus, quia iste quando id prudenter timet, aut id non ignorat inuincibiliter, sed vincibiliter, temerariè se exponit periculo faciendi contra prohibitionem censuræ.

DIFFICULTAS XXIII.

Vtrum metus impediatur incurtionem Censuræ.

98 **C**onueniunt Doctores, metum leuem, quo videlicet timemus malum leue, non impedire incurtionem censuræ; quia non excusat à culpa ob quam incurritur censura, quamvis eam attenuet. Et de tali metu est sermo in cap. *Sacris*. 5. de Iis quæ vi metusve causâ fiunt, dum Pontifex ait, eum qui *communicat excommunicatis*, quamvis ob metum *communicet*, excommunicatione teneri; quia metus non excludit omnino culpam, quamvis eam attenuet, cum pro nullo metu debeat quis peccatum mortale *incurrere*. quati dicat, Si pro nullo metu, adhuc mortis, committendum est peccatum mortale non excusatum, quamvis attenuatum, non est communicandum excommunicatis (subintelligit, in crimine, aut in sacris, aut alio modo, quo peccatur mortaliter) quamvis iniiciatur metus leuis; quia metus leuis non excusat à peccato mortali, quod committitur in ea communicatione.

Est tamen difficultas, An metus grauis, quo videlicet timemus graue aliquod detrimentum, siue in vita, siue in fama, siue in diuitiis (qui dicitur cadens in virum constantem, quia quemuis, quamuis constantem, terret) impediatur incurtionem censuræ.

99 Circa quam conueniunt Doctores, metum grauem, quoties excusat opus cui annexa est censura à culpa prærequisita ad censuram illam incurrendam, excusare ab illa, quia, ut supponimus, ad eam incurrendam prærequisita est illa culpa. Vnde iuxta ea quæ diximus Difficult. XII. metus grauis excusans à peccato mortali inobedienciæ respectu Ecclesiæ, excusat ab excommunicatione maiori, & à suspensione, & ferè ab omni interdicto, excepto personali speciali puro non referuato, lato generaliter à Iure vel ab homine; & quoties excusat à peccato veniali inobedienciæ respectu Ecclesiæ, etiam excusat ab excommunicatione minori, & à dicto interdicto nuper excepto.

100 Sed an metus grauis excuset opus à peccato mortali inobedienciæ respectu Ecclesiæ, disputatur in Tractatu De legibus. Interim tamen existimamus, metum grauem non inuictum in contemptum legis, regulariter excusare à tali peccato, ac proinde etiam à censura, quando opus (sub quo etiam comprehenditur omisio) est tantum contra Ius aut præceptum Ecclesiasticum, qualis est omisio Missæ, imò etiam quando est contra Ius diuinum pure positium, qualis est omisio susceptionis aliquorum Sacramentorum. Addidimus,

regulariter excusare: quia non semper excusat, sed tantum quando impletio Iuris Ecclesiastici, aut etiam diuini, censetur minoris momenti seu utilitatis bono communi, quam indemnitas à graui malo quod imminet ex impletione illius; quod regulariter contingit (excepto raro aliquo casu) quia pro tunc Ius illud seu præceptum non obligat. At quando opus, cui est annexa censura, non tantum est contra Ius aut præceptum Ecclesiasticum vel diuinum, sed etiam contra Ius naturale, qualis est incestus, & quale est furtum quando prohibetur ab Ecclesia sub censura, tunc contra Ægidium dub. 12. existimamus, metum grauem non excusare à peccato mortali, non solum ut est contra Ius naturale, in quo etiam conuenit Ægidius, sed neque ab eo ut est contra Ius aut præceptum Ecclesiasticum, seu ut est inobediencia respectu Ecclesiæ; quia tunc etiam Ius aut præceptum Ecclesiasticum obligat, cum tantum obliget ad id ad quod aliàs quis est verè obligatus Iure naturali; quia tunc non exponit subditum alicui periculo, cui non sit aliàs expositus Iure naturali.

101 Ex dictis deducimus, eum qui incurrit censuram, posse efficere id quod alias per censuram prohibetur (si id per censuram non inuoluitur) quando ex ommissione ei imminet graue aliquod damnum; quia prohibitio censuræ est pure Ecclesiastica, & eius obseruatio non censetur maioris momenti, quam indemnitas à graui damno. Vnde qui secreto commisit delictum cui annexa est censura, potest, si aliàs sit in statu gratiæ, celebrare, etiam absque præua confessione, quoties id sit necessarium, ne cum ipsius infamia alij coniciant eum commisisse aliquod delictum, ob quod non audeat celebrare; ac proinde non fiet irregularis, quia irregularitas hæc non incurritur absque peccato mortali. Addidimus, si per censuram non inuoluitur; quia si inuoluitur, ut per excommunicationem maiorem inuoluitur absolutio Sacramentalis, non poterit id efficere; quia est contra Ius naturale virtutis religionis, inuoluitur absolute.

DIFFICULTAS XXIV.

Vtrum iniustitia Censuræ impediatur incurtionem illius.

102 **C**onueniunt Doctores, iniustitiam censuræ, ad valorem requisiti, ut ex defectu monitionis iuridicæ, impedire incurtionem censuræ, quia censura sic lata est nulla; iniustitiam verò censuræ prouenientem tantum ex defectu pronuntiationis censuræ in scriptis, non impedire incurtionem censuræ; quia verè valida est, ut in hoc casu supponitur in cap. 1. de Sententia excommunic. in 6. iniustitiam quoque, seu illicitudinem prouenientem ex malo sine Iudicis, multò minus impedire, quia etiam censura sic lata est verè valida.

Est tamen difficultas, An iniustitia censuræ, proueniens tantum ex defectu causæ, ut quando verè non est causâ (nempe peccatum) est tamen iuridicè & sufficienter probata, impediatur incurtionem censuræ: ita ut innocens, in quem lata est, non ligetur tali censura, & ei non teneatur obedire.

Durandus in 4. dist. 18. qu. 4. & Corduba lib. 1. qu. 43. absolute docent, censuram iniustam ex defectu causæ, iuridicè tamen probatâ, verè incurri

& obligare, etiam in conscientia, & quoad Deum, etiam in occulto; & deduci videtur ex can. *Sententia*. 11. quæst. 3. dum dicitur: *Sententia pastoris, siue iusta siue iniusta, timenda est.* qui desumptus est ex Gregorio Hom. 126. in Euangelia. & ratione probatur, quia censura prædicto modo iniuste lata, est iuridica, seu secundum ordinem iuris; ergo verè est valida, ac proinde ei est obediendum etiam in occulto.

Gregorius.

Sotus.
Aegidius.

Sotus verò in 4. dist. 22. quæst. 1. ar. 3. & Aegidius disp. 13. dub. 12. absolute docent, censuram dicto modo iniustam non incurri, nec in conscientia, & quoad Deum obligare; & merito: quia censura non fertur validè, nisi ob contumaciam seu inobedientiam respectu Ecclesiæ; quia tantum ad hanc reprimendam est instituta: ergo verè non incurritur, nisi à verè contumaci & inobediente, & non à tali probato, si verè non est talis. Et confirmatur, quia tunc sententia censuræ fundatur in præsumptione in casu particulari: ergo cum præsumptio sit falsa, sententia illa est nulla, & in conscientia non obligat.

104

Nihilominus qui sic iniuste sententiam censuræ patitur (vt Auctores vtriusque opinionis conveniunt) tenetur coram eis quibus sententia censuræ est nota, & innocentia ignota, se gerere vt censurâ innodatus, ratione scandali, ne eis videatur censuram contemnere; sed non tenetur ad id ratione obedientiæ, quia non tenetur immediate ratione censuræ, cum non sit valida; nec ratione alicuius prohibitionis à Iudice superadditæ ipsi censuræ, quia Iudex nullam ponit, quia nihil aliud facit quam ferre censuram. Sed quamvis ad id teneatur ratione scandali, imò & admittamus teneri ratione obedientiæ, non sit irregularis celebrando, non solum quando in occulto celebrat, sed etiam quando in publico & coram prædictis; quia quamvis teneatur abstinere, non tamen ex vi censuræ.

105

Canon ergo ille pro aduersariis adductus, in quo dicitur, *Sententia pastoris, quamvis iniusta, timenda*, intelligitur de sententia iniusta valida, quod timenda sit ob ipsam, & de iniusta nulla, quod timenda sit ob scandalum. Et ad rationem respondemus, quod quamvis sententia illa sit iuridica, quia tamen fundatur in præsumptione falsa in casu singulari, ideò verè est nulla, & non obligans.

Sed an Iudex possit censuram ferre, aut aliter punire probatum iuridicè nocentem, quem ipse priuatim nouit innocentem, & non potuit absque scandalo processum in causa impedire, dicemus Tractatu de Iudicio forensi seu contentioso.

DIFFICULTAS XXV.

*Utrum appellatio legitima impediatur
incurtionem Censuræ.*

106

Conueniunt Primò Doctores, appellationem legitimam, factam antequam Iudex absolute ferat censuram ipso facto ob peccatum iam factum, impedire incurtionem censuræ (nisi quando Iudici concessum est, vt non obstante appellatione procedat in causa) vt constat ex cap. *Ad presens*. 16. & ex c. *Pastoralis*. 53. de Appellationibus, & ex cap. *Licet*. 14. de Sententia excommunicationis, in 6. quia, vt dicitur in cap. *Pastoralis*, per appellationem eximitur quis, quoad eum articu-

lum in quo appellat, à potestate Iudicis, & eius potestas dormitat; & vt dicitur in cap. *Si à Iudice*. 10. de Appellationibus, in 6. suspenditur iurisdictionis illius: ergo latio censuræ post appellationem, vt pote à non Iudice, vel à Iudice suspensio, seu impedito & dormitante facta, est nulla, ac proinde non incurritur.

Et ob eandem rationem, vt optimè Couarru-
nias 1. p. §. 10. Henriquez lib. 13. cap. 16. Alterius lib. 3. disp. 5. cap. 1. & communiter Doctores, appellatio legitima (id est ex rationabili causa) post lationem censuræ sub conditione futuræ transgressionis, sine expressa siue tacita, vt quando dicitur, *Solve*, vel, *si non solueris intra tres dies*, facta seu interposita ante impletionem conditionis, id est ante factam transgressionem, impedit illius incurtionem, vt significatur in ca. *Præterea*. 40. de Appellationibus; quia scilicet latio censuræ sub conditione à puncto appellationis facta sistit, & perfici nequit; quia ab eo puncto Iudex, à quo lata fuit, est suspensus & impeditus, & eius subditus appellans eximitur ab eo quoad eum articulum.

Covarr.
Henrig.
Alterius.

107

Observandum est Primò, vt contra nonnullos docent Couarruuias vbi supra, & Suarez disp. 3. sect. 6. & indicatur in dicto cap. *Præterea*, quod in sententiis censurarum sub conditione latis (quales sunt omnes quæ feruntur pro peccatis futuris) fieri potest appellatio etiam post decem dies à puncto sententiæ latæ; quia sententia, seu latio censuræ sub conditione non est perfecta, nec absolute & simpliciter sententia, quousque impleatur conditio; ac proinde quousque impleatur conditio, non comprehenditur sub Iure præscribente decem dies ad appellandum intra eos à sententia; quia terminus iste præscribitur pro appellatione à sententia absolute & simpliciter tali, ac proinde à sententia perfecta & absoluta. Et ob hanc rationem credimus, post dies decem posse appellari à sententiis conditionalibus quatenuscumque aliarum pœnarum ante impletionem conditionis earum.

Covarr.
Suarez.

108

Observandum est Secundò, vt contra Siluestrum v. *Excommunicatio*. 10. q. 2. aduertunt Couarruuias n. 6. Auila 2. p. c. 5. d. 5. dub. 12. appellatio factam ante sententiam censuræ absolutam, siue absolutam à sui principio, siue postea factam absolutam impletionem conditionis, impedire incurtionem censuræ, quamvis appellatio intra tempus præscriptum ad sequendam appellationem omnino differatur, aut ei renuntietur, quod exprimitur in c. *Licet*. 14. de Sententia excomm. in 6. quia appellatio, facta ante sententiam absolutam, impedit ne perficiatur, si lata fuit sub conditione ante appellationem, & omnino impedit valorem sententiæ, si fuit omnino seu absolute lata post appellationem ob defectum iurisdictionis expeditæ in Iudice; quia iurisdictionis appellatio impeditur, suspenditur seu dormitat; ac proinde quamvis postea appellatio deferatur, sententia nequit perfici, si fuit lata sub conditione, & nequit validè ferri, si omnino feratur post appellationem; quod ob eandem rationem est verum, vt aduertit Alterius, in quibuscumque aliis sententiis, quando ante eas absolutas supponitur appellatio. Id autem quod in dicto cap. *Licet* significatur, nempe eum, qui est excommunicatus expressè & nominatim, & asserit se post legitimam appellationem fuisse excommunicatum, esse denuntiandum, si tempore præscripto ad prosequendam appellationem, non fuit eam prosecutus, est verum

Covarr.
Auila.

Alterius.

109

verum quoad præsumptionem in foro exteriori; quia si non inuenitur prosecutus appellationem, præsumitur vel non appellasse, vel non appellasse legitimè.

Addidimus, appellationem legitimam ante latam censuram eius incurfionem impedire, quia si non fuit legitima, si non admittatur à Iudice, non impedit incurfionem censuræ; quia ea appellatio fuit nulla: nihilominus si admittatur, impedit; quia quamuis fuerit nulla, & ab ipsa appellatione non eximatur, eximitur tamen ab ipso Iudice sua voluntate illum eximente.

110 Conueniunt Secundò Doctores, appellationem factam post sententiam censuræ latam, & absolutam, siue à principio, siue impletionem conditionis, quamuis factam intra ipsos decem dies Iure præscriptos, non impedire incurfionem censuræ (quamuis deuoluat causam ad Iudicem superiorem ad quem appellatur) vt constat ex *c. Is cui. 20. de Sententia excommunicat. in 6. & supponitur in cap. Prætereà. 40. & in c. Pastoralis. 53. de Appellationibus, & in c. Ad reprimendam. 8. de Officio Iudicis ordinarij; quia censura lata secum trahit executionem, vt de excommunicatione dicitur in eo cap. Pastoralis; ac proinde censura semel lata incurritur, seu executioni mandatur, & consequenter appellatio facta post latam sententiam censuræ, & absolutam, nequit eam impedire; imò nequit impedire denuntiationem censuræ iam latæ, & incurfæ, vt definitur in cap. Pastoralis. Et meritò: quia denuntiatio est quid accessorium censuræ, ac proinde eam sequitur. Excipimus tamen suspensionem à beneficio, & ab aliis distinctis ab officio, & ab ingressu Ecclesiæ, quæ per sequentem appellationem suspenditur, vt indicatur in dicto *c. Is cui*, dum dicitur, suspensionem ab officio, & ab ingressu Ecclesiæ, non impediri per sequentem appellationem, & id tacetur de suspensione à beneficio, & ab aliis.*

111 *Anila.* Obseruandum est, vt optimè Auila 2. part. c. 5. disp. 5. dub. 11. appellationem à sententia censuræ declaratoria iam facta, suspendere talem sententiam; quia sententia declaratoria non secum trahit executionem.

Id autem, quod dictum est de appellatione, dicendum etiam est de reculatione Iudicis ferentis censuram, quia eadem est ratio.

DIFFICULTAS XXVI.

Vtrum consensus partis impediatur incurfionem Censuræ sub conditione lata.

112 **S**upponimus (in quo nequit esse dubium) consensum partis, in cuius fauorem lata est censura sub conditione, absolute præstitum ante impletionem conditionis, & antequam incurratur, eius incurfionem omnino impedire absque consensu Iudicis; v. g. consensum creditoris, ad cuius instantiam lata est excommunicatio contra debitorem, si non soluat intra tres dies, omnino impedire incurfionem excommunicationis absque consensu Iu-

dicis, si intra eos tres dies omnino remittat debitum.

Est tamen difficultas, An consensus partis prorogantis terminum præfixum à Iudice impediatur ad tempus, seu suspendat incurfionem censuræ ultra terminum à Iudice præfixum, absque nouo consensu Iudicis.

Nauarrus c. 27. nu. 15. Siluester & Hugolinus ^{Nauarrus. Siluester. Hugolinus.} docent, consensum partis absque consensu Iudicis non sufficere ad suspensionem censuræ, sed transacto termino statim incurri; quia sicut ferre censuram est actus iurisdictionis, ita etiam eam differre, seu ad tempus suspendere, ergo consensus partis absque consensu Iudicis non sufficit.

Angelus v. *Excommunicatio. 1. n. 20.* Henriquez ¹¹³ lib. 13. c. 2. & Suarez disp. 3. sect. 6. docent, consensum partis prorogantis terminum absque consensu Iudicis sufficere ad suspendendam incurfionem censuræ ultra terminum à Iudice præfixum, & meritò: quia censura non incurritur, nisi ob contumaciam, quæ non reperitur quando pars consentit, quòd non fiat v. g. solutio intra terminum à Iudice præfixum, sed contenta est quòd fiat intra terminum ab ipsa parte prorogatum; quia intra terminum prorogatum non peccat non soluendo, quòd solum præcipit Iudex, & sub censura: consensus ergo partis prorogantis terminum, sufficit ad suspendendam incurfionem censuræ, quòd efficit pars non directè & potestatiuè (quòd solum potest Iudex efficere) sed tantum indirectè, auferendo materiam contumaciæ seu inobedientiæ, quòd efficit pars, differendo obligationem naturalem, quasi in actu secundo sui debitoris, cui Iudex præcipit satisfieri à debitore.

Addimus, vt contra Angelum, Siluestrum, Nauarrum & Henriquez docet Suarez, elapso termino à parte ipsa prorogato, incurri censuram absque nouo consensu Iudicis ex vi præcepti à principio facti, & lationis censuræ ei annexæ; quia Iudex, qui præfixit terminum (v. g. tres dies) vt intra illum fiat aliquid, v. g. solutio, non præfixit illum ad finiendum intra illum suum præceptum, & lationem censuræ ei annexæ, sed tantum ad finiendam permissionem aut licentiam differendi impletionem sui præcepti. sensus enim præcepti Iudicis est: *Præcipimus tibi, vt intra tantum terminum (v. g. intra tres dies) soluas sub poena censura, ita vt si intra illum solueris, quamuis in fine, non violes præceptum meum, nec incurras censuram; bene tamen si ultra illos distuleris solutionem.* Præceptum ergo ¹¹⁴ Iudicis, cui annexa est latio censuræ, etiam perueerat post terminum ab ipso præfixum, & etiam post terminum à parte prorogatum; ac proinde ex vi illius, absq; nouo consensu ipsius Iudicis, incurritur censura; non quia pars differat præceptum & lationem censuræ, sed quia differt seu suspendit obligationem in actu secundo naturalem, v. g. soluendi, & consequenter etiam præcepti Iudicis non directè & potestatiuè, sed indirectè dilatione dictæ obligationis naturalis, cui Iudex præcipit satisfieri à debitore. ¹¹⁵

TRACTATUS DE EXCOMMUNICACIONE.

DISPUTATIO I.

De natura, institutione, & diuisione Excommunicationis
in communi.

DIFFICULTAS I.

Quid sit Excommunicatio in communi.



Et à nomine ipso exordium sumendo, excommunicatio perinde dicitur, atque à *communione separatio*: excommunicatus enim dicitur, qui est extra communionem factus.

Ad rem ergo accedendo, excommunicatio in communi, prout comprehendit maiorem & minorem, est *censura, qua quis ab Ecclesiastica communione fidelium separatur.*

Est autem excommunicatio censura, vt constat ex cap. *Querenti.* 20. de Verborum significatione, quia est pœna medicinalis bono spirituali priuans, & continetur sub censura tamquam sub genere, in quo conuenit cum suspensione & interdicto, vt constat ex dicto cap. & ab eis differt per particulam à *communione*, quia suspensio & interdictum formaliter & præcisè non priuant societate cum aliquo, neque communionem in aliquo dono cum aliis; quia suspensio tantum priuat ministerio Ecclesiastico vt sic, vt scilicet est ministerium, seu vsus & exercitium potestatis Clericalis; & interdictum tantum priuat diuinis officiis, & rebus vt sic, quatenus scilicet possunt participari seu haberi. In dicta definitione additur *Ecclesiastica*, vt denotetur, excommunicationem tantum esse priuationem communionis quæ Ecclesiæ dispositioni subest, qualis est in conuictu communi, & in Sacramentis, & in suffragiis communibus, & non communionis qua iusti communicant & sociantur in gratia & charitate, quæ non subest dispositioni Ecclesiæ, sed tantum Deo & consensui iusti, neque communionis qua communicant in quodam fructu bonorum operum, qui ad alios iustos redundat ad impetrandum pro eis auxilia gratiæ, quia neque ista communio subest dispositioni Ecclesiæ, sicut neque societas in gratia & charitate ex qua oritur.

Quia ergo excommunicatio essentialiter & formaliter consistit in priuatione communionis fidelium, ideò non tam priuatio communionis fidelium, quam ipsum priuare hominem communionem, aut potius hominem esse priuatum, dicitur effectus (nempe formalis) excommunicationis, sicut hominem esse visu priuatum, est effectus formalis cæcitatæ, & sicut corpus esse album, est

effectus formalis albedinis: quòd si excommunicatio sumatur, vt solet, pro sententia aut iudicio, quo imponitur dicta priuatio, tunc hæc priuatio in rigore est effectus excommunicationis; quia est effectus dictæ sententiæ, aut iudicij tamquam efficientis, non physicè, sed moraliter.

DIFFICULTAS II.

A quo Excommunicatio fuerit instituta.

Quamuis non desint, qui existiment, excommunicationem institutam fuisse à Christo, illis verbis Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, Suarez tamen disput. 2. sect. 1. Filliucius Tract. 11. cap. 2. quæsitio 3. Filliucius & communiter Doctores docent, excommunicationem non fuisse à Christo Domino institutam & ordinatam, sed tantum ab Ecclesiâ, & meritò. Quia si aliquibus verbis Christus eam instituisset, maximè prædictis Matth. 18. eis autem illam non instituit; quia si eis eam instituisset, vnum ex duobus significasset, nempe vel quòd persona, significata Pronomine *tibi*, excommunicet inobedientem Ecclesiæ, quod non significat, tum quia verba id non sonant, sed tantum quòd cautè tractetur cum inobediente Ecclesiæ, sicut cautè tractatur cum ethnicis & publicanis; tum etiam quia persona Pronomine *tibi* significata non est Iudex qui posset excommunicare, sed confrater (qui non potest) vt patet ex illis antecedentibus verbis, *Dic Ecclesiæ* (id est Iudici) *quòd si Ecclesiam* (id est Iudicem) *non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*: vel significasset, quòd viret inobedientem Ecclesiæ, quasi eo ipso excommunicatum Iure ipsius Christi, quod non significat; aliàs Christus iure excommunicasset omnes futuros inobedientes Ecclesiæ, quod est absurdum. Prædictis ergo verbis Christus nihil specialiter præscripsit seu instituit, sed tantum generaliter monuit, quòd inobedientes & rebelles Ecclesiæ cautè tractentur, sicut ethnici & publicani; quo Ecclesiâ admonita excommunicationem instituit & præscripsit, & etiam suspensionem & interdictum.

Excommunicatio autem, vt nunc est in Ecclesiâ, instituta est à Summis Pontificibus; quia vt est instituta, est ritus quidam generalis & communis toti Ecclesiæ, qui tantum potest institui ab eis qui toti Ecclesiæ præsunt, & eam gubernant: & idem ob eandem rationem est de suspensione & interdicto.

DIFFICULTAS III.

Quotuplex sit Excommunicatio.

6 **O**Mittimus diuisionem excommunicationis, in varias excommunicationes pro varietate culparum ob quas feruntur, vt in excommunicationem latam ob hæresim, & in excommunicationem latam ob percussione Clerici, &c. quæ in cap. 1. de Exceptionibus, in 6. dicuntur species excommunicationis, non quia distinguuntur specie seu essentialiter, quia non distinguuntur, imò neque accidentaliter; sed quia culpæ, ob quas feruntur, distinguuntur specie: & eam omittimus, quia non tam est diuisio excommunicationis in excommunicationes, quàm in culpas ob quas excommunicatio fertur. Omittimus quoque pro nunc varias diuisiones excommunicationis desumptas ex varietate modorum quibus feruntur, primam, qua diuiditur in excommunicationem à Iure, & in excommunicationem ab homine; secundam, qua diuiditur in excommunicationem generaliter latam, & in excommunicationem specialiter; & tertiam, qua diuiditur in excommunicationem latam, & in excommunicationem ferendam; & eas omittimus pro nunc, quia potius sunt diuisiones excommunicationis in varios modos ferendi excommunicationem, quàm in excommunicationes: de eis tamen diximus Tractatu de Censuris in communi, Diffic. v.

7 **P**ropriè ergo & principaliter diuiditur excommunicatio in maiorem & minorem. Diuisio hæc ab omnibus recipitur, & exprimitur in cap. pænult. de Sententia excommunicationis, in quo vtraque excommunicatio definita videtur, dum dicitur, quòd excommunicatio minor separat à perceptione Sacramentorum, & maior à communionem fidelium, id est ab omni; quia locutio hæc, quamuis indefinita, cum doctrinalis sit, æquiuale

vniversalis. Vnde anathema (quod, prout est in vsu Ecclesiæ, est quædam maxima excommunicatio) non distinguitur essentialiter ab excommunicatione maiori, vt deducitur ex can. *Debent*. 11. quæst. 3. & ex can. *Certum*. 24 q. 3. & ex Tridentino sess. 24. cap. 9. de Reformatione; quia excommunicatio maior priuat omni Ecclesiastica communione qua anathema priuare potest. Imò non distinguitur ab illa accidentaliter, in eo videlicet, quòd quando anathema fertur ab homine, feratur adhibitis cærimoniis illis, de quibus in dicto can. *Debent*, & non excommunicatio maior, vt contra nonnullos aduertit Sayrus lib. 1. cap. 3. quia ex Iure nulla distinctio deduci potest, quia eadem cærimonia, quæ in dicto can. *Debent* instituitur pro pronuntiatione anathematis, etiam instituitur pro excommunicatione maiori, vt ex ipso textu constat; ac proinde voce *anathema* non aggrauatur pœna ipsa, exaggeratur tamen; & ideo sub ea voce ferri solet ob grauissimam culpam, sicut etiam quando supra anathema adduntur illæ particulæ Syriacæ *maran atha* (vt addit Paulus 1. ad Corinth. 16.) non aggrauatur anathema, sed exaggeratur; quia his particulis, significantibus *Dominus venit*, significatur, quòd sit excommunicatus vsque ad aduentum Domini, subintellige, si non emendetur.

9 **A**ddimus, quoties excommunicatio ab homine absolute fertur non addendo *maior*, neque *minor*, intelligitur maior, vt declarauit Gregorius IX. in dicto cap. pænult. de Sententia excommunicationis (& idem est, vt Doctores conueniunt, quando excommunicatio à Iure absolute fertur, dum aliud ex adiunctis non constat) & merito: quia excommunicatio maior est simpliciter & absolute excommunicatio, quia est totum includens non solum priuationem susceptionis Sacramentorum, in qua excommunicatio minor consistit, sed etiam priuationem aliorum.

DISPUTATIO II.

De effectibus quasi in communi Excommunicationis maioris.

DIFFICULTAS I.

Quibus generatim priuet Excommunicatio maior.

CONVENIUNT Doctores, excommunicationem maiorem generatim priuare omni communicatione fidelium (id est, baptizatorum) non solum communionem, quæ est commercium vnus cum alio, in omnibus, quæ his quinque vocibus sequenti versu contentis significantur,

Os, orare, vale, communicio, mensa negatur; sed etiam communionem, quæ est participatio seu communicatio in aliquo communi aliis & ipsi excommunicato, quia excommunicatio maior generaliter priuat omni communionem cum baptizatis, vt deducitur ex cap. pænult. de Sententia excommunicationis, & ex aliis Iuribus, & ex communi sensu Ecclesiæ; quod constabit ex sequentibus Disputationibus, in quibus seorsim agemus de

particularibus & proximis effectibus excommunicationis maioris.

2 **O**bseruandum est, excommunicationem maiorem ita priuare excommunicatum dicta communione vno & altero modo sumptâ, vt non solum ipsi excommunicato sit prohibitum aliis baptizatis communicare, sed etiam aliis sit prohibitum communicare illi. Vnde excommunicatus, in pœnam ipsius, non solum debet alios quoad communionem vitare, sed etiam quoad illam est vitandus ab aliis. Excommunicatio ergo priuat mutua communicatione excommunicati, videlicet cum fidelibus, & e contra fidelium cum ipso.

DIFFICULTAS II.

Quo Iure Excommunicatio maior priuet dicta mutua communicatione.

3 **Q**ui sentiunt, excommunicationem maiorem institutam esse à Christo, consequenter affirmare tenentur, dictam mutua communicationem prohibitam esse Iure diuino positiuo; quia, vt

Couarr. Vasquez.

dicebamus Disput. 1. Diffic. 1. ipsa excommunicatio est priuatio & prohibitio illius. Quod Couarruias in cap. *Alma mater*. 1. par. §. 1. & Vasquez dub. 7. & alij, qui non satis explicant, an excommunicatio maior sit instituta à Christo, limitant ad communicationem in diuinis; quia ea videtur à Christo prohibita dictis verbis, *Sic tibi sicut ethnicus & publicanus*, in his videlicet, quæ sunt propria Christianorum, qualia sunt diuina.

Suarez. Anila. Aegidius.

Suarez verò disp. 2. sect. 1. Auila 2. p. cap. 3. disput. 1. dub. 6. Aegidius disp. 14. dub. 2. & plures alij docent, dictam communicationem etiam in diuinis esse prohibitam Iure tantum humano Ecclesiastico, & merito: quia excommunicatio maior instituta tantum est ab Ecclesia, & non à Christo (quævis excitata à Christo dictis verbis Matth. 18.) vt diximus Disput. 1. Diffic. 1. ergo omnis dicta communicatio prohibita est tantum Iure humano; quia excommunicatio maior nihil aliud est formaliter, quam priuatio omnis dictæ communicationis, seu separatio ab omni dicta communicatione cum fidelibus. Quod non inefficaciter probatur ex eo, quod Ecclesia in Extrauag. *Ad euertenda scandala*, quam refert Antoninus 3. p. titul. 25. cap. 3. indulget & concedit fidelibus omnem communicationem, etiam in Sacramentis, & in aliis diuinis, cum excommunicato non denunciato, neq; notoriè excommunicato ob percussione Clerici; quia non posset, si tota aut aliqua Iure diuino esset prohibita.

Antonin.

Prædictis autem verbis Matth. 18. Christus nihil instituit, nec præcepit, etiam si consuluerit fugere à commercio inobedientium Ecclesiæ, sicut etiam illis verbis Pauli ad Tit. 3. *Hæreticum post unam & alteram correptionem deuota*, non continetur excommunicatio maior, instituta à Christo contra hæreticos, nec ab illo lata, neque ab ipso Apostolo, sed tantum consilium Apostoli, fugiendi commercium cum hæretico, aut excommunicandi illum, quia dicta verba Christi & Apostoli non plus sonant quam consilium.

Dicta autem mutua communicatio prohibita est tam excommunicato cum baptizatis, quam aliis baptizatis cum excommunicato, intuitu virtutis religionis, quia facta est in odium excommunicati, tamquam indigni conuictu & communicatione baptizatorum, qui sunt membra Ecclesiæ; ac proinde communicatio excommunicati cum baptizatis, & baptizatorum cum illo, etiam in ciuilibus est peccatum sacrilegij seu irreligiositatis.

DIFFICULTAS III.

Qui excommunicati sint necessariò vitandi.

Supponimus, quod olim Iure antiquo omnes excommunicati maiori excommunicatione vitabantur, seu non tolerabantur, publici etiam publice, & occulti occultè tantum, vt constat ex c. *Cum non ab homine*. 14. de Sententia excomm.

Martin. V.

Iam tamen Iure nouiori Extrauagantis *Ad euertenda scandala*, editæ vel à Concilio Constantiensi, vel à Martino V. viua voce traditæ, & consuetudine receptæ, tantum tenemur vitare duo genera excommunicatorum, nempe eos qui expressè & specialiter, id est nominatim, denunciati sunt; & eos qui notoriè inciderunt in sententiam excommunicationis latam pro sacrilega manuum iniectione in Clericum, quamuis denunciati non sint; non ob-

stante constitutione Concilij Basiliensis & Concilij Lateranensis sub Leo X. sess. 11. vbi decernitur, vitari non solum eos qui denunciati sunt, sed etiam quoscumque notoriè excommunicatos ex quacumque causa; non quia eorum Constitutio non fuerit legitima, sed quia vniuersali consuetudine Ecclesiæ abrogata est; & supra dicta, vt pote licentiosa, generali applausu recepta.

Circa priores excommunicatos, qui vitandi sunt & non tolerandi, certum est, nullum esse necessariò vitandum, quamuis certò constet incurrisse excommunicationem à Iure vel ab homine, siue specialiter siue generaliter latam, si non sit nominatim declaratus excommunicatus, vt constat ex ipsa Extrauaganti: imò vt contra Adrianum & Petrum Sorum docent Suarez disp. 6. sect. 2. & Vasquez de Excommuni. dub. 2. nullus, quamuis expressè & nominatim declaratus excommunicatus, est necessariò vitandus, nisi sit denunciatus seu publicatus vt excommunicatus, vel in templo, vel affigendo literas in publico loco, vel alio iuridico modo pro consuetudine regionis; quia consuetudo, quæ est optima legum interpret, sic declarat dictam Extrauagantem, & satis conformiter fini dictæ concessionis, qui fuit, subuenire conscientijs timoratis. Vnde ille cui data est censura excommunicationis in scripto contra aliquem vt eam denuntiet seu publicet, non tenetur illum vitare ante factam denuntiationem.

Addimus, vt contra Suarez & Couarruiam aduertit Nauarrus de Oratione, notabili 22. nù. 6. & 10. non sufficere ad vitandum excommunicatum, quod contra eum sit lata & denunciata sententia declaratoria criminis, cui est annexa excommunicatio, vt criminis hæresis; quia iste non est declaratus neque denunciatus excommunicatus, sed tantum hæreticus, & in Extrauagante requiritur, quod excommunicatio sit expressè & specialiter denunciata.

Addit Suarez quod, vt teneamur vitare excommunicatum iam denuntiatum, non sufficiat dubium, adhuc prudens, dictæ denuntiationis, sed quod requiratur notitia illius moraliter certa, & merito, vt ex intentione dictæ Extrauagantis conici potest.

Quod autem dictum est circa hos priores excommunicatos, nempe non esse necessariò vitandos quousque denunciati sint, etiam est verum de suspensis & de interdictis, non solum personis, sed etiam locis, vt ex ipsa Extrauagante constat.

Circa posteriores excommunicatos, nempe notoriè ob percussione Clerici, qui sunt vitandi, quamuis non sint denunciati nominatim, certum est, vt ex dicta Extrauagante constat, eos non esse necessariò vitandos, nisi ita notoriè constet eos in excommunicationem canonis *Si quis suadere diabolo*, incidisse, vt factum seu percussio non possit vlla tergiversatione celari, aut suffragio aliquo excusari, & non sufficiat publica infamia, neque confessio extraiudicialis percipientis, imò neque iudicialis, neque sententia Iudicis adhuc Ecclesiastici. Ad id ergo duo requiruntur, nempe & quod percussio Clerici sit notoria notorietate seu euidentiâ facti, & quod ea percussio non possit apparenti aliqua ratione excusari à percussione Clerici ex se sufficiente ad incursum excommunicationis ei annexæ; quia si appa renter indicio aliquo possit percussor se excusare, dicendo

se

se non sciuisse, aut non aduertisse percussum esse Clericum, aut illum percussisse in defensionem, aut alio modo quo percussio non censeatur mortaliter sacrilega (qualis requiritur ad incursum dictæ excommunicationis) non est necessariò vitandus. Sed vt percussio sit prædicto modo absolute notoria, requiritur quòd fiat coram multis testibus, in quorum numero non conueniunt Doctores: eorum tamen variis opinionibus omissis, id censemus absolute notorium, quòd fit coram maiori parte viciniae, aut Collegij, in quo aut in qua ad minus habitant decem; si tamen vicinia, aut Collegium sit plurimorum, non requiritur, quòd fiat coram maiori parte, sed coram aliquibus (sicut quando fit in oppido) ad arbitrium viri prudentis, attenda qualitate testium, tempore & loco; quia si fiat coram grauibus personis, & in foro, & diu, sufficet quòd fiat coram paucioribus, quam si fiat coram non grauibus, & in alio loco non tam publico, & noctu. Vnde, vt contra Suarez optimè Auila 2. part. cap. 6. disp. 2. dub. 4. non sufficit, quòd coram me solo quis percutiat Clericum, vt illum teneat vitare; quia quamuis id sit mihi notorium, non tamen notorium simpliciter & absolute, vt requiritur in Extrauagante, quia id requiritur absque vlla restrictione.

Addimus, quòd vt teneamur vitare dictum percussorem, non sufficit dubium, quamuis prudens, dictæ notorietatis, sed requiritur notitia moraliter certa, vt ex intentione Extrauagantis conici potest.

DIFFICULTAS IV.

Utrum possit communicari cum excommunicatis non necessariò vitandis, ac si non essent excommunicati.

11 **S**upponimus Primò, in quo Doctores conueniunt, ipsi excommunicato non necessariò vitando (qui dicitur toleratus) illicitum esse ex se ipso incipere, & se ingerere ad communicandum cum aliis, quia in Extrauagante *Ad vitanda scandala*, non est ipsi directè ablata prohibitio communicationis; quia, vt ex textu patet, nullus intenditur fieri fauor ipsi excommunicatis.

Supponimus Secundò, in quo etiam Doctores conueniunt, aliis fidelibus non esse illicitum, seu peccatum contra Ius Ecclesiasticum, seu contra prohibitionem Ecclesiæ, communicare cum excommunicato tolerato, adhuc in administratione & receptione Sacramentorum; vt patet ex Extrauagante ipsa, quia in ea dicitur: *Indulgemus, vt nemo deinceps a communione alicuius in Sacramentorum administratione, aut receptione, aut in aliis quibuscumque diuinis, vel extra, prætextu cuiuscumque, censura a Iure vel ab homine generaliter promulgata abstinere teneatur, nisi censura fuerit à Iudice publicata, & denunciata specialiter & expressè, &c.* Communicatio ergo cum excommunicato tolerato in quibuscumque diuinis, & extra, non est contra prohibitionem Ecclesiasticam censuræ, cum Ecclesia omnem communicationem indulgeat, & concedat. Ex quo fit, ob communicationem fidelium cum excommunicato tolerato, quamuis aliunde sit illicita, nullam adhuc incurri excommunicationem; quia hæc tantum incurritur ob transgressionem præcepti Ecclesiastici.

His ergo suppositis, existimamus, fideles posse licitè absque vlla prohibitione, adhuc diuina & naturali, communicare cum excommunicato tolerato, ac si non esset excommunicatus, non solum in humanis, etiam eum prouocando, in quo Doctores conuenire videntur, sed etiam in Sacramentis, & in quibuscumque aliis diuinis, vt contra non paucos docet Ledesma 1. p. 4. q. 5. ar. 6. dub. 13. & Ledesma. supponit Filiucius Tract. 13. cap. 3. & 4. & probabile iudicat Auila 2. par. cap. 6. disp. 8. dub. 1. & 2. *Filiucius. Auila.* quia Ecclesia in supradicta Extrauagante id concessit, & indulget fidelibus, dum dixit, *Nemo prætextu censura abstinere teneatur, &c.* Quia si, supposita excommunicatione, fideles indirectè, ne cooperentur cum excommunicato, aut ne illum inducant ad communicationem actiuam vel passiuam, tenerentur abstinere, non diceretur in Extrauagante ita simpliciter & absque vlla restrictione, neminem teneri abstinere à communicatione prætextu censuræ, id est, quamuis ille, cum quo communicat, sit censurà innodatus. Et confirmatur, quia si fideles non possent omnino liberè absque peccato aliquo cum excommunicato tolerato communicare, ac si non esset excommunicatus, non satis consultum fuisset scrupulis conscientiarum timoratarum, vt ibi consuli intenditur.

Quòd autem Ecclesia id potuerit concedere etiam quoad communicationem in Sacramentis, & in aliis diuinis, constat Primò, quia id fecit, quòd non faceret, si non posset. Secundò, quia excommunicatio semel incurta, vt pote quoad suam totam essentiam instituta ab Ecclesia, ab ea dependet quoad ipsius perseverantiam, & quoad ipsius suspensionem, & quoad omne id quòd Ecclesia disposuerit: potuit ergo ab Ecclesia suspendi quoad omnem priuationem communicationis cum excommunicato tolerato, ac si non esset excommunicatus etiam quoad priuationem communicationis ipsius cum fidelibus, quantum sit ipsis necessarium, vt absque peccato cooperationis possint communicare cum illo, & acquiescere communicationi ipsius cum ipsis, ac si non esset excommunicatus; quia quamuis ipsi excommunicato directè, & ratione ipsius, non sit ablata seu suspensa prohibitio communicationis cum fidelibus, vt significatur illis verbis Extrauagantis, *Per hoc tamen non intendimus excommunicatos in aliquo releuare*, indirectè tamen, & in fauorem fidelium, conceditur ipsi excommunicato, quòd possit licitè communicare cum fidelibus, quantum fuerit necessarium, vt ipsi possint omnino liberè & absque aliquo scrupulo peccati cooperationis, & incurfionis excommunicationis, sicut ante excommunicationem, tractare cum excommunicato, etiam cum prouocando, seu inducendo.

Ex quo fit, ipsi excommunicato tolerato esse illicitum, quando non prouocatur à fidelibus, ex se ipso incipere, & se ingerere ad communicationem, & eam ex se ipso continuare, quamuis fideles acquiescant, & satisfaciant communicationi illius; quia vt fideles ei licitè acquiescant, non est necessarium quòd excommunicatus ipse id possit licitè facere; quia acquiescere communicationi excommunicati non est ei cooperari, neque ex eo excommunicatus passiuè scandalizatur. Est quoque illicitum excommunicato tolerato, acquiescere communicationi fidelium adhuc eum prouocantium ad illam, quando ipse, antequam sit

reticis est & schismaticis ratione Baptismi;) sed quia tamquam administratrix suffragiorum communium id non vult, & prohibet potestate non ordinaria & generali superioris humani, quia hac non potest impedire & prohibere intentionem interiorum, qua oratio publica potest sufficienter dirigi, & Sacrificium, & indulgentia applicari pro aliquo, sed potestate speciali & extraordinaria, simili ei qua dispensat in voto etiam purè interiori, & qua quotannis obligat ad confessionem mortaliū purè interiorum, quamuis non sint alia peccata exteriora.

- 6 Vnde non solum non erit licitum Missas directè offerre pro reductione hæreticorum & schismaticorum, sed nec pro conuersione non baptizatorum, benè tamè pro dilataone Ecclesiæ; quamuis dilatanda sit eorum reductione & conuersione, quia tunc directè tantum offeruntur pro Ecclesia, etiam si indirectè redundet in bonum illorum. Quando ergo ordinatur Missas offerri pro reductione hæreticorum & schismaticorum, & pro conuersione non baptizatorum, sensus talis ordinationis est, vel quòd directè offerantur pro dilataone Ecclesiæ, vel pro ministris ei muneris incumbens, vt illud dignè & fructuosè exsequantur.

DIFFICULTAS III.

Utrum suffragia communia pro excommunicatis oblata eis profint.

- 7 **C**irca hanc difficultatem dicendum existimamus, quòd quamuis sit illicitum (imò & mortaliter, ob grauitatem materiæ) Sacrificium Missæ pro excommunicatis offerre; nihilominus, si de facto pro eis offeratur, eis proderit quoad totum valorem ipsi ex opere operato seu ex Christi institutione conuenientem; quia totus ille intentioni solius ministri commissus est, & ab eo solo dependet. Imò etiam proderit quoad valorem priuatum, quem ex opere operantis actio illa verbalis Sacerdotis habeat, si aliqua via excusetur à malitia, & fiat bona, vt verè potest, quia etiam iste valor pendet ex intentione solius ministri. Sed non proderit quoad valorem ex opere operantis, quem actio illa habet ex Ecclesia seu ex fidelibus, si aliquem habet; quia Sacrificium illud non offertur pro excommunicatis nomine Ecclesiæ, quamuis Sacerdos id intendat, quia Ecclesia non vult: quia quamuis Sacerdos ratione characteris sit minister à Christo datus Ecclesiæ, vt nomine ipsius Ecclesiæ oret & offerat, non tamen id efficit, nec potest Sacerdos quando Ecclesia non vult.

- 8 Et ob eandem rationem non proderit excommunicatis oratio nomine Ecclesiæ facta à Sacerdote quoad valorem Ecclesiæ correspondentem, si aliquis ei correspondet, etiam si Sacerdos intendat etiam pro eis orare nomine Ecclesiæ: neque valebit indulgentia pro eis, siue viuus siue iam defunctis applicata; quia quòd indulgentia valeat, dependet ex intentione superiorum Ecclesiæ qui nolunt eis prodesse.

DIFFICULTAS IV.

Utrum pro excommunicatis toleratis possint offerri suffragia communia.

Svarez disp. 9. sect. 2. Vasquez dub. 2. & An-
9
lia 2. part. cap. 6. disp. 9. dub. 6. docent, non pos-
se, sicut nec pro non toleratis; quia excommunica-
ti tolerati in Extrauag. *Ad euitanda scandala*, tantum tolerantur quoad communicationem cum illis, non quoad alia, vt constat ex illis verbis: *Nemo à communionem alicuius in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque diuinis, vel extra abstinere teneatur, vel aliquem vitare.* Sed orare publicè pro illis, & pro eis Sacrificium offerre, & eis indulgentias lucrari, non est communicare cum illis; aliàs sic orans, aut sacrificans, aut indulgentias lucrans, incurreret excommunicationem minorem: ergo quoad hæc suffragia non sunt tolerandi; quia id non est communicare cum illis, & quamuis esset, alio titulo sunt vitandi, seu non tolerandi quoad id; quia scilicet id cedit directè in fauorem illorum, & non tantum indirectè & per redundantiam, & in dicta Extrauagante non intenditur eis fauere.

Nauarrus verò cap. 27. num. 365. Henriquez
lib. 13. c. 11. & Aegidius disp. 14. dub. 6. docent,
10
posse pro eis offerri, & merito: quia in dicta Extrauagante fidelibus conceditur, vt non teneantur abstinere à communionem dictorum excommunicatorum: hæc autem communio absque fundamento limitatur ad communicationem cum ipsis per modum commercij, aut conuictus, quia communio in Extrauagante generaliter ponitur, & hoc nomine *communio* significatur generaliter omnis communicatio tam quæ est commercium cum aliquo, quàm communicatio suffragiorum communium alicui facta; quia hæc est communicatio, seu participatio cum illo in dictis suffragiis, cum sint communia; quia generali ratione sumitur communio in cap. penultimo de Sententia excommunicationis, dum definitur excommunicatio maior, quòd sit *à communionem fidelium separatio*. Si ergo in hoc cap. nomine *communio* etiam significatur communicatio in cõmunibus suffragiis, quamuis coniungatur nomini separationis, quæ est odiosa, non est mirum quòd in Extrauagante id etiã significetur, vbi coniungitur verbo *non abstinendi*, quod est fauorabile. In cap. quoq; *Anobis*. 18. de Sententia excommunicationis, significatur, orationes publicas pro aliquo offerre, esse ei communicare, vel cum eo communicare. Accedit, quòd non solum in communicatione cum excommunicatis per modum commercij, possunt esse scrupuli & scandala, quæ in Extrauagante intenduntur euitari, sed etiam in communicatione cum illis per modum suffragij communis: quia sicut se potest offerre scrupulus, an Petrus v. g. sit excommunicatus, & conlequenter an teneat abstinere à commercio cum illo; ita etiam an teneat abstinere ab orando publicè pro illo, & à celebrando pro eo, & à sepe-
11
liendo eum iam defunctum. Et idè indulgendo fidelibus, vt non teneantur abstinere ab offerendo suffragia pro dictis excommunicatis, sit fauor fidelibus, & id intenditur fieri in Extrauagante, non verò fauere ipsis excommunicatis, etiam si suffragia pro eis oblata cedant directè in bonum ex-

communicatorum. Ita tamen possunt pro eis offerri, ut non solum id licite fiat, sed etiam semel pro eis oblata, eis proficiant, etiam quoad valorem pendentem ex intentione Ecclesiae; quia eo ipso, quod Ecclesia concedit, & vult quod eis applicentur indulgentiae, & pro eis offeratur Sacrificium, & suo nomine oretur pro eis, non vult denegare valorem ab ipsa pendentem, etiam si moueatur ad dictam concessionem faciendam, ut fideles non agitentur scrupulis, & non ob bonum quod euenit ipsis excommunicatis.

- 12 Existimamus tamen, suffragia communia, ut Sacrificium, & orationes nomine Ecclesiae factae (& suo modo indulgentiae) quando solum generaliter & indefinite fiunt aut offeruntur pro fidelibus, non fieri nec offerri pro praedictis excommunicatis (ac proinde eis non profunt) nisi quando specialiter (sive expresse sive implicite) fiunt aut offeruntur pro illis; quia absque dubio minister Ecclesiae, quando id specialiter non intendit, vult conformari Ecclesiae excludenti illos a dictis suffragiis, etiam si indulgeat illi, ut si velit id faciat pro dictis excommunicatis. Quod si excommunicatus toleratus petat pro se offerri suffragia communia, peccat; quia petitione ipsa communicat per modum commercij cum eo a quo petit, non vero quia petit suffragia; quia alter a quo petit, ea potest pro eo offerre, ac proinde petendo tantum peccat venialiter, quia ea petitio tantum est mala, quia est communicatio in locutione.
- 13

DIFFICULTAS V.

Vtrum suffragia communia possint offerri pro excommunicatis contritis nondum absolutis ab Excommunicatione.

NAUARRUS.
COUARR.

NAUARRUS cap. 27. nu. 18. & COUARRUIAS I. p. §. 6. n. 8. docent posse; quia credi non potest, Ecclesiam, quae est pia mater, velle excludere a dictis suffragiis eum qui iam non est contumax, sed sibi per charitatem coniunctus.

14
SOTUS.
AEGIDIUS.

SOTUS vero in 4. dist. 22. qu. 1. art. 1. & AEGIDIUS disp. 14. nu. 49. docent (& merito) non posse pro eis offerri. Quod efficaciter deducitur ex cap. A nobis. 18. & ex cap. Sacris. 38. de Sententia excommunicationis, dum dicitur, pro huiusmodi excommunicatis iam defunctis non esse oblationes recipiendas, nec orationes faciendas ante impensam absolutionem: ergo multo minus pro il-

lis viuis. Ratio autem est, quia excommunicati, quamuis contriti, ac proinde iusti, vere manent excommunicati, quia excommunicatio non tollitur poenitentia & iustificatione, sed tantum absolutione: ergo vere sunt exclusi a suffragiis communibus; quia exclusio ab illis est effectus formalis, & principalissimus excommunicationis maioris. Unde pro dictis excommunicatis quando non sunt tolerati, non est licitum suffragia communia offerre: & quamuis offerantur, non proficiunt eis, quoad valorem ex intentione Ecclesiae pendentem, iuxta ea quae diximus Difficult. III.

Quod autem Ecclesia sit pia mater, non sufficit, ut sine absolutione cesset excommunicatio quoad effectum aliquem, praesertim principalissimum, nec id expedit, ut excommunicatio magis timeatur.

DIFFICULTAS VI.

Vtrum excommunicati sint priuati orationibus & suffragiis priuatis.

CONUENIUNT communiter Doctores, excommunicatos non esse priuatos suffragiis & orationibus priuatis, quia nullibi priuantur illis, ac proinde posse licite & fructuose pro illis priuatim orari, & alia suffragia priuata offerri.

Est tamen difficultas, An possit pro eis orari in Memento Missae.

Circa quod sunt qui id negent, existimantes Sacerdotem in Memento, sicut etiam in aliis partibus Missae, orare nomine Ecclesiae. Et sunt etiam qui id affirmant, existimantes Sacerdotem tunc orare nomine proprio & priuatim, & ad id conferri illi spatium illud.

Nos tamen existimamus quod possit: quia quamuis in Memento etiam teneatur nomine Ecclesiae orare, quia Memento est pars publici officij, tamen in eo non prohibetur etiam orare priuatim pro quibus ipse voluerit, ac proinde etiam pro excommunicatis, quamuis non toleratis: nihilominus etiam tunc sequentibus verbis post Memento, nempe, *pro quibus tibi offerimus*, tantum debent referri, siue explicitè siue in confuso, illi pro quibus in Memento nomine Ecclesiae orauit.

Addimus, celebrantem posse pro excommunicatis etiam non toleratis offerre actionem ipsam celebrandi, quoad valorem priuatum ipsi celebranti correspondentem, quia vere est priuatus, & particularis.



DISPUTATIO IV.

De secundo effectu Excommunicationis maioris.

DIFFICULTAS I.

Utrum Excommunicatio maior priuet participatione Sacramentorum.

1 **C**ONVENIUNT Doctores, excommunicationem maiorem priuare participatione Sacramentorum passiva & actiua, vt constat ex vltimo & traditione Ecclesiae: & deducitur ex cap. *Cum illorum*. 32. & ex c. *Si quem*. 59. de Sententia excommunicationis, & ex aliis Iuribus.

Excommunicatus ergo non potest licite suscipere nec administrare Sacramenta, sed peccat; quia haec priuatio ad minus est prohibitio, qua prohibetur suscipere & etiam administrare Sacramenta: peccat autem mortaliter suscipiendo, quia susceptio cuiuscumque Sacramenti est materia grauis; & etiam administrando, quando administratio est effectio, quia effectio Sacramenti est etiam grauis; non tamen pure administrando, vt quando administrat Eucharistiam antea factam, ac proinde pure administrando non fiet irregularis, quia irregularitas quae incurritur ob peccatum seu delictum, non incurritur nisi ob mortale.

Peccatum autem, quod sic excommunicatus committit suscipiendo aut administrando Sacramentum, est sacrilegium, contra reuerentiam Sacramentis debitam, quia priuatur participatione passiva & actiua Sacramentorum tamquam indignus: imò etiam in communicando in aliis rebus aliis ciuilibus peccat peccato sacrilegij contra religionem, quia tamquam indignus communicatione membrorum Ecclesiae, priuatur communicatione cum baptizatis.

Excusabitur autem excommunicatus à peccato suscipiendi aut administrandi Sacramentum ignorantia inuincibili, vel probabili, aut inaduertentia naturali, tam facti, id est quod sit excommunicatus, quam Iuris, id est quod excommunicatus sit prohibitus Sacramenta suscipere & administrare: & quando Sacramenta alias possunt valide suscipi aut conferri, vt possunt sex, excepta Pœnitentia, etiam excusatur à dicto peccato ob vitandum graue detrimentum, quod ex non suscipiendo aut non administrando imminet ipsi, vel in vita, vel in fama, vel in diuitiis, & ob non scandalizandum actiue; quod non efficit excommunicatus, vbi excommunicatio sit cognita. Addidimus, quando Sacramenta alias possunt valide suscipi aut conferri; quia si non possunt, vt Sacramentum Pœnitentiae, non excusabitur à peccato, quia illicitum est contra reuerentiam Sacramenti illud inualidè suscipere aut conferre.

Sed quamuis excommunicatus excommunicatione maiori peccet mortaliter suscipiendo Sacramentum, nullam tamen incurrit pœnam, neque pœnalitatem Ecclesiasticam, excepto excommunicato ob percussionem Clerici: quia suscipiens Ordines manet suspensus à susceptis, vt constat ex dicto cap. *Cum illorum*. de Sententia excommuni-

cationis. Clericus tamen excommunicatus, illicitè mortaliter administrans Sacramenta, fit irregularis, si ad administrandum requiritur Ordo sacer (siue requiratur ratione Sacramenti administrati, siue ratione solemnitate) vt deducitur ex cap. 1. de Sententia & re iudicata, & ex c. *Is qui*. 18. & ex c. *Is cui*. 20. de Sententia excommunicationis, in 6.

4 **O**bseruandum est, excommunicationem maiorem priuare participatione Sacramentorum actiua & passiva, non solum vt eis regulariter communicamus cum aliis fidelibus per modum commercij, de quo dicemus Disput. IX. sed etiam quatenus sunt quaedam bona communia Ecclesiae, ob quod excommunicatus nequit sibi administrare Eucharistiam, nec eam efficere, quamuis neutrum sit communicare cum alio per modum commercij; neque potest aliquem baptizare, quamuis hoc non sit communicare cum fidei seu baptizato.

DIFFICULTAS II.

Utrum excommunicatus possit licite administrare Sacramenta in casu necessitatis proximi.

5 **C**ONVENIUNT Doctores, extra extremam necessitatem proximi, id est existentis in periculo mortis, non posse excommunicatum licite administrare Sacramentum aliquod: & in ea, seu in eo periculo, si non sit alius minister, posse administrare Baptisma paruulo, quia tunc strictius obligat præceptum naturale subueniendi paruulo in eo periculo, quam prohibitio humana non administrandi illud: imò etiam posse illud administrare adulto existenti in tali periculo, ob eandem rationem.

Est tamen difficultas Primò, An possit licite administrare Sacramentum Pœnitentiae existenti in periculo mortis, quando non est alius minister qui id possit facere.

Medina Cod. de Confessione, & Couarruias *Medina*. 2. p. §. 6. n. 8. docent, non posse licite; quia excommunicatus caret iurisdictione, ac proinde non potest valide, & consequenter neque licite.

Suarez verò disp. 11. sect. 1. Auila 2. part. cap. 6. *Suarez*. disp. 3. dub. 3. & communiter Doctores docent *Auila*. posse, & merito: quia id satis significat Tridentinum sess. 14. cap. 7. dum ait, ex pietate Ecclesiae omnes Sacerdotes posse pro articulo mortis absolueri quoslibet pœnitentes; quia eo signo omnes, etiam Sacerdos excommunicatus comprehenditur, imò etiam haereticus; sicut sub signo *quoslibet*, quando dicitur *quoslibet pœnitentes*, etiam comprehenduntur excommunicati, adhuc non tolerati, imò & haeretici, ac proinde pro eo articulo ex voluntate Ecclesiae suspenditur excommunicatio quoad priuationem iurisdictionis, & quoad prohibitionem absoluendi.

6 **S**ecundò est difficultas, An excommunicatus possit licite existenti in periculo mortis reliqua Sacramenta administrare, quando non est alius minister qui id possit facere.

Circa

Sayrus.

Suarez.
Auila.

Circa hanc difficultatem, quamvis Sayrus lib. 2. cap. 2. & communiter Doctores doceant non posse licitè, nos tamen, ut optimè Suarez & Auila, existimamus posse ab eo licitè administrari Eucharistiam ei qui non potuit suscipere Sacramentum Pœnitentiæ, quia tunc strictius videtur præceptum naturale subueniendi proximo collatione Eucharistiæ, quia fortè damnabitur, si eam non recipiat: quia probabile est Eucharistiam conferre attrito primam gratiam iustificantem: & ob eandem rationem, quando minister est in simili periculo, & non est alius qui ei possit Eucharistiam ministrare, existimamus posse eam sibi ministrare, quando confidit firmiter se esse in statu gratiæ, & ei sit difficile conteri, quia scilicet strictius videtur præceptum naturale charitatis erga Deum non decedendi ex hac vita in inimicitia Dei, quam prohibitio suscipiendi & administrandi Eucharistiam.

7
Suarez.
Auila.

Et ob suprâ dictam rationem potest (ut docent Suarez & Auila) licitè conferre Extremam Vnctionem ei, qui neque Sacramentum Pœnitentiæ, neque Eucharistiæ potuit recipere; quia scilicet strictius videtur præceptum naturale subueniendi proximo (quia maximè probabile est, Extremam Vnctionem conferre primam gratiam iustificantem attrito, qui non existimat se esse in statu peccati mortalis) non tamen poterit (quidquid dicat Suarez) conferre Eucharistiam ei qui fuit legitime absolutus, quia tunc non vrget præceptum naturale subueniendi proximo, cum iam sit legitime absolutus, nec præceptum diuinum sumendi Eucharistiam, quia istud non obligat, quando aliàs est legitimum impedimentum conferendi Eucharistiam, qualis est excommunicatio maior.

Suarez.

8

Poterit quoque in eo periculo licitè contrahere matrimonium, non ut legitimet filios concubinæ, sed ut satisfaciat obligationi iustitiæ erga concubinam, si ei est obligatus, quia hæc obligatio iustitiæ strictior est, quam prohibitio administrandi & suscipiendi Sacramentum.

Tandem Parochum excommunicatum posse validè & licitè assistere matrimonio, & licentiam alteri Sacerdoti conferre ad assistendum pro ipso, diximus Tract. de Matrimonio Disp. v. Diffic. viii.

DIFFICULTAS III.

Vtrum Sacramenta suscepta ab excommunicato Excommunicatione maiori, sint valida.

9

Difficultas hæc non habet locum in Sacramento Baptismi, quia ante susceptionem Baptismi nullus potest esse excommunicatus; nec habet locum in Sacramento Eucharistiæ, quia istud supponitur factum ante ipsius susceptionem: sed tantum habet locum in aliis quinque Sacramentis, quæ fiunt quando suscipiuntur & administrantur.

Conueniunt Doctores, Sacramenta Confirmationis, Extremæ Vnctionis, & Ordinis, suscepta ab excommunicato, esse valida, ut supponitur in pluribus Iuribus: imò Ecclesia nequit ea annullare, quia ex Christi institutione necessariò perficiuntur, quando forma applicatur materiæ cum debita intentione ministri. Sacramentum quoque matrimonij ab excommunicato susceptum esse validum, conueniunt Doctores (excepto Martino

10

de Magistris) & deducitur ex c. *Significasti*. 6. de Eo qui duxit, & merito: quia Ecclesia quamvis potuerit, noluit illud inuvalidare; quia non potuit illud inuvalidare, nisi inuvalidando contractum matrimonij (cui, quando est validus, conuenit ex Christi institutione ratio Sacramenti) quem noluit inuvalidare, cum fiat validè inter Ethnicos, quibus comparare vult excommunicatum excommunicatione maiori, & eum non durius tractare quam illos.

Est tamen difficultas, An Sacramentum Pœnitentiæ susceptum ab excommunicato, sit validum, non obstante excommunicatione.

Est autem certum, quòd si suscipiens illud, non excusetur à peccato mortali, quod ex vi excommunicationis committit suscipiendo illud, sit nullum, quia id ad minus redundat in defectum materiæ essentialis, nempe doloris essentialiter requisiti; quia tunc nequit dolere de susceptione.

Punctum difficultatis est, An præcisè ex vi ipsius excommunicationis fiat nullum, quamvis excommunicatus nullum committat peccatum in susceptione illius, quia excusatur ab eo, aut ignorantia vel inaduertentiâ facti vel Iuris, aut quia minister obliuione aut malitia absque negligentia excommunicati, absoluit illum prius à peccatis quam ab excommunicatione.

Suarez disp. 10. sect. 3. & Egidius disput. 14. dub. 5. docent, ex vi excommunicationis non fieri nullum; quia in Iure non est verbum aliquod irritans Sacramenta suscepta ab excommunicato. Et confirmatur, quia excommunicatus eodem verbo excluditur à participatione passiva omnium Sacramentorum, & tamen reliqua suscipiuntur validè (etiam matrimonium, quod potest ab Ecclesia inuvalidari) ergo etiam Sacramentum Pœnitentiæ.

11
Suarez.
Egidius.

Siluester v. *Confessio*. 1. quæst. 3. & Vasquez de Excommunicatione dub. 4. docent, fieri nullum, & merito: quia Ecclesia priuat seu excludit excommunicatum à participatione positua Sacramentorum quantum potest; quia vult haberi & tractari tamquam Ethnicum & publicanum: ergo eum excludendo & priuando, non solum prohibet Sacramenti susceptionem, sed etiam irritat illud quod irritare potest, Ecclesia autem irritare potest Sacramentum Pœnitentiæ ab excommunicato susceptum, extrahendo excommunicatum à iurisdictione Confessarij, sic efficiendo illum inabsolubilem à Confessario. Ex quo deducimus, Sacramentum Pœnitentiæ illicitè suscipi ab excommunicato, quamvis suscipiatur ob vitandum grauissimum damnum etiam in vita, quia inuvalidè suscipitur.

12

Addimus, Sacramentum Pœnitentiæ validè suscipi ab excommunicato tolerato, etiam quando illud illicitè mortaliter ex obiecto suscipit (si aliàs à tali culpa excusetur ignorantia aut inaduertentiâ inuincibili;) quia minister potest illud licitè tolerato conferre, ac proinde validè.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, in Iure reperiri verbum æquiualens irritationi respectu Sacramentorum susceptorum ab excommunicato, quæ irritari possunt intendendo tractare illum sicut Ethnicum & publicanum, quia excommunicatus excommunicatione maiori in Iure remouetur, reiicitur, & separatur à Sacramentis tamquam Ethnicus, & non baptizatus; qui inhabilis

13 bilis est ad Sacramenta, excepto Baptismo, & quia Ethnicus non est inhabilis ad contractum matrimonij, excommunicatus non fit ab Ecclesia inhabilis ad contractum matrimonij, ac proinde nec ad Sacramentum matrimonij, quia ratio Sacramenti à contractu valido in baptizatis non potest absque sacrilegio separari. Et ad confirmationem concedimus, excommunicatum excommunicatione maiori eodem verbo excludi à participatione passiva omnium Sacramentorum, & quòd susceptio reliquorum non sit irrita: negamus tamen, quòd non sit irrita susceptio Sacramenti Pœnitentiæ, quia eo verbo significatur exclusio possibilis fieri ab Ecclesia, tractando excommunicatum sicut Ethnicum & publicanum, & non magis durè. & hac ratione non potest irritare, nisi pœnitentiam, quia reliqua Sacramenta nullo modò possunt, & Sacramentum matrimonij non potest, nisi durius tractando excommunicatum quàm Ethnicum.

DIFFICULTAS IV.

Utrum Sacramenta administrata ab excommunicato, sint nulla.

14 CERTUM est, Eucharistiam administratam ab excommunicato, esse validam, quia ante administrationem supponitur validè facta: Baptismum quoque, Confirmationem, Extremam Unctionem & Ordinem administrata ab excommunicato esse valida, quia ex Christi institutione independentè à voluntate Ecclesiæ necessariò perficiuntur, quando forma applicatur materiæ cum debita intentione; Sacramentum quoque matrimonij (quod ab ipsis contrahentibus administra-

tur) absque dubio est validum, ob rationem dictam Diffic. III. circa susceptionem illius.

Est tamen difficultas, An Sacramentum Pœnitentiæ administratum ab excommunicato sit validum: & non est difficultas, quando pœnitens absque excusatione à culpa confitetur excommunicato, quia tunc est nullum ex defectu contritionis; sed tantum est difficultas, An præcisè ex vi ipsius excommunicationis inualidè administretur ab excommunicato.

Circa quam conveniunt Doctores, Sacramentum Pœnitentiæ ab excommunicato administratum esse nullum, quia excommunicatus caret iurisdictione ad absolvendum, quia est remotus ab administratione illius sicut Ethnicus; absolutio autem à non habente iurisdictionem, est nulla.

15 Observandum tamen est, quòd si excommunicatio communiter ignoretur, ut si excommunicatus sit in loco distante ab eo in quo fuit denunciatus, aut in quo notoriè incurrit excommunicationem ob percussione Clerici, & aliàs habeat titulum coloratum ad absolvendum, ut si habeat beneficium Parochiale, aut licentiam audiendi confessiones, Sacramentum erit validum, ut docent communiter Doctores, quia tunc Ecclesia pro ea occasione suspendit excommunicationem, quoad priuationem iurisdictionis.

Addimus etiam, esse validum, quando conferitur ab excommunicato tolerato (etiamsi ab eo illicitè conferatur, ut quando ipse se ingerit;) quia eo ipso, quòd Ecclesia permittit & tolerat illum in fauorem aliorum fidelium, eis indulgens communicationem cum illo in receptione Sacramentorum ab eo, reliquit illi iurisdictionem sufficientem ad illud validè efficiendum.

DISPUTATIO V.

De tertio effectu Excommunicationis maioris.

DIFFICULTAS I.

Utrum Excommunicatio maior priuet rebus diuinis & sacris.

1 **C**ONVENIUNT Doctores, excommunicationem maiorem priuare diuinis officiis factis nomine Ecclesiæ, & aliis rebus sacris, ut constat ex sensu & traditione Ecclesiæ, & deducitur ex cap. *Nul- lum. 2. de Foro competenti*, & ex can. *Qui merito. & ex aliis. 11. quæst. 3.* dum excommunicatus dicitur sequestratus & separatus ab Ecclesia; quia id est esse reiectum ab usu rerum sacrarum, quæ instituta sunt ab Ecclesia in usum pium fidelium.

Effectus autem iste distinctus est ab eo, qui est commercium & quasi conuictus cum fidelibus in diuinis, de quo dicemus Disp. IX. quia excommunicatio non solum priuat dictis officiis diuinis & rebus sacris ea generali ratione, qua regulariter in eorum usu est commercium cum aliis, sed etiam specialiter, quatenus sunt bona communia Ecclesiæ in usum fidelium instituta, quamuis di-

2 uerso modo quàm suspensio & interdictum; quia excommunicatio priuat illis, quatenus quis in eis communicat sicut alia membra Ecclesiæ, seu quatenus sunt bona membris Ecclesiæ communia, non verò suspensio & interdictum: excommunicatio enim est priuatio omnis communionis, non solum illius qua communicatur cum aliis per modum commercij & societatis, sed etiam illius qua participatur eisdem bonis communibus quibus alij, quamuis cum eis non sit commercium.

DIFFICULTAS II.

Utrum illicitum sit excommunicato diuina Officia celebrare, & eis assistere.

3 **C**ONVENIUNT Doctores, excommunicato illicitum seu prohibitum esse diuina Officia celebrare ut publica, seu nomine Ecclesiæ, & eis sic factis assistere; quia est præcisus & reiectus ab Ecclesia, quoad minus est prohibitus prædicta celebrare, & eis assistere, & etiam concionari solemniter, & quasi ex officio: non tamen est excommunicato prohibitum concioni interesse, adhuc inclusa communicatione cum concionante

nante, & cum aliis audientibus, ex peculiari permissione Ecclesie in cap. *Responsio*. 43. de Sententia excommunicationis.

Nec est prohibitus priuatim concionari (seclusa communicatione cum audientibus, quæ est his & illi prohibita) quia id vt sic factum non est officium publicum, nec ab eo vt à ministro Ecclesie factum: nec est prohibitus Horas canonicas priuatim recitare ob eandem rationem, & tunc potest absque peccato dicere, *Dominus vobiscum*, vt contra non paucos aduertit Auila 2. p. cap. 6. disput. 4. dub. 6. quia potest illud dicere vt priuata persona; sicut etiam potest dicere, *Venite adoremus*. Et quamuis peccaret dicendo, *Dominus vobiscum*, non peccaret nisi venialiter, quia est materia leuissima; ac proinde nec ob id incurreret irregularitatem, quæ quando ob peccatum incurritur, non nisi ob mortale incurritur.

4 Ex quo fit, excommunicatum, qui aliàs ratione Ordinis sacri aut professionis tenetur Horas canonicas recitare, non excusari ab ea obligatione, cum possit illas licitè recitare: imò nec excusatur quando tenetur ratione beneficii, vt contra nonnullos docent communiter Doctores, quamuis ratione excommunicationis priuetur (siue à Iudice siue à Iure) fructibus beneficii; quia obligatio recitandi nascitur ex beneficio seu ex iure ad fructus, quos percipere posset, si per ipsum non staret.

Excusatur tamen ab audiendo Missam, quamuis negligens sit in obtinenda absolutione, vt aduertit Aegidius disp. 14. dub. 7. quia observatio præcepti audiendi Missam non est tanti momenti, vt obliget ad tam remotam dispositionem, nempe ad acquirendam capacitatem audiendi Missam; sicut etiam incarceratus ob debita excusatur ab audiendo Missam, quamuis possit soluere, & non soluendo peccet contra iustitiam. Non tamen excusatur excommunicatus à præcepto confessionis & Communionis annuæ, quando facile potest absolutionem obtinere; quia observatio horum præceptorum est magni momenti.

Ita tamen excommunicatus est priuatus diuinis Officiis publicis, seu nomine Ecclesie factis, quod non solum est prohibitus ea efficere, sed etiam quod, quamuis ea intenter nomine Ecclesie efficere, non profint vt sic intentata eis pro quibus ea intentat efficere; quia verè non fiunt nomine Ecclesie, cum ipsa nolit: quod est verum, quamuis excommunicatus sit toleratus, quoties iuxta Extrauagant. *Ad euitanda scandala*, nequit illa licitè efficere; quia tunc Ecclesia non vult fieri ab illo nomine ipsius Ecclesie. Excipimus Sacrificium Missæ, quod applicatum ab excommunicato, quamuis non tolerato, prodest ei pro quo offertur quoad totum valorem, quem habet ex Christi institutione; quia totus iste commissus est intentioni celebrantis independenter ab Ecclesia.

Addimus, excommunicato non esse prohibitum legere, adhuc ex officio, Theologiam (seclusa communicatione cum audientibus) quia non est officium diuinum publicum, seu factum à legente vt à ministro Ecclesie.

DIFFICULTAS III.

Vtrum illicitum sit excommunicato vti rebus sacris.

6 **C**onueniunt Doctores, excommunicato illicitum seu prohibitum esse vti rebus sacris, vt institutis ab Ecclesia ad percipiendum aliquem fructum ratione orationis aut applicationis factæ nomine Ecclesie, vel ab Ecclesia in institutione dictarum rerum: imò non percipiet fructum earum vt sic, quia ea oratio, aut applicatio, vt pote facta nomine Ecclesie, non fit pro excommunicato.

Vnde excommunicatus non potest licitè orare in templo intentione percipiendi fructum impetrationis, prouenientem ex oratione Ecclesie facta in consecratione aut benedictione templi, nec illum percipiet sua oratione in templo facta: neque potest licitè vti aqua benedicta, vt ab Ecclesia instituta: neque fructum percipiet impetrationis prouenientem ex oratione Ecclesie facta in benedictione illius: neque potest licitè orare coram imagine, aut altari, cui concessa est indulgentia pro orantibus coram illo, intentione lucrandi indulgentiam: & quamuis oret, illam non consequetur.

Nihilominus, vt Suarez aduertit disp. 12. sect. 3. *Suarez.* excommunicatus potest licitè vti dictis rebus, nempe templo, aqua benedicta, & dicto altari, & etiam aliis, vt Reliquiis non supradicta intentione, sed quatenus ei possunt deservire priuatæ venerationi, deuotioni, & pietati, sicut etiam orationibus ab Ecclesia institutis. Vnde non potest eici à templo, nisi quando diuina celebrantur.

DIFFICULTAS IV.

Vtrum illicitum sit sepelire in loco sacro corpus morientis in excommunicatione.

8 **C**onueniunt Doctores, corpus morientis in excommunicatione priuari Ecclesiastica sepultura, vt constat ex cap. *Sacris*. 12. de Sepulturis: & consequenter etiam priuatur Ecclesiastico comitatu, quia ad Ecclesiasticam sepulturam ordinatur, ex qua priuatione redundat in alios prohibitio sepeliendi & comitandi illum. Per Ecclesiasticam sepulturam, intelligitur sepultura in loco sacro, etiam in cæmeterio, vt constat ex dicto cap. Imò addit Suarez disp. 12. sect. 4. intelligi sepulturam in quocumque loco ad id destinato: & etiam in loco, in quo consuevit dici Missa, quamuis nulla alia benedictione sacratio. *Suarez.*

Addimus, *morientis in excommunicatione*, quia si ab ea absoluetur in articulo mortis, & ob eam extremam necessitatem, adhuc à Sacerdote extra eam non habente potestatem ad absoluendum, non priuatur Ecclesiastica sepultura, vt deducitur ex c. ult. de Sepulturis. Quod si non fuit absolutus, quamuis dederit signa contritionis, etiam priuatur Ecclesiastica sepultura; si tamen ea dedit, potest post mortem absolui ab excommunicatione, vt constat ex c. *A nobis*. 28. & ex c. *Sacris*. 38. de Sententia excommunic. sed ab eo solo à quo viuens poterat extra extremam necessitatem, vt deducitur ex dicto cap. *A nobis*: & absolutus, non manet priuatus Ecclesiastica sepultura, nec aliis suffragiis communibus.

9 Quod si fortè ante absolutionem fuit Ecclesiasticè

fiasticè sepultus, procuranda est absolutio ne exhumetur, & si non obtineatur, exhumandus est, & inde eiiciendus, si possit discerni à corporibus aliorum, vt constat ex dicto cap. *Sacris*, de Sepulturis, & locus ille, vt pote violatus (vt supponitur in cap. *Consulisti*. 7. de Consecratione Ecclesiæ vel altaris) reconciliandus est asperzione aquæ benedictæ, sicut fit in dedicatione Ecclesiæ, & quamdiu non est reconciliatus, nequeunt absque mortali in eo fideles sepeliri, neque Officia diuina celebrari. Et si corpus excommunicati nequeat ab aliis discerni, non est exhumandum, vt diximus; locus tamen reconciliandus est.

Hæc tamen non habet locum in corpore excommunicati tolerati, vt contra Auilam docent communiter Doctores, quia iuxta Extrauagantem *Ad evitanda scandala*, non tenemur abstinere à communionem tolerati, quocumque modo communicatur, siue pro commercio cum illo, siue pro communionem, quæ ei suffragium aliquod commune, in quo fideles communicant, communicatur. Quod autem sepelire corpus illius, & pro eo suffragium commune offerre, cedit directè in fauorem illius, non obstat; quamuis in Extrauagante dicatur, quod excommunicato non intenditur fieri fauor prædicta indulgentia, quia his verbis tantum denotatur, indulgentiam non abstinendi à communionem illius, non fieri ab Ecclesia attendendo ad fauendum excommunicato, sed tantum ad fauendum timoratis conscientis, ne in communicationem cum illis agitentur scrupulis, etiamsi communicare cum illis sit eis benefacere.

Tandem in Clementina 1. de Sepulturis puniuntur excommunicationem maiori ipso facto, qui propriæ temeritatis audacia excommunicatos publicè, aut nominatim, scienter sepelire præsumunt in loco sacro.

Circa quam obseruandum est, post dictam Extrauagantem non incurrere hanc excommunicationem eos, qui sepeliunt excommunicatos, adhuc publicè excommunicatos, si tolerati sunt, vt contra Caietanum docent communiter Doctores, sed solum qui sepeliunt non toleratos, & qui scienter absque ignorantia adhuc vincibili, & qui absque graui coactione sepeliunt: imò solum qui propriis manibus sepeliunt, non verò qui id mandant, vt contra Suarez & Ægidium docet Auila part. 2. *Anila*. cap. 6. disp. 9. dub. 6. quia licet qui mandant sepelire, dicantur absolurè sepelire, non tamen omnino strictè; ad quod dicta Clementina, vt pote pœnalis, restringenda est: & ob eamdem rationem multò minùs eam excommunicationem incurrunt qui comitantur, & qui cantant, & qui deferunt lumina & crucem.

Et eodem modo intelligenda & restringenda est excommunicatio, quæ in cap. 2. de Hæreticis, in 6. imponitur ipso facto illis qui scienter præsumunt in loco sacro sepelire hæreticos, aut eorum fautores publica sententia damnatos; à qua excommunicationem nequeunt absolui, nisi propriis manibus publicè extumulent hæreticum, & inde illum eiiciant: imò pars illa loci in qua sepulti fuerint, inhabilitatur, vt in ea amplius nequeant sepeliri fideles, ac proinde vt nequeat reconciliari.

DISPUTATIO VI.

De quarto effectu Excommunicationis maioris.

DIFFICULTAS I.

Vtrum Excommunicatio maior priuet beneficis ante ipsam legitimè obtentis.



CONVENIUNT Doctores, excommunicationem maiorem non priuare beneficiis ante ipsam legitimè obtentis, quia id non efficit excommunicatio maior, ex eo quod generaliter priuet communionem fidelium, quia retentione beneficij non aggreditur communicationem in bonis communibus Ecclesiæ sibi prohibitam, sed retinet sibi legitimè collatam & communicatam; nec Iure aliquo peculiari illis priuatur, quia de eo non constat.

Est tamen difficultas, An excommunicatio maior priuet fructibus beneficij ante ipsam legitimè obtenti.

Couarr. lib. 3. Variarum cap. 13. n. 8. Suarez disp. 13. sect. 2. & Toletus lib. 1. cap. 13. docent, excommunicationem priuare fructibus beneficij correspondentibus durationi excommunicationis, & ita vt excommunicatus nequeat eos validè percipere. Quod exprimi videtur in *c. Pastoralis*. 53. de Appellationibus, dum dicitur: *Illi prouentus Ecclesiastici merito subtrahuntur, cui Ecclesiæ communicatio denegatur.* Quod Nauarrus cap. 25. num. 124. limitat, vt tantum sit verum, quando excommunicatus est negligens in pro-

curanda absolute ab excommunicatione.

Valquez verò de Beneficiis cap. 3. §. 3. dub. 4. Nauarrus de Restitut. lib. 2. cap. 2. num. 238. & *Nauarrus*. *Ægidius*. Ægidius disp. 14. dub. 9. docent, excommunicationem maiorem non priuare fructibus beneficij; ac proinde excommunicatum posse adhuc licitè percipere fructus sui beneficij, dummodò per se aut per Vicarium satisfaciatur officio, & merito: quia excommunicatio ex eo, quod generaliter est priuatio communionis fidelium, non priuat dictis fructibus, quia perceptio eorum non est communicare cum fidelibus, quia cuilibet excommunicato conferri possent: nec excommunicatio priuat illis Iure aliquo peculiari, quia si aliquo, maximè Iure dicti *c. Pastoralis*; eo autem non fit, quia in eo cap. tantum est sermo de subtractione faciendâ per Iudicem mediâ sententiâ nouâ superadditâ excommunicationi, quod ille qui consuluit Pontificem supponit. interrogat enim, an excommunicatus, qui excommunicationem iam incursum appellauit, possit, non obstante appellatione, denunciari seu publicari excommunicatus, & ad tempus spoliari beneficiis, id est prouentibus beneficij: supponit ergo, excommunicationem non spoliari, quia potius interrogaret, an excommunicationem ipsa maneret spoliatus, & Pontifex eo supposito respondet posse denunciari, & ei merito subtrahi prouentus, sententiâ videlicet superaddita Iudicis; sicut etiam actu superaddito excommunicationi denunciatur.

Addimus, quòd quamuis de rigore Iuris excommunicatus eo ipso absque noua sententia Iudicis esset priuatus fructibus sui beneficij, consuetudine tamen non priuatur, quia dicto Iuri, quamuis esset, fuisset dicta consuetudine derogatum.

DIFFICULTAS II.

Utrum Excommunicatio maior priuet obtentione beneficij Ecclesiastici.

4 **C**onueniunt Doctores, excommunicationem maiorem ita priuare beneficiis ipsa existente obtinendis, vt inhabilitet ad ea obtinenda; ac proinde efficere nullam collationem beneficij excommunicato factam, vt constat ex c. *Postulastis*. 7. de Clerico excommunicato. quod est verum, quamuis excommunicatus bona fide, excommunicationem ignorans, acceperit beneficium, vt contra Glossam in dictum cap. docent reliqui Doctores; quia quamuis illa ignorantia excuset à culpa receptionis, & consequenter à pœna, non tamen validat aliàs inualidum: imò ita est nulla collatio beneficij, vt absolutione ab excommunicatione postea data non reualidetur, vt contra nonnullos docent communiter Doctores, quia collatio illa fuit nulla, quamuis solùm ratione impedimenti collatarij; ac proinde postea, adhuc ablatò impedimento, nequit conualescere.

5 Ex quo fit, excommunicatum, cui tempore excommunicationis collatum fuit beneficium, non facere suos fructus beneficij, quia eos accipit absque titulo, sed eos tenetur restituere: si tamen bona fide seruiuit beneficio, potest accipere aut retinere stipendium seruitio proportionatum, & residuum non potest accipere, & si accepit, tenetur illud restituere, nisi bona fide accepit & consumpsit, & exinde non est ditior factus.

6 Et ad collationem beneficij, quam factam excommunicato dicimus esse nullam, reducunt Doctores presentationem, nominationem, & postulationem ad beneficium, vt etiam facta excommunicato sint nullæ, & meritò: quia sunt collationes quædam inchoatæ, quia per eas confertur ius aliquod ad beneficium. Commendatio quoque beneficij curati facta excommunicato est nulla, quia per eam confertur, quamuis ad tempus, iurisdictione Ecclesiastica, cuius excommunicatus est incapax. Impetratio quoque literarum Apostolicarum ad beneficium obtenta ab excommunicato est nulla, ex cap. 1. de Rescriptis, in 6. nonnullis casibus exceptis, de quo postea Disp. x.

Nomine autem beneficij Ecclesiastici, ad quod excommunicatus est inhabilis, intelligitur quodcumque beneficium, siue cum animarum cura, siue sine illa, siue ex maioribus, vt Episcopatus, siue ex minoribus. Et quamuis excommunicatus sit priuatus beneficio, non tamen pensione, quæcumque sit, ac proinde consignatio illius facta excommunicato est valida, vt contra non paucos docent nonnulli, & probabile censet Auila 2. part. cap. 6. disp. 5. dub. 5. quia pensio non est beneficium; quia nullum ex se est ius perpetuum ad fructus, quod deinceps sit conferendum, quod requiritur ad rationem beneficij, & excommunicatus non est priuatus nisi beneficio.

Et nomine excommunicati, quem dicimus inhabilem ad beneficium obtinendum, communiter

intelligitur à Doctores etiam toleratus, quia per Extrauagantem *Ad euitanda scandala*, per quam toleratur, nullus intenditur fieri fauor tolerato; fieret autem, si non esset inhabilis, & si collatio beneficij ei facta, esset valida; id tamen difficile existimamus, quia si collatori licitum est excommunicato tolerato beneficium conferre iuxta dictam Extrauagantem, non minùs quàm Sacramenta administrare, vt diximus Disp. 11. Diffic. 14. quo modo collatio illi facta erit nulla, cum iure naturali illicitum sit beneficium conferri inhabili. Quando verò in Extrauagante dicitur, quòd nullus ei intenditur fieri fauor, est verum, quamuis fiat aut maneat habilis, quia hoc non fit vt ei faueatur, sed vt faueatur fidelibus, vt absque scrupulo possint cum illo communicare.

7 Obseruandum est, conferentem beneficium excommunicato (subintellige non tolerato) non tantùm inualidè, sed etiam illicitè (imò mortaliter) illud conferre, quia id est communicare excommunicato, vt significatur in dicto cap. *Postulastis*, & ei qui scienter confert excommunicato beneficium, assignatur in eo cap. pœna suspensionis à collatione beneficiorum, non ipso facto, sed imponenda à Iudice.

DIFFICULTAS III.

Utrum acceptatio beneficij ante Excommunicationem collati seu oblati sit valida, quando fit tempore excommunicationis.

Vasquez de Excommunicatione, dub. 6. Henriquez cap. 13. & Toletus lib. 1. cap. 13. docent esse validam: quod probat Vasquez, quia in dicto cap. *Postulastis*, quamuis inualidetur collatio beneficij excommunicato facta, non tamen acceptatio. Alij verò probant, quia in eo cap. tantùm inualidatur actio, per quam acquiritur ius ad beneficium; acceptatione autem non acquiritur ius ad illud, quia nullus sibi confert ius.

8 **C**onarruias verò lib. 3. Variar. cap. 16. num. 4. Aegidius disp. 14. dub. 9. & alij docent esse nullam, & meritò: quia quod in dicto cap. *Postulastis* intenditur, est inhabilitare excommunicatum ad acquirendum beneficium; id autem non minùs fit annullando acceptationem, quàm collationem; quia, vt exprimitur in cap. *Si tibi absenti*. 17. de Præbendis, in 6. acceptatione beneficij acquiritur ius in illo, non quia sibi conferat tale ius qui acceptat, sed quia acceptat quod sibi ab altero offertur: imò melius fit annullando acceptationem, quia per hanc proximè acquiritur, & non per collationem seu oblationem, nisi inchoatiuè, ob quod annullando acceptationem beneficij nunquam potest excommunicatus illud acquirere, & aliquando posset annullando tantùm collationem, vt cõtingeret in casu præsentis difficultatis. Quod autem in dicto c. *Postulastis*, intendatur inhabilitare excommunicatum ad acquisitionem seu consecutionem beneficij, constat Primò, quia quod in eo cap. decernitur, fit in odium excommunicati, ne participet bona communia Ecclesiæ, quale est beneficium. Secundò, quia in eo cap. non tantùm dicitur, quòd nequeat beneficium conferri excommunicato, sed etiam quòd excommunicatus nequeat illud canonice consequi. Et hoc non dicitur

dicitur quasi consequens deductum ex eo quod nequeat illi conferri, quia id dicitur absque particula aliqua significante connexionem inter illa duo, quamuis hoc quod nequeat beneficium consequi, assumatur pro antecedente illius quod antea dicitur in eius probationem, nempe quod nequeat beneficium collatum retinere. Vnde in dicto c. *Postulastis*, conferre inualidè excommunicato, non sumitur incompletè, prout est tantum offerre, ut sumitur in dicto cap. *Si tibi absenti*, sed sumitur completè, prout sub eo comprehenditur oblatio & acceptatio, qua ratione est idem quod dare: quia in rigore non datur alicui quod ab eo non accipitur, sed tantum dicitur ei offerri.

Addimus contra Couarruuiam, dictam acceptationem tempore excommunicationis factam adhuc non valere ad hoc, ut postea subsecuta absolutione ab excommunicatione acquiratur beneficium; quia quamuis acceptatio illa quamdiu non

retractatur perseveret habitualiter, adhuc post absolutionem; quia tamen à principio fuit nulla, ideò nequit postea conualescere, & fieri valida (quamuis conualesceret, si in se ipsa actualiter continuaretur vsque ad absolutionem iam factam) quia perseverare habitualiter, nihil aliud est, quam fuisse factam, & non esse reuocatum; ac proinde nihil manet in se ipso quod conualescere possit: sicut etiam expressio exterior consensus in matrimonio facta tempore impedimenti dirimentis non valet ad acquisitionem, nec ad translationem dominij corporis, nisi in se ipsa actualiter continueatur vsque ad cessationem impedimenti.

Observandum est, quod etiam si acceptatio iuridica beneficij non solum sit nulla, sed etiam sit excommunicato illicita, quia est contra prohibitionem excommunicationis, imò & mortalis, quia est materiae grauis; nulla tamen poena ei assignatur, sicut assignatur collatori.

DISPUTATIO VII.

De quinto effectu Excommunicationis maioris.

DIFFICULTAS I.

Vtrum Excommunicatio maior priuet vsu iurisdictionis Ecclesiasticae.



CONVENIUNT Doctores, excommunicationem maiorem priuare generaliter omni vsu seu exercitio cuiuscumque iurisdictionis Ecclesiasticae, ut deducitur ex can. *Audiuimus*. 24. qu. 1. & ex cap. *Ad probandum*. 24. de Sententia & re iudicata, in Decretalibus, & ex c. *Is cui*. 12. de Officio delegati, in 6. & ex cap. 1. de Officio Vicarij, in 6. Actus autem seu vsus iurisdictionis Ecclesiasticae, quibus priuat, sunt legem ferre, praecipere, iudicium ferre tam in foro contentioso quam in foro poenitentiae, dispensare, licentiam praebere ad exercendum munus aliquod Ecclesiasticum, delegare iurisdictionem, indulgentias concedere, non verò assistere matrimonio.

Vnde excommunicatus illicitè exercet quemcumque actum Iudicis, & superioris Ecclesiastici ex dictis, quia dicta priuatio ad minus est prohibitio; ac proinde quoties aliquem exercet, peccat aut mortaliter aut venialiter, pro grauitate aut leuitate materiae, quae regulariter est grauis. Et non solum excommunicatus non toleratus illicitè exercet actus iurisdictionis Ecclesiasticae, sed etiam toleratus, quando iste eos exercet non prouocatus à fidelibus, sed ipse se ingerit ad id, non verò quando eos exercet prouocatus: quia ex vna parte actus iurisdictionis à tolerato exerciti sunt validi, ut dicemus Difficult. 11. & ex altera ei est licitum satisfacere fidelibus eum prouocantibus, ut diximus Disputat. 11. Difficultate 14.

DIFFICULTAS II.

Vtrum Excommunicatio maior irritet actus iurisdictionis Ecclesiasticae.

CONVENIUNT Doctores, actus cuiuscumque iurisdictionis Ecclesiasticae exercitos ab excommunicato, esse irritos & nullos, ut deducitur ex can. *Audiuimus*. 24. quæst. 1. & ex c. *Ad probandum*. 24. de Sententia & re iudicata; ac proinde excommunicatio maior priuat vsu iurisdictionis Ecclesiasticae, non solum prohibendo, sed etiam irritando.

Vnde praecipuum ab excommunicato latum est nullum, ac proinde non est obligatio ei obediendi: imò nequit licitè ei obediri, quia id est communicare cum illo. Licentia quoque & dispensatio ab excommunicato data, est nulla; ac proinde subditus nequit ea licitè vti, neque validè. Excipimus licentiam concessam Sacerdoti à Parocho excommunicato ad assistendum matrimonio, quia ista est valida, quia non est actus iurisdictionis, imò nec ipsum assistere adhuc in Parocho, quia neutrum est actus Parochi ut Parochus est, sed cuiusdam facultatis annexae à Tridentino officio Parochi ad spectandum matrimonium, & ad designandum Sacerdotem spectatorem, ut ipse Parochus aut Sacerdos possit de eo testificari. Imò Sacerdos designatus nullam accipit potestatem à Parocho, sed tantum à Tridentino, supposita designatione facta à Parocho; ac proinde Sacerdos, cui data est licentia, potest ea licitè vti. Imò quamuis accipiendo dictam licentiam, communicet cum illo, licitè potest eam accipere ob necessitatem contrahentium, sicut ob eandem ipse Parochus excommunicatus non toleratus potest eam licentiam licitè dare, aut matrimonio assistere, quamuis vtrumque sit communicare; quia absq; eo, aut absq; eius licentia, nequeunt contrahere matrimonium.

Iuridictio quoque delegata ab excommunicato est nulla, quia eam delegare, etiam est actus iurisdictionis; ac proinde delegatus nequit validè, &

consequenter nec licitè ea vti. Imò iurisdicção Ecclesiastica exterior, seu in foro contentioso, delegata ante excommunicationem delegantis, suspenditur, quando deleganti superuenit excommunicatio maior non tolerata, si res seu causa est integra, id est non incepta à delegato, sicut etiam quādo res est integra, iurisdicção delegata cessat morte delegantis, vt constat ex cap. *Relatum*. 17. & ex c. *Gratum*. 20. & ex c. *Licet*. 30. de Officio delegati: non verò suspenditur, quando dicta excommunicatio superuenit causa iam incepta à delegato; sicut etiam tunc non cessat, quando superuenit mors delegantis. Nihilominus quando Episcopo superuenit dicta excommunicatio, suspenditur iurisdicção Vicarij seu Prouisoris etiam causa incepta. Sicut etiam cessat seu expirat, quando causa incepta superuenit Episcopo mors, quia est omnino idem tribunal Episcopi, & Vicarij, seu Prouisoris Iurisdicção tamen delegata interior, seu in foro Pœnitentiæ, & facultas ad administrandum alia Sacramenta, non suspenditur ex eo, quòd deleganti superueniat excommunicatio, vt contra Gutierrez docent Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. ar. 3. & Auila cap. 6. disp. 6. dub. 3. quia dicta Iura, in quibus est sermo de cessatione iurisdicçãois delegatæ morte delegantis, causa integra, seu non incepta, tantum loquuntur de iurisdicçãoe delegata fori contentiosi. Approbare quoque Confessarios, & concionatores, & dare licentiam audiendi confessiones, & administrandi reliqua Sacramenta, factum ab excommunicato, est nullum, quia quodlibet ex his est actus iurisdicçãois, quamuis actus ad quem fit approbatio, aut conceditur licentia & facultas, non sit actus iurisdicçãois.

Observandum tamen est, quòd quamuis actus iurisdicçãois Ecclesiasticæ, & actus præsentandi ad beneficium, & postulandi, exerciti ab excommunicato non tolerato, sint nulli, non tamen exerciti ab excommunicato tolerato, quamuis publico, vt aduertunt communiter Doctores; quia eo ipso quòd Ecclesia permittit & tolerat illum in fauorem aliorum fidelium, relinquit illum sufficientem, vt validè exerceat actus erga illos, sub conditione, si ab ipsis fidelibus acceptetur, aliàs per Extrauagantem *Ad euitanda scandala*, non fuisset sufficienter consultum eorum conscientijs. Quod est verum, non solum quando prouocatus à fidelibus eos actus exercet, sed etiam quando ipse se ingerit, ob rationem dictam, quamuis ipse se ingerendo illicitè faciat. Excommunicatus tamen toleratus non obligat suo præcepto, quia subditis est liberum non communicare cum illo; ac proinde nec illos sua censura ligabit, quia incurso censura supponit inobedientiam seu contumaciam, quæ non est, quamuis non impleatur præceptum excommunicati: poterunt tamen acceptari actus illius, vt absolutio & dispensatio.

DIFFICULTAS III.

Vtrum Excommunicatio maior priuet actiua collatione beneficij.

Conueniunt Doctores, excommunicationem maiorem ita priuare collatione actiua beneficij, & electione actiua ad illud, vt collatio beneficij, & electio ad illud, facta ab excommunicato

non solum sit illicita, sed etiam nulla, quia vtraque est actus iurisdicçãois, & id specialiter deducitur ex cap. vnico de Sede vacante, in 6. & ex cap. *Quia diuersitatem*. 5. de Concessione præbendæ: & ex cap. *Tanta*. 18. de Excessibus Prælatorum, & ex c. *Cum inter*. 16. de Electione.

Quod est verum, quoad electionem, non solum quando excommunicatus eligit solus, sed etiam quando eligit cum alijs non excommunicatis, quia alij non habilitant illum: ac proinde, quando alijs non constat fuisse suffragia sufficientia absq; suffragio excommunicati, electio censenda est nulla; & quia excommunicatus non inhabilitat alios, idèd quando constat absque illo fuisse sufficientia, censenda est valida, etiam quando Capitulum admittit excommunicatum ad electionem, vt contra Suarez disput. 14. sect. 2. & contra plures Canonistas aduertunt Henriquez lib. 13. cap. 7. in Annotationibus, & Ægidius dub. 10. quia dicta admissio nullo Iure inualidat electionem. Henriq. Ægidius.

Excipimus electionem ad Summum Pontificatum, quæ est valida, quamuis fiat à Cardinalibus excommunicatis, vt constat ex Clementina *Ne Romani*. de Electione, in 6. & etiam ex c. *Licet*. 6. de Electione, dum in hoc dicitur, electum absque vlla exceptione esse admittendum pro legitimo Pontifice. ex quo etiam deducitur, excommunicationem electi non ob stare valori electionis ad Summum Pontificatum.

Præsentatio quoque ad beneficium, facta à patrono excommunicato, est illicita & nulla, quamuis fiat à laico, vel à Clerico vt laico; quia per præsentationem non solum factam à Clerico, sed etiam per eam quæ fit à laico, confertur ius ad beneficium, quod non potest ab excommunicato conferri nec licitè nec validè, cum beneficium sit bonum commune membrjs Ecclesiæ, & excommunicatus sit extra eam. Verum est, ius collatum à laico ita, vsque ad institutionem seu collationem factam ab Episcopo, manere pendens in conseruari ab ipso patrono laico, vt patronus pro libito possit absque iniuria præsentati alterum præsentare, vt deducitur ex cap. *Cum autem*. 24. de Iure patronatus; nihilominus institutio seu collatio beneficij facta ad præsentationem dicti excommunicati est valida, vt contra Vasquez dub. 5. & contra Couarruiam in cap. *Alma mater*. 1. par. §. 7. num. 9. docent Suarez disp. 14. sect. 2. Ægidius disp. 14. n. 95. quia talis institutio neque Iure positio irritatur, quia nullum extat; nec naturali, cum fiat absque iniuria patroni, quia non fit contra eius voluntatem: peccat tamen Episcopus acceptando præsentationem dicti excommunicati; quia id est communicare cum illo. Et quod dictum est de præsentatione, dicendum est de postulatione, quòd scilicet sit illicita & nulla, ob eandem rationem.

Admissio tamen, qua ille, cui legitimè collatum est beneficium, & qui illud acceptauit, admittitur in possessionem ab excommunicato tamquam à priuata persona, est valida, imò etiam licita, quando est necessarium aut vtile quod fiat ab excommunicato; ipsa quoque sumptio possessionis, qua beneficiatus ipse excommunicatus incipit possidere, verè est licita, vt patet; & valida, quia nec admisione nec sumptione confertur, nec acquiritur ius ad beneficium, sed admittitur, & sumit id quod iam est suum; & neutra earum, adhuc admissio

admissio actiua, vt facta à priuata persona, est actus iurisdictionis seu potestatis Ecclesiasticæ.

11 Prædicti tamen actus, vt collatio beneficij, & electio ad illud, præsentatio, & postulatio, & quicumque alius qui sit communicatio, sunt validi,

facti ab excommunicato tolerato, vt de alijs actibus iurisdictionis Ecclesiasticæ diximus Difficultate præcedenti ad finem, & ob eandem rationem, quamuis ipse se ingerat ad eos, & in hoc illicitè faciat.

DISPUTATIO VIII.

De sexto effectu Excommunicationis maioris.

DIFFICULTAS I.

Vtrum Excommunicatio maior priuet actibus iudicij forensis.



1 CONVENIUNT Doctores, excommunicationem maiorem remouere ab omni actu pertinente ad iudicium exterius, seu forense, etiam sæculari, vt sunt iudicare, agere, procurare, aduocare, scribere, & testificari. Quod generaliter constat ex eo, quod excommunicatio maior priuat quacumque communicatione cum fidelibus per modum commercij: & specialiter constat ex cap. *Decernimus*. 8. de Sententia excommunicationis, & ex cap. 1. de Exceptionibus, in 6. & ex c. *Veniens*. 38. de Testibus, & ex can. pænult. & vlt. 15. quæst. 6. & ex alijs Iuribus. Vnde potest excommunicato in quacumque parte litis obiici excommunicatio, vt ex tunc repellatur ab exercendo actum aliquem in iudicio; quod sæpè in Iure supponitur. Excommunicatus ergo ad minus illicitè exercet quemcumque actum ex dictis, nisi sit toleratus, & inuiteretur ad id ab eis cum quibus communicat eos exercendo. Sed an inualidè, dicemus Difficultatibus sequentibus.

DIFFICULTAS II.

Vtrum excommunicatus possit exercere actus Iudicis.

2 EX dictis Disputatione præcedenti constat, excommunicatum illicitè (& quando est non toleratus) inualidè exercere actus Iudicis Ecclesiastici: modò est difficultas de actibus Iudicis sæcularis, an eos exercere possit excommunicatus.

Supponimus, excommunicatum non posse licitè exercere actus Iudicis sæcularis, quia remotio & priuatio, qua priuatur illis, ad minus est prohibitio. Est tamen difficultas, An actus ab illo exerciti sint validi.

Circa quam conueniunt Doctores, esse nullos, si Iudex insurduerit per annum in excommunicatione, vt significatur in c. *Excommunicamus*. 13. de Hæreticis. Est tamen difficultas, An etiam sint nulli, quando non insurduerit per annum.

3 *Victoria.* Victoria in Summa n. 16. de Excommunicatione, docet, non esse nullos, quod sibi deducere videtur ex dicto c. *Excommunicamus*, dum, postquæ credentes, & receptores, & defensores. & fautores hæreticorum excommunicantur, additur pro sæcularibus, quòd si per annum non satisfecerit, & Iudex sit, eius sententia nullam obtineat firmitatem. vbi eo ipso quòd pro dictis delictis præter excommunicationem additur dicta pœna annullationis actuum Iudicis, non videtur hæc pœna in-

clusa in excommunicatione, sed addicta Iudici sæculari insurdescenti per annum: ergo non eo ipso, quòd Iudex sæcularis sit excommunicatus, eius actus iudiciales sunt nulli, si non insurdescat per annum.

Vasquez verò dub. 5. Suarez disp. 16. sect. 1. & communiter Doctores docent, esse nullos, quod deducitur ex cap. *Decernimus*. 8. de Sententia excommunicationis, & ex cap. 1. de Exceptionibus, in 6. in quibus id generaliter supponitur de actibus à quocumque Iudice factis, & præsertim deducitur ex can. vlt. & pænult. 15. q. 6. dum Pontifex præcepit ne subditi obediant dominis excommunicatis. Id autem quòd diximus, post Extravagantem *Adeuitanda*, intelligitur de actibus factis ab excommunicato non tolerato, quia à tolerato facti sunt validi, si à subditis acceptentur.

In dicto autem cap. *Excommunicamus*, adducto à Victoria, plures exprimentur pœnæ pro dictis delictis, ex quibus non pauca generaliter inclusæ sunt in ipsa excommunicatione; vt priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ, non admissio ad publica officia, & repulsio ab aduocando. Et aliæ sunt pœnæ 4 particulares, & superadditæ excommunicationi, vt quòd excommunicatus sit infamis, & quòd sit intestabilis, & quòd non possit accedere ad successionem hæreditatis; omnes tamen simul non incuruntur ab excommunicato pro dictis, nisi per annum insurduerit. & hoc est quod in eo cap. decernitur.

Obseruandum tamen est, quòd quamuis excommunicatus non toleratus illicitè assumatur ad officium, aut ad dignitatem cui sit annexa iurdictio adhuc sæcularis, in quo Doctores conueniunt, quia id est communicare cum illo, non tamen assumitur inualidè ad iurisdictionem sæcularem, vt contra nonnullos docent Suarez disput. 16. sect. 2. & *Suarez.* *Aegidius.* Aegidius dub. 1. quia id nullo Iure inualidatur, adhuc c. *Venerabilem*. 34. de Electione, quia in hoc tantum dicitur ad Pontificem pertinere consecrare & coronare Imperatorem, & personam Imperatoris electi examinare, & si excommunicatus aut hæreticus sit, eum repellere, & eius electionem irritare, aut non admittere.

DIFFICULTAS III.

Vtrum excommunicatus possit esse actor in iudicio.

5 CONVENIUNT Doctores, excommunicatum extra causam suæ excommunicationis (in qua admittendus est vt actor intendens probare, vel non esse excommunicatum, vel esse absoluendum, vt constat ex c. *Per tuas*. 40. de Sententia excommunicationis) non posse licitè esse actorem in iudicio, vt constat ex c. *Decernimus*. 8. de Sententia

6 excommunicationis, & ex c. 1. de Exceptionibus, in 6. & idè exceptio seu obiectio excommunicationis contra actorem in quacumq; parte latae admittitur, vt repellatur à sequentibus, ex dicto c. 1. de Exceptionibus: & quamuis non obiciatur, si excommunicatus est non toleratus, reiiciendus est à Iudice ex officio; si tamen sit toleratus, quamuis possit à Iudice reiici, quia potest non communicare cum illo; non tamen tenetur eum, quamuis publicum, reiicere (nisi ad petitionem partis sufficienter probantis excommunicationem) quia non tenetur eum vitare.

Sed quamuis actio in iudicio sit illicita seu prohibita excommunicato, acta tamen ab eo (quamuis non tolerato) ante repulsam valida perseuerant, vt dicitur in dicto cap. 1. de Exceptionibus, ad eum effectum, vt possit ulterius procedi in causa, si ab excommunicatione absoluitur.

DIFFICULTAS IV.

Vtrum excommunicatus possit trahi ad iudicium vt reus.

7 **C**onueniunt Doctores, excommunicatum, etiam non toleratum, posse trahi ad iudicium vt reum, vt constat ex c. *Intelleximus*. 7. de Iudiciis, ne, vt in eo cap. dicitur, commodum reportet ex sua contumacia: & ipsum posse se defendere, ac si non esset excommunicatus, vt constat ex cap. 8. & ultimo, de Exceptionibus, etiam ante abolitionem, quamuis sua culpa non absoluitur, quia ei conceditur absolute defensio.

Est tamen difficultas, An possit per se ipsum respondere, & se defendere, an solum per procuratorem.

*Suarez
Glossa.*

Suarez disp. 16. sect. 4. & Glossa in d. cap. *Intelleximus*, docent, posse per se ipsum; quia ei absolute & absque vlla restrictione permittitur in dictis capp. 8. & ultimo.

*Auila.
Decius.*

Auila verò cap. 6. disp. 2. dub. 2. & Decius in d. cap. *Intelleximus*, num. 7. docent, non posse, sed tantum per procuratorem, & meritò: quia id significatur in dicto c. *Intelleximus*, dum dicitur, quòd excommunicatus potest in iudicio conueniri, & debet per alium respondere, quia particula *debet* necessitatem importat, & cadit non solum supra *respondere*, sed etiam supra particulam *per alium*. & oppositum absque fundamento dicitur; quia quod in illis capp. 8. & ultimo excommunicato verbis absolutis respondere permittatur, non obstat, quia intelligenda sunt seruatis dispositis in Iure.

DIFFICULTAS V.

Vtrum excommunicatus possit exercere munus tabellionis.

8 **C**onueniunt Doctores, excommunicato non esse licitum munus tabellionis exercere, vt constat ex cap. 1. de Exceptionibus, in 6. & excommunicatum non toleratum admitti non posse à Iudice, benè tamen toleratum, dum ei non opponatur excommunicatio à parte. Est tamen difficultas, An instrumenta ab excommunicato facta sint valida.

*Henriq.
Auila.*

Henriquez lib. 13. c. 9. Auila c. 6. disp. 6. dub. 5.

Aegidius dub. 11. & communiter Doctores contra Rebuffum, docent esse nulla, & meritò: quia, vt dicitur in c. *Nullus*. 3. q. 4. à nemine credenda sunt quæ ab anathematizatis dicuntur vel conscribuntur; ergo eorum instrumenta non sunt valida, quia valor eorum in hoc consistit, quòd eis sit credendum: quod est verum etiam de instrumentis factis à tolerato; quia non est obligatio ei credendi, sicut nec communicandi cum illo.

Instrumentum ergo ab excommunicato adhuc tolerato factum reiici potest in iudicio, vt pote nullum: addunt tamen *Aegidius* & alij, quòd si non reiiciatur, erit validum, sumpto argumento à factis actoris excommunicati, quæ dum non repelluntur, valida sunt, sed hoc additur absque sufficienti fundamento, quia pro nullitate instrumenti tabellionis est expressus canon, & non pro valore quando non repellitur, & est expressus pro valore factorum ab actore quando non repelluntur.

Vnde nos addimus, tabellionem excommunicatum non posse stipendium, saltem ordinarium, accipere pro instrumento, vt pote nullo & inutili.

DIFFICULTAS VI.

Vtrum excommunicatus possit esse testis.

Conueniunt Doctores, excommunicatum non posse licitè testificari, neq; in iudicio nec extra (nisi in casu fidei, ex cap. in *Fidei*, de Hæreticis, in 6.) quia ei est prohibita communicatio; quod specialiter supponitur in cap. *Veniens*. 38. de Testibus: neque posse licitè admitti ad testificandum, quando est non toleratus, quia est prohibita communicatio cum illo; quod specialiter supponitur in c. *Decernimus*. 8. de Sententia excommun. in 6.

Addimus contra nonnullos, vt optimè Vasquez dub. 5. testimonium excommunicati esse nullum, cum ei credendum non sit, vt dicitur in can. *Nullus*. 3. q. 4. quod contra *Aegidium* & alios verum existimamus, etiam si non repellatur (vt potest non repelli quando testis est toleratus) sicut diximus de instrumento tabellionis qui est testis qualificatus. Et id etiam existimamus verum, quamuis testis sit toleratus, quia ei, quamuis tolerato, non est obligatio credendi; valor autem testimonij consistit in eo quòd ei debeat credi.

DIFFICULTAS VII.

Vtrum excommunicatus possit esse Aduocatus.

Conueniunt Doctores, excommunicatum non posse licitè aduocare (nisi quando est toleratus, & inducitur à fidelibus) & quando non est toleratus, non posse licitè admitti ad id, vt supponitur in cap. *Decernimus*. 8. de Sententia excommun. in 6. Quòd si à Iudice de facto admittatur, & ei non obiciatur excommunicatio, patrocinia ab ipso facta valida sunt, quia nullibi irritantur; & tunc poterit pro illis stipendium accipere, non verò pro factis postquam ei obiecta est excommunicatio; & repelluntur, quia tunc fiunt inutilia ad decisionem causæ. Idem quoque, & eadem proportionem dicendum est de procuratore excommunicato.

DISPUTATIO IX.

De septimo effectu Excommunicationis maioris.

DIFFICULTAS I.

*Utrum Excommunicatio maior priuet
omni communicatione fidelium.*



ONVENIUNT Doctores, excommunicationem maiorem priuare omni communicatione fidelium (id est baptizatorum) per modum commercij, societatis & conuersionis, quo excommunicatus

priuatur tractare cum fidelibus, & ab eis tractari, vt generaliter constat ex cap. pænult. de Sententia excommunicat. dum de excommunicatione maiori dicitur, quod separet à communicatione fidelium; & specialiter ex can. *Excommunicatus*, & ex can. *Cum excommunicato*, & ex can. *Qui communicauerit*, & ex can. *Ad mensam*. 11. qu. 3. & ex cap. *Illud*. 5. de Clerico excommunicato, & Extrauagante. *Ad euitanda scandala*, & ex aliis Iuribus, ex quibus desumptæ sunt quinque voces hoc versu contentæ:

Os, orare, vale, communicio, mensa, negantur.

Quibus significantur actiones, in quibus excommunicatus prohibitus est communicare cum fidelibus, & fideles cum illo.

Explicemus ergo quid per singulas dictas voces & particulas significetur & prohibeatur.

In primis per particulam *os* significatur & prohibetur osculum pacis; quod expressè prohibetur in Iure: & sub osculo comprehenditur quodcumque signum beneuolentiæ, vt amplexus, missio muneris, & receptio illius. Per *os* etiam significatur alloqui, siue per verba, siue per literas, siue per nutus, & etiã audire, vt communiter exponunt Doctores.

Per particulam *orare* significatur & prohibetur communicare in recitando aut cantando idem diuinum officium simul, aut alternatim, & etiam in illud & in idem Sacrum audiendo, in quo Doctores conueniunt contra Durandum; qui existimat, non esse prohibitum audire idem Sacrum cum excommunicato, quasi id non sit communicare cum excommunicato, sed tantum cum dicente Sacrum, in quo sanè fallitur. Quod si excommunicatus idem officium aut Sacrum velit audire, reiiciendus est ab aliis, adhuc vi, si opus fuerit, sed absque scandalo & percussione; & si eiici non possit, cessandum est adhuc à Sacro, quamuis inchoatus sit Canon, si consecratio non sit inchoata, quia hac inchoata illo non exeunte omnes tenentur exire, & Sacerdos cum solo ministro procedere, vsque ad consumptionem, & reliqua in Sacristia perficere. Quod si excommunicatus sit in templo, & non causa audiendi diuina, neque ad ea attendens, quamuis necessariò audiat, eiiciendus non est, sed permittendus. Addidimus idem officium & Sacrum, quia audire diuersum, quamuis in eodem templo & tempore, non est prohibitum; quia id non est communicare cum excommunicato.

Per particulam *vale* significatur & prohibetur omnis salutatio honorifica; & non tantum verbalis est prohibita, sed etiam aliis signis facta, vt aperiendo caput, aut assurgendo, vt contra Angelum

& Sayrum docent Vasquez dub. 8. & Ægidius disput. 14. dub. 4. quia est quædam communicatio: & non tantum prohibetur salutatio, quando fit animo salutandi, sed etiam quando non fit eo animo, sed ne quis se ostendat inurbanum, vt contra Nauarrum & Henriquez docet Suarez disp. 15. sect. 1. *Suarez.* quia illa est vera salutatio exterior, & vera communicatio. Addimus, *omnis salutatio honorifica*; quia salutatio deprecatoria, vt *Deus te illuminet, aut reducat*, non prohibetur, vt deducitur ex c. *Responsio*. 43. de Sententia excommun. Et non tantum est prohibita salutatio, sed etiam resalutatio, vt contra Henriquez & Ægidii docet Auila c. 6. d. 9. dub. 9. *Auila.*

Per particulam *communicio* significatur & prohibetur quæcumque cooperatio seu societas in negotio aliquo gerendo, quæ reliquis quatuor vocibus non significatur, vt docent communiter Doctores, quia ex vi excommunicationis generaliter quæcumque communicatio humana prohibetur. Ex vi ergo dictæ particulæ significatur & prohibetur cohabitare, & simul vt comites iter agere, communicare in Sacramentis, & in quocumque humano contractu, vt emptionis, & venditionis, & donationis. Contractus autem quamuis prohibiti sint, sunt tamen validi, vt contra nonnullos docent Vasquez *Vasquez.* dub. 8. Ægidius dub. 12. & communiter Doctores, *Ægidius.* & deducitur ex c. *vt. de Pœnis*, in 6. & ex c. *Cum illorum*. 32. de Sententia excommun. & ex c. *Significasti*. 6. de eo qui duxit, & ex c. *Inter dilectos*. 8. de Donationibus. Testamentum quoque & institutio heredis validè fiunt, quamuis illicitè, cum sint quædam communicatio, quamuis non loquendo cum excommunicato, sed ei tribuendo, aut ab eo recipiendo.

Tandem per particulam *mensa* significatur & prohibetur in eadem mensa simul comedere: quod intelligendum est formaliter (vt exprimit Suarez) *Suarez.* id est cum alio per modum societatis comedere, & tamquam cum comite, quia tunc est vera communicatio vnus cum alio, quamuis fiat in diuersis mensis materialibus; non verò casu & absque societate comedere, quamuis fiat in eadem mensa, quia tunc verè vnus non communicat cum alio. Et idem est de cohabitatione, significata per particulam *communicio*, quod scilicet prohibita sit in eadem domo, quamuis in diuersis cubiculis, per modum societatis facta, non verò à casu & solùm materialiter, adhuc in eodem cubiculo, imò etiam in eodem lecto, vt Suarez aduertit. *Suarez.*

DIFFICULTAS II.

Utrum communicatio ex vi Excommunicationis prohibita sit mortalis, an tantum venialis.

Supponimus, communicationem excommunicati cum baptizatis, & econtra baptizatorum cum excommunicato, prædictis quinque particulis significatam, esse peccatum, quia prohibita est ex vi excommunicationis maioris; & esse peccatum sacrilegij contra religionem etiam in rebus civilibus, quia prohibita est in odium excommunicati,

cati, tamquam indigni communicatione membrorum Ecclesiæ.

Hoc supposito est difficultas, An sit mortale, an tantum veniale. Circa quam conueniunt Doctores, communicationem in diuinis, vt in Sacramentis, in Missa, in officiis diuinis solemniter seu publicè celebratis, & in Ecclesiasticè sepeliendo, esse mortalem ex suo genere, seu ex suo obiecto; quia dicta communicatio est materia grauis non solum in ratione actionis, sed etiam in ratione communicationis. Addidimus Primò, *ex suo genere*: quia pro leuitate communicationis potest esse tantum peccatum veniale, vt si communicatio sit in parua parte Missæ aut officij diuini. Secundò addidimus, *in officiis diuinis solemniter celebratis*, quia communicatio in officio diuino priuatim dicto, vt quando excommunicatus & alter recitant Horas canonicas, tantum est venialis, vt docent Couarruias 1. p. §. 3. n. 8. & Vasquez dub. 7. & 10. & communiter Doctores, quia in ordine ad finem, quem Ecclesia intendit priuatione communicationis, non est grauis in ratione communicationis, quamuis sit in ratione actionis.

Est tamen difficultas, An communicatio in humanis seu temporalibus sit etiam mortalis.

Circa quam quamuis Raymundus absolutè existimet, communicationem in humanis adhuc ciuilibus, in colloquiis, & in contractibus, & in exercitio iurisdictionis sæcularis, esse ex suo obiecto mortalem. Caietanus tamen v. *Excommunicatio*, ad finem, Couarruias, Henriquez, & communiter Doctores absolutè docent, communicationem in humanis adhuc Ecclesiasticis, vt in collatione & receptione beneficij, & in exercitio iurisdictionis Ecclesiasticæ, non esse ex suo obiecto mortalem (excepta malitia iniustitiæ in actibus Iudicis, quæ ex suo obiecto censetur mortalis) & meritò: quia communicatio in humanis non censetur grauis in ratione communicationis, quamuis in aliquibus censetur grauis in ratione actionis.

Addimus (in quo Doctores communiter conueniunt) communicationem aliàs ex obiecto, venialem posse fieri mortalem ex circumstantia aliqua, vt ex circumstantia contemptus, si ex eo fiat, vel ex circumstantia scandali, vt si communicatione cum excommunicato ipse excommunicatus animetur ad perseuerandum in sua contumacia mortali (quod rarè eueniet) imò hoc est communicare cum excommunicato in crimine criminoso; vel ex circumstantia finis nouiter intenti à Iudice ad nouiter prohibendam communicationem cum excommunicato, vt contingit quando fertur excommunicatio maior contra communicantes, seu participantes cum excommunicato.

DIFFICULTAS III.

Quibus pœnis afficiatur qui illicitè communicat cum excommunicato.

10 **C**onueniunt Doctores, eum, qui illicitè communicat cum excommunicato, regulariter tantum puniri excommunicatione minori lata à Iure (ac proinde etiam ipse excommunicans, excepto Papa, eam incurrit, si communicet cum excommunicato ab ipso) vt constat ex c. *A nobis*. 2. de Exceptionibus, & ex aliis pluribus Iuribus. Vnde can. *Excommunicatos*. 11. qu. 3. vbi dicitur,

communicantem cum excommunicato innodari simili excommunicatione, quia antiquus est, explicandus est per lura posteriora de excommunicatione simili in ratione quasi communi & generica, id est, quòd etiam incurrit excommunicationem, sed non maiorem, quamuis communicatio ob quam incurritur, sit mortalis, qualis est communicatio in diuinis. Ad eam tamen excommunicationem minorem incurrendam requiritur, quòd communicatio cum excommunicato sit culpabilis, quia excommunicatio minor est vera pœna; imò requiritur, quòd communicatio fiat ex plena deliberatione ex se sufficiente ad mortale, quia absque plena deliberatione non est propriè contumacia, sine qua nulla incurritur censura.

Addidimus, regulariter tantum puniri excommunicatione minori: quia in quibusdam paucis casibus punitur excommunicatione maiori.

Primus est, quando quis scienter communicat cum excommunicato in crimine criminoso seu damnato, id est in eo crimine ob quod incurta est excommunicatio, influendo per se in illud, aut per auxilium, aut per consilium, aut aliter, vt constat ex c. *Nuper*. 29. & ex cap. *Si concubina*. 55. de Sententia excommun. in Decretalibus, & ex c. *Statuimus*. 3. de Sententia excommun. in 6. Ad eam tamen incurrendam requiritur Primò (in quo Doctores conueniunt) quòd communicet in crimine ob quod lata & incurta est excommunicatio, vt apertè dicitur in dictis capp. Secundò requiritur, quòd communicet cum excommunicato in crimine iam damnato, seu punito ipsa excommunicatione, id est, postquam ob illud is, cum quo communicat, fuit excommunicatus, aliàs non communicaret cum iam excommunicato. & deducitur ex particula *criminoso*, reperta in c. *Nuper*. & clariùs ex particula *damnato*, reperta in c. *Statuimus*, de Sententia excommunicationis, in 6. Tertiò requiritur, quòd communicet sciens illum iam incurrisse excommunicationem, aliàs excusabitur à transgressione prohibitionis communicationis in crimine iam damnato, ob quam excommunicatio fertur contra ipsum communicantem; imò requiritur, quòd communicet sciens ignorantia aliqua, adhuc crassa: quia qui cum hac ignorantia communicat, non communicat scienter, sed ignoranter. Quartò requiritur, quòd is, cum quo communicat in crimine, sit nominatim excommunicatus, vt constat ex dicto c. *Nuper*. ac proinde non sufficit quòd sit notorius percursor Clerici, neque quòd excommunicationem generaliter latam ob illud crimen incurrerit.

Quintò, vt contra Sorum docent Auila cap. 6. disput. 10. dub. 4. Nauarrus & Suarez post Extraneam *Ad emittenda*. requiritur, quòd nominatim excommunicatus seu scriptus, talis sit etiam denunciatus seu publicatus: & quamuis hæc excommunicatio sit iuris (ob quod etiam eam incurrit ipse excommunicans, excepto Papa) nequit absolui, nisi ab eo à quo potest ipse excommunicatus cum quo communicauit, quia id specialiter decernitur in dicto c. *Nuper*.

Secundus casus, in quo ob communicationem cum excommunicato incurritur excommunicatio maior, est, quando Clericus scienter & spontè admittit excommunicatum à Papa ad officia diuina: imò ipsi Papæ specialiter referuatur in cap. *Significauit*. 18. de Sententia excommunicationis. Ad eam

8
Covarr.
Vasquez.

Raymund.

Gaietan.
Covarr.
Henriq.

9

11

12

Auila.

Nauarrus.
Suarez.

13

eam ergo incurrendam requiritur, Primò, quòd communicans seu admittens sit Clericus. Secundò, quòd communicatio sit admissio ad officia diuina, & non sufficit quòd cum illo interfuit diuinis officiis sicut vnus de populo. Tertiò, quòd communicet sciens absque ignorantia esse excommunicatum à Papa. Quartò, quòd communicet spontè, id est non motus metu aliquo, aut vi adhuc leui. Quintò, quòd sit excommunicatus à Papa, & tamquam ab homine, ad quòd non sufficit quòd excommunicatio sit contenta in Iure, vel in Bulla Cœnæ, imò & quòd sit denunciatus.

Tertius casus, in quo ob communicationem cum excommunicato incurritur excommunicatio maior, est, quando quis communicat cum excommunicato excommunicatione, etiam lata contra participantes seu communicantes cum illo, vt constat ex cap. *In dubiis*. 30. de Sententia excomm. hæc autem excommunicatio maior numquam fertur à Iure, sed tantùm ab homine; & non fertur validè contra sic communicantes, nisi specialiter feratur contra certam & determinatam personam, eam prius canonicè monendo ne communicet, vt constat ex Iure nouo cap. *Statuimus*. 3. & c. *Constitutionem*. 9. de Sententia excomm. in 6. Ob quòd Iudices, qui generaliter contra participantes ferunt excommunicationes, nihil faciunt, vt aduertunt communiter Doctores: imò illicitè, nisi forsam iam consuetudo eos excuset.

Et non solum nihil faciunt, seu inualidè excommunicant, quando absque dicta monitione ferunt excommunicationem contra communicantes cum excommunicato ab ipso eodem Iudice (in quo Doctores conueniunt) sed etiam quando ferunt illam contra communicantes cum excommunicato ab alio Iudice, vt contra Couarruuiam docent Vasquez dub. 10. & communiter Doctores, quia in dicto cap. *Constitutionem*. absolutè & absque distinctione aliqua excommunicati, requiritur dicta monitio, vt excommunicatio validè feratur contra communicantes cum excommunicato, quamuis in dicto c. *Statuimus*. tantùm sit sermo de communicantibus cum excommunicato ab ipso eodem Iudice.

Addimus, vt contra Auilam c. 6. disp. 10. dub. 5. & contra Henriquez docent Nauarrus cap. 27. n. 31. & Sotus in 4. dist. 22. q. 1. ar. 4. quòd quamuis excommunicatio nouiter lata à Iudice contra communicantes cum excommunicato sit nulla, quando non fit canonica monitio, & ideò non incurritur, nihilominus ipsa noua prohibitio communicationis cum eo excommunicato obligat sub mortali: quia ex vna parte ea prohibitio fit ex nouo & sufficiente motiuo, vt ob eius transgressionem feratur excommunicatio maior; ex altera parte prohibitio ipsa non impeditur, neque irritatur ex defectu dictæ monitionis, quamuis irritetur ipsa excommunicatio, & ideò non incurritur, vt ex contextu dictorum capp. patet.

Quartus casus est, quando quis scienter propriæ temeritatis audacia præsumit sepelire in loco sacro publicè aut nominatim excommunicatum (& iam post Extrauagantem *Ad euitanda*. adde denuntiatum) vt constat ex Clementina 1. de Sepulchris, de quo egimus Disp. v. Diffic. 111.

Quintus casus solet tradi, nempe quando quis scienter præsumit sepelire in loco sacro hæreticos, aut eorum fautores & defensores, ex c. 2. de Hæ-

reticis, in 6. Hæc tamen excommunicatio maior non incurritur ob communicationem cum hæretico, aut eius fautore in quantum excommunicato, sed in quantum hæretico aut fautore, de quo etiam egimus Disp. v. Diffic. 111.

DIFFICULTAS IV.

Quibus modis communicatio cum excommunicato non tolerato excusetur à culpa, & consequenter à pœna Excommunicationis.

Supponimus, ex natura rei communicationem aliorum cum excommunicato (imò etiam ipsius excommunicati cum illis) etiam in Sacramentis, & in aliis diuinis, excusari à culpa, & consequenter à pœna excommunicationis, ob ignorantiam inculpabilem tam facti, id est excommunicationis excommunicati, quam iuris, id est prohibitionis communicandi; & etiam ad vitandum graue aliquod detrimentum, siue in corpore, siue in fama, siue in bonis fortunæ.

Et ex misericordia & benignitate Ecclesiæ, vt dicitur in can. *Quoniam multos*. 11. qu. 3. prohibitio communicationis fidelium cum excommunicato (quamuis aliàs non tolerato) subtrahitur, seu aufertur in quinque casibus hoc versu contentis:

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.
vt constat ex dicto can. & ex aliis Iuribus.

Primò ergo ob vtilitatem excommunicati, significatam particulâ *vtile*, aufertur prohibitio communicationis cum illo; & in primis ob vtilitatem spiritualem excommunicati, vt constat ex cap. *Cum voluntate*. 54. de Sententia excomm. ob quam eum possumus admittere ad concionem, vt dicitur in cap. *Responsio*. 43. de Sententia excomm. (non tamen ad lectionem Theologiæ, vt contra Sotum & Sayrum docent Aegidius dub. 12. & plures alij, quia non ordinatur per se ad bonum animæ excommunicati) & ob eandem possumus admonere priuatim excommunicatum, etiam interponendo alia verba & alia signa beneuolentiæ, vt magis proficiat, vt dicitur in dicto cap. *Cum voluntate*. & ob id, quando admonitio fit, in epistola potest poni solita salutatio, vt contra Siluestrum & Auilam docent non pauci: & ob eandem vtilitatem potest audiri ab excommunicato confessio Sacramentalis ante absolutionem ab excommunicatione. Et non tantùm ob vtilitatem spiritualem excommunicati, sed etiam ob temporalem, in qua non tam agitur de lucro angendo, quam de vita aut statu sustentandi, aufertur prohibitio communicationis cum illo; ac proinde ei possumus subuenire eleemosyna in indigentia communi, vt dicitur in dicto can. *Quoniam multos*. & etiam possumus ei nostro auxilio aut defensione subuenire, ne ei graue aliquod damnum eueniat.

Et non minùs ipse excommunicatus ob suam vtilitatem, aut spiritualem aut temporalem, poterit cum aliis communicare, quam alij cum ipso; ac proinde poterit concionem audire, & orationes, & consiliū, & eleemosynam petere, & vt constat ex cap. *Si verè*. 34. de Sententia excomm. etiam poterit debitum priuatim exigere.

Et non solum ob vtilitatem excommunicati, aut spiritualem aut temporalem, sed etiam ob propriam potest quis communicare cum excommu-

17

18

Aegidius.
19

20



nicato, quando nequit æquè cōmodè ab aliis subueniri, quia excommunicatio non debet esse magis incommoda aliis fidelibus, quàm ipsi excommunicato; ac proinde tunc potest quis audire ab excommunicato concionem, & consilium & fauorem, & eleemosynam petere, & necessaria emere: imò prædicatores & Confessores possunt ab excommunicato eleemosynam petere, quamuis possint aliunde æquè commodè sibi prouidere, ut indicatur in dicto c. *Cum voluntate*, & ut constat ex dicto cap. *Si verè*, & ex c. *Intelleximus*. 7. de Iudiciis. Potest quis ab excommunicato debitum exigere, & legatum ab ipso relictum potest recipi, utpote iam mortuo; quia quando recipitur, non accipitur ab illo excommunicato, quia iam est mortuus, quo cessauit excommunicatio (sicut epistola scripta ab excommunicato potest recipi & legi, quando iam non est excommunicatus) etiam si Iure prohibiti simus eum ante absolutionem Ecclesiasticè sepelire, sed non profanè, nec eum aliter tractare.

21 Secundò, ob legem matrimonij, significatam particulâ *lex*, excipitur vxor à prohibitione communicationis cum marito excommunicato (adhuc de participantibus) in can. *Quoniam multos*, non solum quoad vsum coniugalem, & quoad obsequia solita, sed etiam quoad omnia alia: nec excommunicatione mariti eximitur ab obligatione communicationis debitæ ratione matrimonij, ut cōstat ex c. *Inter alia*. 31. de Sententia excomm.

Tertiò, ob subiectionem significatam particulâ *humile*, excipiuntur filij, seu liberi tam masculi quàm feminæ à prohibitione communicationis cum parentibus excommunicatis (etiam de participantibus) in dicto can. *Quoniam multos*, imò, ut Sayrus aduertit lib. 2. c. 14. etiam cum aliis progenitoribus remotioribus, ut cum auis & proauis; quia etiam respectu horum dicuntur liberi in Iure: & nomine liberorum etiam comprehenduntur filij emancipati, quamuis non sint commensales, ut contra non paucos docent Paludanus in 4. dist. 18. qu. 6. ar. 2. & Hugolinus Tabula 2. c. 23. quia verè sunt filij: & etiam comprehenduntur illegitimi, ob eandem rationem; & etiam comprehenduntur adoptiui, quamdiu non sunt emancipati, quia quamdiu non sunt, verè dicuntur filij: imò, ut aduertit Sayrus, etiam comprehenduntur nurus & gener, & priuignus & priuigna, quia ratione affinitatis habentur ut filij, & in dicto can. *Quoniam multos*, priuilegiantur liberi absque vlla restrictione.

22 Deinde ob subiectionem, eadem particulâ *humile* significatam, excipiuntur à prohibitione communicationis mancipia, & etiam seruientes, cum suis dominis & heris excommunicatis (etiam de participantibus) & non tantum seruientes rusticani, sed etiam alij, dum eorum consilio aut ope non fuerit perpetratum scelus ob quod incurta est excommunicatio, ut constat ex dicto Canone.

Tandem ob subiectionem excipiuntur subditi Religiosi à prohibitione communicationis cum suis Prælatibus excommunicatis (etiam de participantibus) ut contra nonnullos docent Vasquez dub. 9. Auila c. 6. disp. 11. dub. 7. & communiter Doctores, non tamquam cum Iudicibus, quia à iurisdictione sunt suspensi, sed tamquam cum patribus familias gubernantibus domum; excipiuntur autem, vel quia habentur pro filiis, vel quia

sunt de familia sui Prælati, & familia excusatur in dicto c. *Si verè*.

Dicto autem priuilegio communicandi cum marito excommunicato, & cum parentibus, & cum dictis superioribus, nempe dominis, heris, & Prælatibus excommunicatis, etiam gaudent vxor & filij, & inferiores, quamuis tantum ipsi sint excommunicati, quia absque vlla restrictione excommunicationis propriæ, aut mariti, & parentum, & superiorum eximuntur à prohibitione communicationis cum marito, & parentibus, & superioribus. Vnde ut contra Siluestrum & Rosellam aduertunt Couarr. Vasquez. 1. p. §. 1. Vasquez dub. 9. Aegidius dub. 12. & communiter Doctores, non solum vxor, & liberi, & inferiores sunt exempti à prohibitione communicationis cum marito, & cum parentibus, & superioribus excommunicatis, ut exprimitur in dicto can. *Quoniam*, sed etiam econtra maritus, & parentes, & superiores sunt exempti à prohibitione communicationis cum vxore, & cum liberis, & cum inferioribus excommunicatis; quia eo ipso quod vxori, & filio, & inferiori excommunicatis conceditur communicare cum marito, & cum parente, & cum superiore, etiam conceditur ipsis marito, & parenti, & superiori communicare cum illis excommunicatis; cum maritus, & parens, & superior non excludantur ab eo fauore, sicut excluditur excommunicatus toleratus per Extrauagantem *Ad euitanda*.

Eximuntur autem omnes prædicti, etiam si ipsi excommunicati, iam excommunicati, & alij post horum excommunicationem denuntiatam fiant tales, nempe coniuges, & famuli, & domini, & superiores, & inferiores, ut contra Angelum docent Aegidius & alij; quia quamuis post excommunicationem modo declarato illicitè fiant tales (nisi ratione utilitatis, aut necessitatis) nihilominus absolute fiunt & sunt tales, & isti tales eximuntur absolute, & absque restrictione.

Ob dictam tamen subiectionem, significatam particulâ *humile*, non excipiuntur vasalli à prohibitione communicationis cum domino temporali excommunicato, nec econtra, quia vasalli non sunt filij, nec seruientes, nec aliter de familia domini temporalis: & ob eandem rationem Clerici non excipiuntur à prohibitione communicationis cum suo Episcopo excommunicato, nec econtra.

Et quamuis sint qui existunt, inferiores eiusdem familiæ gaudere dicta exemptione à prohibitione communicationis inter se; id tamen absque fundamento dicitur, nec est verum, nisi quatenus necessarium sit ut communicent cum superioribus & superiores cum ipsis: possunt tamen absque alio titulo communicare in cohabitando in eadem domo, in qua erant ante excommunicationem, quia nullus excommunicatione cogitur proprium habitaculum deserere.

Quartò, ob ignorantiam, significatam particulâ *res ignorata*, ignorantibus excipiuntur à prohibitione communicationis cum excommunicato, ut constat ex dicto can. *Quoniam multos*, quod intelligitur tam de ignorantia facti, id est excommunicationis (imò non toleratæ) quàm Iuris, id est prohibitionis communicationis cum excommunicato, quia dictus Canon absolute & absque vlla restrictione loquitur de ignorantibus.

Et quamuis communiter Doctores ad id exigat ignoran-

23

Couarr.
Vasquez.
Aegidius.

24

Aegidius.

25

ignorantiam inuincibilem, sed absque efficaci fundamento, imò contra dictum Canonem, quia in eo Pontifex significat se ex misericordia eximere ignorantes, & reliquas supra dictas personas; & tamen ignorantia inuincibilis non ex misericordia, sed ex natura rei excusat. Et huic non parum fauet, quòd in initio, antequam dictam indulgentiam concedat, præmittit pro causa & motiuo concessionis, quam itatim facit, quòd multi occasione excommunicationis perierint partim ignorantia, partim nimia simplicitate; & tamen nullus periit ignorantia inuincibili: ergo quando statim eximit ignorantes, eximit eos qui vincibiliter ignorant: quod in dicto Canone etiam indicatur, dum absolute & absque vlla restrictione ignorantia eximit ignorantes, quia ignorantia vincibilis est vera ignorantia.

Vt ergo quis peccet communicando cum excommunicato, non sufficit dubium de excommunicatione (in quo Doctores communiter conueniunt) imò in dubio non potest tractari, vt excommunicatus absque iniuria illius, quia in materia iustitiæ melior est conditio possidentis; sed requiritur notitia moraliter certa excommunicationis, imò extra confessionem habita, imò etiam requiritur notitia moraliter certa denuntiationis excommunicationis, aut incurSIONIS notoriæ in excommunicationem ob percussione Clerici. Qui autem est dubius de dicta denuntiatione, aut incurSIONE, si sit moraliter certus de excommunicatione, quamvis absque iniuria possit vitare publicum publice, & occultum occultè, iuxta antiquam dispositionem c. *Cum non ab homine*. 14. de Sententia excomm. non tamen tenetur illum non vitare; quia etiam si in Extrauagante *Ad curanda*, concedatur licentia tolerandi seu non vitandi non denunciatum, & non excommunicatum notoriè ob percussione Clerici, sed in ea non obligatur ad illum tolerandum. Dicitur autem notitia moraliter certa, quæ est prudens, seu probabilis. Vnde si quis extra confessionem audierit ab ipso excommunicato non tolerato ipsum esse talem, aut si id audiuit à Parocho fide digno, aut si id publica fama ei constet, non potest cum tali communicare, quia notitia sic habita est moraliter certa.

Postquam verò quis certò nouit aliquem esse excommunicatum & vitandum, tamdiu est ab ipso vitandus, quamdiu ipsi non constet prudenter seu probabiliter esse absolutum ab excommunicatione, vt constat quando plures fide digni id pro certo affirmant, imò & quando vnus, imò & quando ipse excommunicatus, si fide dignus sit. Sufficit

quoque publica fama absolutionis, aut quòd multum tempus transierit post incurSAM excommunicationem, & quòd, considerata conditione personæ & negotij, prudenter iudicetur non infurduisse tanto tempore in excommunicatione. Imò etiam sufficiet, si non sit malæ famæ, & in principio se gerebat vt excommunicatus, quòd postea se gerat vt absolutus.

Obseruandum est, vt contra nonnullos optimè Vasquez dub. 8. & Auila c. 6. disp. 11. dub. 11. ex-
Vasquez. Auila.
communicatos vitandos in vna Prouincia, aut in vna ciuitate, vitandos esse vbique; ita tamen, vt si in alio loco id sit publicum, publice vitetur: & si occultum, occultè tantum, iuxta dictum c. *Cum ab homine*. quia in dicta Extrauagante nihil circa hoc innouatur, sed tantum quantum ad qualitatem excommunicatorum, quòd scilicet, vt debeant vitari (publici publice, & occulti occultè) sint denunciati, aut notoriè excommunicati ob percussione Clerici.

Tandem Quintò ob necessitatem, significatam particula *neceffe*, aufertur prohibitio communicationis cum excommunicato, quæ est necessitas simpliciter & absolute etiam morali modo (ad differentiam utilitatis, quæ est necessitas ad melius esse) vt constat ex dicto can. *Quoniam multos*, & ex cap. *Inter alia*. 31. de Sententia excommunicationis: & ob necessitatem tam ipsius excommunicati, quàm aliorum, & tam ob corporalem, quàm ob spiritualem, in quo Doctores communiter conueniunt: & non tantum ob necessitatem obligantem, sed etiam ob communem; & non minus ipse ob suam necessitatem poterit communicare cum aliis, quàm alij cum ipso. Prædicta autem sunt vera, quando patienti necessitatem siue ipse siue alius eam patiat, non possit aliunde commodè subueniri, nisi media communicatione ipsius excommunicati cum aliis, & aliorum cum ipso: sicut nec ratione utilitatis aufertur prohibitio communicationis, quando æquè commodè potest quis aliunde subueniri; quia quando æquè commodè potest aliunde, non melius subuenitur media communicatione: ac proinde in ea communicatione comparata cum alio medio, non est utilitas; & quando commodè potest aliunde subueniri, non est necessitas in communicatione, comparata cum alio medio. Necessitas tamen ob quam aufertur prohibitio communicationis, non est scrupulosè examinanda; quia vbi examinatur necessitas, vix deficiet manifesta utilitas, quæ etiam sufficit ad excusandam dictam communicationem.



DISPUTATIO X.

De octauo effectu Excommunicationis maioris.

DIFFICULTAS VNICA.

Utrum rescriptum ab excommunicato impetratum sit nullum.

CONVENIUNT Doctores, excommunicationem maiorem efficere nulla, rescripta Papæ ab excommunicato impetrata, & processum virtute illorum factum super alio quàm super excommunicationis aut appellationis articulo, vt expressè constat ex c. 1. de Rescriptis, in 6. nisi rescripta dentur cum clausula absolutionis ad effectum validationis eorum, vt iam semper fit, quamuis sub ea conditione (contenta in Regula Cancellariæ de Insurdescentibus) nempe quòd excommunicatus non insurduerit per annum in excommunicatione: imò nec per quatuor menses in octo casibus contentis in eadem Regula, quam referunt Toletus lib. 1. cap. 13. & Nauarrus tom. 1. Consiliorum lib. 5. tit. de Sententia excommun. cons. 44.

Toletus.
Nauarrus.

Id autem quod dicimus, nempe excommunicationem maiorem efficere nulla, rescripta Papæ, non est extendendum ad rescripta Prælatorum Papæ inferiorum, vt aduertunt Nauarrus vbi suprâ, & Suarez disp. 17. sect. 1. quia non dicuntur simpliciter rescripta, sed tantum rescripta supremorum Principum: imò non est extendendum ad rescripta supremorum Principum secularium, vt contra Nauarrum aduertit Suarez, quia in dicto cap. 1. tantum est sermo de rescriptis Apostolicis, vt ex contextu cap. & ex discursu Tituli deducitur. Quæ ratio etiam habet locum in dictis rescriptis Prælatorum Papæ inferiorum.

Nauarrus
Suarez.

Prædictam autem nullitatem rescriptorum Papæ, concessorum excommunicato, difficile credimus habere locum in rescriptis absolutè concessis excommunicato tolerato: id autem difficile credimus, vt faueamus Papæ concedenti rescripta, vt absque scrupulo possit ea absolutè conferre, quia iure communi prohibitionis excommunicationis alienæ, quoad vim directiuam teneatur.

DISPUTATIO XI.

De effectibus remotis Excommunicationis maioris.

DIFFICULTAS VNICA.

Utrum præter dictos sint alij effectus Excommunicationis maioris.

CONVENIUNT Doctores, præter effectus, quos excommunicatio maior causat per se & immediatè, de quibus iam egimus, esse alios qui remotè & quasi per accidens ex illa oriuntur.

Primus ergo effectus remotus excommunicationis maioris est pœna, quæ incurritur non immediatè ob excommunicationem, sed ob transgressionem excommunicationis seu prohibitionis ipsius, vt est irregularitas, quam incurrit Clericus, qui excommunicatus exercet vt minister, seu solemniter officium Ordinis sacri quem habet, vt constat ex cap. 1. de Sententia & re iudicata, & ex cap. 75 qui. 18. & ex c. Is cui. 20. de Sententia excommun. in 6. & suspensio, quam incurrit, qui excommunicatus ob percussione Clerici suscipit Ordinem, vt constat ex c. Cum illorum. 32. de Sententia excommun. & etiam excommunicatio, siue maior siue minor, quam incurrit illicitè communicans cum excommunicato.

Secundus effectus remotus est, eum, qui conuenitur super crimine, siue ciuilitè siue criminaliter, & ob contumaciam in ea causa excommunicatur, & in ea excommunicatione per annum perseverat, cenferi conuictum de eo crimine, vt deducitur ex can. Rursus, & ex can. Quicumque. 11. quæst. 3. ac proinde, qui suspectus de hæresi vocatur ab Inquisitoribus vt respondeat de fide, & non comparet, & ob id excommunicatur, & in excommunicatione per annum perseverat, cenferi conuictus de hæresi, & vt talis puniendus est, vt deducitur ex cap. Cum contumacia. 7. de Hæreticis, in 6.

Tertius effectus remotus est, eum, qui excommunicatione innodatus (& idem est de suspensione & interdicto) obdurato animo in ea per annum perseverat, fieri suspectum de hæresi, & vt talem posse puniri, vt constat ex Tridentino sessione 25. c. 3. de Reformat. Hac tamen suspensio est leuis, vt constat ex praxi Inquisitorum, & dicitur in Directorio Inquisitorum 2. part. quæst. 47. inducit tamen purgationem, in qua si deficiat, poterit vt hæreticus puniri. Addidimus (vt additur in Tridentino) obdurato animo, quia si ignorantia, aut impotentia in excommunicatione perseveret, non fit suspectus.

DISPUTATIO XII.

De causis Excommunicationis maioris.

QVAMVIS de causis censurarum indistinctè & generaliter egerimus in Tractatu de Censuris in cōmuni, nihilominus, quæ ibi diximus, in hac Disputatione breui collectione ad excommunicationem applicabimus, ne Tractatus iste de Excommunicatione, ad eò necessarius, mutilus relinquatur.

DIFFICULTAS I.

Qui possint excommunicare.

Conueniunt Doctores, in omnibus illis & solis, in quibus est potestas Ecclesiastica ordinata in foro contentioso, esse potestatem ordinariam excommunicandi, quos Tract. de Censuris in cōmuni Difficultate IV. assignauimus.

Est tamen difficultas, An Parochus habeat potestatem ordinariam excommunicandi.

Circa quam etiam si non desint, qui existiment Parochum eam habere pro casu furti & rapinæ, imò qui existiment eam habere pro quibuscumque casibus adeò notoriis, vt non indigeant iudiciali indagatione: Vasquez tamen dub. 17. Auila 2. p. cap. 3. disputat. 1. dubio 1. & communiter Doctores negant Parocho potestatem ordinariam excommunicandi, & merito; quia nec ex suo munere, nec ex Iure habet potestatem, seu iurisdictionem in foro contentioso: & licet forsan aliquando ex Iure excommunicare potuerint, vt indicari videtur in cap. *Cum ab Ecclesiarum*. 3. de Officio Ordinarij; iam tamen consuetudine abolitum est. quòd si alicubi Parochus eam habeat, aut retineat, standum est ibi consuetudini.

In illis verò omnibus & solis reperitur potestas delegata excommunicandi, quibus, aliàs capacibus, fuerit commissa ab habente potestatem ordinariam, à qua ita dependet potestas delegata, vt quando potestas ordinaria delegantis deficit, aut impeditur, etiam potestas delegati deficiat aut impediatur, quando res est integra, id est non incepta: & delegatus, cui reuocata est iurisdictione, validè excommunicat quousque ad eum perueniat reuocatio.

Quæ verò requirantur in ferente excommunicationem, vt eam validè ferat, & quibus modis ferri possit, constat ex dicto Tractatu Difficultate V. & VI.

DIFFICULTAS II.

Qui possint excommunicari.

Conueniunt Doctores, eos omnes & solos, qui alicui superiori Ecclesiastico habenti iurisdictionem in foro contentioso, subditi sunt, posse excommunicari, vt generaliter de omni Censura diximus Tract. de Censuris in cōmuni, Difficultate VII. & sequentibus.

Vnde nec creaturæ irrationales, nec Angeli, nec homines non baptizati excommunicari possunt, nec Papa, nisi forsan in aliquo casu à Concilio generali, de quo in Tract. de Potestate Papæ & Ecclesiæ: nec idem à se ipso, nec defuncti, nisi vel indirectè quoad alios, vt alij nequeant ipsos Ecclesiasticè sepelire, nec pro eis suffragia cōmunia offerre; vel si directè, sumpta tamen excommunicatione pro declaratione, qua declarantur ex hac vita decessisse in excommunicatione: nec pueri ante vsum rationis, nec perpetuò amentes, qui ante vsum rationis in amentiam inciderunt; benè tamen qui post vsum rationis facti sunt amentes: pueri quoque impuberes ratione vtentes excommunicari possunt, non solum à Iure, sed etiam ab homine.

Subditus autem Episcopi existens in alieno Episcopatu, vt alienigena excommunicari nequit à suo Episcopo, nec medio statuto, nec medio præcepto, nisi ratione delicti in suo Episcopatu commissi, nec ab Episcopo Episcopatus in quo est, vt alienigena, nec medio statuto nec præcepto, nisi post delictum commissum, vt pro eo satisfaciat. Vagabundi verò excommunicari possunt ab Episcopo loci in quo actu habitant; quia ratione actualis habitationis, quæ in vagabundis est loco domicilij, sunt subditi Episcopo illius loci: neque subditus Episcopi excommunicari potest à suo Episcopo existente extra suum Episcopatum, nisi quando Episcopus fuit expulsus à suo Episcopatu; quia tunc in loco viciniore suo Episcopatu potest, petita licentia ab Episcopo Episcopatus in quo est, quamuis non obtenta, suos subditos excommunicare, vt patet ex Clementina vnica de foro competenti: nec subditus Episcopi Suffraganei Archiepiscopo potest ab Archiepiscopo excommunicari: nec Principes supremi excommunicari possunt, nisi à Papa, vt docent communiter Doctores, siue priuilegio illis omnibus communi, aut viua voce, aut aliter tradito, siue priuilegijs peculiariibus: nec Religiosi, nisi à suis Prælati, aut à Papa, aut ab eius Legato. Addit tamen Henriquez lib. 13. cap. 25. excommunicatione lata à Legato non comprehendendi, nisi in litteris fiat expressa eorum mentio.

Est tamen difficultas Primò, An communitas, vt populus, Capitulum, & Collegium, possit excommunicari.

Circa quam conueniunt Doctores, communitatem secundum se & immediatè (id est personas communitatis, vt sunt membra & partes communitatis) non posse licitè ab homine excommunicari ob idem crimen commune in vno negotio, v. g. in vna electione, etiam quando omnes peccant, quia ad minus hoc prohibetur ab Innocentio I V. in cap. *Romana*. 5. de Sententia excommunic. dum ait, *In Vniuersitatem vel Collegium proferrì excommunicationis sententiam penitus prohibemus, sed in illos dumtaxat de Collegio vel Vniuersitate, quos culpabiles esse constiterit, promulgetur.*

Et non solum prohibita est, seu illicita excommunicatio lata ab homine contra communitatem,

Vasquez. Nauarrus. Antonin. Vasquez. 7

in quo Doctores conueniunt; sed etiam est nulla, vt contra non paucos docent Vasquez dub. 17. Nauarrus & Antoninus: quia quoties lex prohibet, ne circa aliquod genus personarum aliquid fiat, vt assignet legitimam personam circa quam fiat, & excludat personam circa quam non sit faciendū, vt contingit in presenti casu, irritat actum quem prohibet, vt quando lex prohibet ne talis persona instituat heres, vt docet Vasquez 1.2. disputat. 164. num. 34.

7 Sed quamuis communitas excommunicari non possit ab homine ob crimen commune in aliquo vno negotio; potest tamen excommunicari excommunicatione Iuri annexa: & quamuis non possit communitas excommunicari ab homine, possunt tamen excommunicari plures communitatis ex his qui assisterunt ei negotio, etiam vt membra communitatis, ob idem commune crimen in aliquo vno negotio, dum non excommunicentur omnes illi, qui in eo negotio assistentes, & repræsentantes communitatem, illud crimen commiserunt, quia omnes illi non possunt vt membra communitatis excommunicari ab homine, quamuis aliqui communitatis non assisterint ei negotio: possunt tamen omnes, vt membra communitatis, excommunicari ab homine ob diuersa crimina, alij ob vnum, & alij ob aliud; & etiam omnes vt particulares personæ etiam ob idem commune crimen ab illis, vt à particularibus personis commissum, quia in dicto cap. tantum est sermo de excommunicatione ab homine lata contra communitatem, vt talem ob peccatum commune ab ea commissum, quia non præsumitur omnes communitatis, qui assistunt alicui negotio, delinquere eodem communi crimine.

8

Secundò est difficultas, An excommunicatus nondum absolutus possit iterum excommunicari. Non desunt, vt refert Glossa in can. *Engeltrudam*. 3. quæst. 4. qui doceant non posse, quia eis videtur, quòd qui per excommunicationem existit priuatus bonis Ecclesiæ, nequeat iterum illis eisdem nondum restitutis priuari.

9

Doctores tamen communiter docent, posse, & deducitur efficaciter ex cap. *Cum pro causa*. 27. de Sententia excommun. & ex Clementina 2. de Sententia excommun. & constat ex praxi Ecclesiæ, quæ id facit. Et meritò: quia Ecclesia ex vna parte punire potest prout expedit, & ex altera iteratio censuræ nulli Iuri aduersatur. Ecclesia autem multiplicat excommunicationes, vel mediâ nouâ sententiâ ob diuersa crimina (quamuis etiam possit ob idem) vel medio Iure aut mandato (quibus sit annexa excommunicatio) ob multiplicem transgressionem Iuris aut mandati.

9

Secunda autem excommunicatio (& idem est de tertia, & de aliis) priuat antea excommunicatum eisdem bonis, non ea auferendo, quod fieri non potest, vt probatur ratione aduersariorum, sed impediendo ne restituantur, quousque etiam etiam ipsa secunda auferatur, quia, quantum est ex se, priuat illis.

DIFFICULTAS III.

Ob quam causam possit ferri & infligi Excommunicatio maior.

10

Conueniunt Doctores, excommunicationem maiorem non posse ferri & infligi, nisi ob

peccatum mortale, vt dicitur in can. *Nemo Episcoporum*. 11. quæst. 3. & in Tridentino sess. 2. c. 3. de Reformatione: & non solum non posse licite, sed nec valide, adhuc à Papa; quia excommunicatio maior est pœna nimis excedens, iniusta, & inæqualis peccato veniali, ac proinde nulla, vt etiam diximus Tractata de Censuris in communi, Difficultate x.

Ex quo fit, eum, qui in transgressionem statuti aut præcepti, cui annectitur excommunicatio maior ipso facto incurrenda, excusatur à culpa mortali siue defectu plenæ aduertentiæ, siue vi aut metu, siue graui aliqua necessitate, siue alia via, non incurtere eam excommunicationem.

Excommunicatio ergo maior ipso facto incurrenda, annexa legi aut præcepto, indicium est obligationis legis aut præcepti sub mortali, & sic iudicandum est obligare, quamdiu oppositum non constat, in quo Doctores conueniunt: imò etiam excommunicatio maior comminatoria, vt contra nonnullos docent Suarez dist. 18. sect. 3. Auila 2. p. cap. 5. disp. 1. dub. 4. & Vasquez 1.2. disputat. 158. cap. 5. quia statim post transgressionem legis aut præcepti potest excommunicatio valide ferri & infligi, & nequit valide ferri & infligi nisi ob peccatum mortale. Quòd si post transgressionem non potest ferri licite, quando in Iure aut in præcepto, cui est annexa excommunicatio comminatoria, non fuit facta trina monitio, vel vna pro tribus cum competentibus temporum intervallis, non est ex defectu grauitatis transgressionis; quia transgressio tali monitione non fit grauis, quando ante talem monitionem non erat grauis (nisi aliquando ex nouo fine, aut ex noua circumstantia) sed quia Iudicibus Iure præcipitur, vt dicto modo admoneant ad ferendam excommunicationem sententia superaddita legi aut præcepto.

Et non solum excommunicatio maior non potest ferri, adhuc valide, nisi ob peccatum mortale, sed etiam non potest nisi ob mortale exterius, imò inobedienciæ respectu Ecclesiæ præcipientis: imò non potest licite ferri, nisi ob peccatum inobedienciæ respectu Ecclesiæ præcipientis, saltem sub comminatione censuræ; bene tamen valide, vt contra Suarez & Auilam indicant Couarruias 1. p. §. 9. & 10. & Vasquez dub. 16. ad finem.

12

Observandum est, quòd quamuis excommunicatio maior possit valide ferri pro quacumque mortali inobediencia respectu Ecclesiæ, quia quacumque mortalis digna est excommunicatione maiori; tamen illicite fiet: quia si pro quacumque feratur, fiet vt excommunicatio maior, quæ instituta est in animarum medicinam, redundet in earum perniciem, quia fideles nimis exacerbantur, si ita temerè & ita facile feratur.

Et non solum excommunicatio maior potest valide & licite ferri à Iure, & etiam ab homine pro peccatis præteritis, sed etiam pro futuris sub conditione, si fiant, vel expressa, vel subintellecta, v. g. *Si quis non admisit, vel, Qui non admisit conceptionem Virginis absque peccato originali, sit ipso facto excommunicatus.*

Et quando excommunicatio maior fertur contra facientes aliquod opus, non comprehendit consulentes nec mandantes opus illud; quando in Iure ipso, aut in præcepto cui annectitur, non significatur; nec comprehendit opus non completum

Trident.

II Suarez. Auila. Vasquez.

Couarru. Vasquez.

13

pletum seu perfectum in suo genere, ut excommunicatio, quæ fertur contra scribentes ad Moniales, non incurritur, nisi scriptura ad illas perueniat; & quæ fertur contra occidentes Clericum, non incurritur à propinante venenum, nisi sequatur mors; & quæ fertur contra hæreticos, non incurritur ob solam exteriorem prolationem hæresis (quamvis plenè voluntariam) absque assensu interiori hæretico. Ratio vtriusque supradicti est, quia latio seu impositio pœnæ est odiosa, ac proinde omnino strictè interpretanda: qui autem consulit vel mandat opus, aut efficit illud non perfectum, non dicitur omnino strictè illud opus facere.

Addimus, quòd quando excommunicatio maior etiam fertur ob consilium, vel ob mandatum operis, non incurritur non secuto opere, quamvis opus miraculosè impediatur, quando fertur principaliter tantùm ob opus, ut fertur excommunicatio contra mandantes & consulentes percussorem Clerici: at quando etiam fertur principaliter ob consilium aut mandatum, statim incurritur ante opus secutum. Imò quamvis numquam sequatur, ut in Clementina de Pœnis cap. i. fertur excommunicatio maior contra Religiosos Mendicantes, qui in concionibus docent aliquid animo retrahendi populù à solutione decimarum. Quomodo verò excommunicatio lata ob consilium, vel ob mandatum lata principaliter ob opus, non incurritur, quando ante opus secutum præcedit resipiscentia efficax consilij aut mandati, constat ex dictis Tractatu de Censuris in communi, Diff. xv. & etiam quomodo non incurritur excommunicatio lata ob opus completum, quando inchoationis antea factæ præcedit resipiscentia efficax.

DIFFICULTAS IV.

Quomodo ferenda est Excommunicatio maior.

Supponimus, ad ferendam excommunicationem maiorem requiri plenam aduertentiam & intentionem ferendi illam; & non sufficere intentionem excommunicandi non expressam exteriùs, utpote non sensibilem, & non humanam, sed requiri expressionem exteriorem dictæ intentionis siue verbis, siue scripturâ, siue nutibus factam.

Hoc supposito, conueniunt Doctores, excommunicationem maiorem ferendam esse signis exterioribus, quibus Superior sufficienter exprimat se excommunicare aliquem, ut dicendo: *Te excommunico*, aut, *Te vinculo excommunicationis in nodo*, aut, *Te microne excommunicationis percutio*, aut, *Te prius seu separo à communione fidelium*, aut, *Te ab Ecclesia præscindo*, aut aliis æquivalentibus. Et quamvis his verbis, *Denuntio te excommunicatum*, ex vi eorum non sufficienter exprimat se excommunicare, quia eis vi eorum solum significatur denuntiatio excommunicationis, quæ ipsam excommunicationem supponit. Ex circumstantiis tamen, aut ex aliis verbis adiunctis, solet illis exprimi excommunicatio, ut fit quando proferuntur à Superiore, sicut etiam quando profert verba illa, *Non eris te excommunicationem incursum*; quia à Superiore proferuntur practicè, ut significant denuntiationem seu notificationem practicam, seu effectricem excommunicationis. Illis quoque ver-

bis, *Nellus cum Petro communicet*, sufficienter exprimitur excommunicatio, quando proferuntur à Superiore post cognitionem causæ, & per modum sententiæ: imò eis significatur excommunicatio maior, & non minor, ut contra Hugolinù & Sayrum aduertit Suarez disp. 18. lect. 4. quia eis signifi-

ficatur, illum priuari communione fidelium, per quod definitur excommunicatio maior in cap. pœnult. de Sententia excommunicar. Et ut constat ex Tractatu de Censuris in communi, Difficul. v. eis verbis imponitur excommunicatio maior lata, quæ statim incurritur, & non ferenda postea, quibus significatur excommunicationem vel tunc seu actu infligi, vel statim ac sit transgressio iuris aut præcepti: ut quando imponitur verbis excommunicationis Præsentis Indicatiui, ut quando dicitur, *Te excommunicamus*; & quando imponitur Verbis Imperatiui, aut Optatiui, quibus non committitur, aut quasi imperatur alteri executio excommunicationis, ut quando dicitur, *Incidas* aut *incurras excommunicationem*; & etiam quando imponitur Verbo substantiuo Præsentis Imperatiui, aut Optatiui, aut Futuri Indicatiui, addito Participio præteriti excommunicationis, ut quando dicitur, *Sis excommunicatus*, *Eris excommunicatus*; & etiam quando imponitur aliis verbis idem significantibus, ut quando dicitur, *Incides*, *incurres excommunicationem*; & etiam quando imponitur annexa Iuri aut præcepto sub conditione (siue expressa siue subintellecta) transgressionis futuræ verbis comminatoriis excommunicationis, superaddito verbo *lata sententiæ*, aut *ipso facto*, aut *ipso Iure*, ut quando dicitur: *Fiat hoc sub pœna excommunicationis maioris lata sententiæ*, &c.

Eis verò verbis imponitur excommunicatio maior non lata, sed tantùm ferenda à Iudice, quibus non significatur statim, ac sit transgressio iuris aut præcepti, quibus comminatoriè annectitur, ut quando annectitur solis verbis comminatoriis excommunicationis, non addito verbo *lata sententiæ*, nec *ipso facto*, nec *ipso Iure*, nec alio æquivalente; ut quando solum dicitur, *Fac hoc sub pœna excommunicationis maioris*, & etiam quando annectitur verbis excommunicationis de futuro, ut quando dicitur, *Excommunicabimur*; & quando annectitur Verbis Præsentis Imperatiui, aut Optatiui, quibus quasi imperatur, & committitur alteri executio seu inflicto excommunicationis, ut quando dicitur, *Qui hoc fecerit, excommunicetur*.

Addimus, quòd quando est dubium an verba contineant excommunicationem latam, iudicandum est eam non continere, sed tantùm ferendam, quia odia sunt restringenda: secus est quando quis est dubius an sit lata excommunicatio verbis non dubiis; sicut quis non obligatur lege dubia verbis dubiis tradita, benè tamen quando est dubius, an sit lex verbis non dubiis tradita.

DIFFICULTAS V.

Vtrum Excommunicatio maior possit ferri absque præuia monitione canonica.

Circa monitionem præuiam ad ferendam excommunicationem maiorem, constat ex Tract. de Censuris in communi, Difficul. xviii. ad ferendam excommunicationem maiorem medio

Iure aut medio præcepto, siue generali siue speciali, pro transgressione futura sub conditione si fiat, siue expressa siue subintellecta (vt quando dicitur, *Qui scit aliquem deliquisse tali delicto, id patefaciat, intra tres dies sub pœna excommunicationis maioris, ipso facto incurrende*) non prærequiri aliam monitionem, quàm lationem Iuris aut præcepti, ei annexendo excommunicationem ipso facto incurrendam: quod quoad lationem excommunicationis medio præcepto, siue generali siue speciali (in quo est maior difficultas, quàm medio Iure) satis indicatur in cap. *Romana*. 5. de Sententia excommunicationis, in 6. & in cap. *Reprehensibilis*. 26. de Appellationibus. Ad ferendam tamen excommunicationem siue generaliter siue specialiter ob peccatum iam præteritum, quæ tantum fertur ab homine, & sententia noua post peccatum iam omnino commissum, prærequiri monitionem, constat ex cap. *Sacro*. 48. de Sententia excommunic. & ex dictis capp. *Romana*. & *Reprehensibilis*.

20 Est autem generaliter prærequisita monitio, vt sic feratur excommunicatio, nempe ab homine, nouâ sententiâ post peccatum omnino commissum propter illud, etiam quando fertur à Prælato spoliato sua Ecclesia, ad defensionem sui Iuris, & etiam vt Iudex ferat nouam excommunicationem ob delictum iam factum, ob quod iam est incursta excommunicatio aliàs Iuri aut præcepto annexa ipso facto, & vt Iudex ferat excommunicationem quam Ius comminatur, & non imponit ipso facto, quia pro nullo ex his tribus casibus, nec pro alio fit alicubi exceptio. Habet autem locum monitio ad ferendam excommunicationem ob peccatum iam præteritum, quando, antequam excommunicatio feratur à Iudice, factum est peccatum contra Ius aut præceptum aliquod siue naturale siue positiuum, cui non est annexa excommunicatio saltem ipso facto, quia tunc vt à Iudice feratur excommunicatio, debet ante commissum peccatum præsupponi monitio, & sub comminatione excommunicationis siue generaliter siue specialiter facta.

21 Hæc autem monitio prærequisita, vt feratur excommunicatio ab homine pro peccato omnino præterito nouâ sententiâ post illud omnino commissum, debet imprimis esse iussio Iudicis: quia prærequiritur, vt excommunicatio non feratur nisi contra inobedientes Ecclesiæ; imò ipsi excommunicanti, aut eius antecessori, quia non erunt tales nisi contra iussionem illius. Secundò debet esse sub comminatione excommunicationis, vt indicatur in cap. *Sacro*. 48. de Senten-

tia excommunicationis. Tertio debet esse iuridica, id est, non priuatim facta, sed ordine Iuris, & nomine Iudicis, & ipsi reo in persona propria, nisi malitiosè abscondatur: quia si abscondatur, sufficiet quod fiat in loco, vnde præsumatur quod ad eius notitiam perueniet, dum verè perueniat. Quarto debet esse trina, vel vna pro tribus, pro arbitrio Iudicis, cum competentibus aliquorum dierum interuallis, nisi necessitas postulat temporum interualla moderari, vt disponitur in c. *Constitutionem*. 9. de Sententia excomm. in 6. Deinde quinto, vt feratur excommunicatio maior contra eos qui communicant cum excommunicato in locutione, & in aliis ob quæ Iure incurritur excommunicatio minor, requiritur vt monitio sit canonica, & competens, & quod ea moneatur nominatim ille qui excommunicatione est ligandus, vt disponitur in dicto cap. Tandem sexto, quod monitio fiat coram personis, quibus possit iuridicè probari, vt disponitur in dicto cap. *Sacro*. Est autem generaliter prærequisita monitio cum omnibus dictis conditionibus in omni casu, vt modo dicto feratur excommunicatio ab homine, quia absque fundamento aliquis excipitur, vt latè diximus Tractatu de Centuris in communi, Difficultate XVI II.

22 Ita tamen monitio debet esse præceptiua & iuridica, imò & quod ad notitiam rei perueniat, vt excommunicatio aliter lata sit nulla Iure Ecclesiastico naturali. Quod verò sit trina, vel vna pro tribus, & cum competentibus dierum interuallis, etiam quando necessitas id non postulat moderari, non est necessarium ad valorem excommunicationis (sicut neque quod fiat sub comminatione excommunicationis) sed vt licitè feratur, quamuis feratur à Iudice delegato, etiam quando in delegatione additur, quod feratur trina monitio: & quod fiat coram personis quibus possit iuridicè probari, tantum prærequiritur vt licitè fiat, vt supponitur in dicto cap. *Sacro*: & quod eâ moneatur nominatim qui excommunicandus est, necessarium est ad valorem excommunicationis, quæ fertur contra eos qui communicant cum excommunicatis in locutione, & in aliis ob quæ Iure incurritur excommunicatio minor, vt disponitur in dicto c. *Constitutionem*; imò & quod sit canonica & competens, vt patet ex ipso cap. & ex cap. *Statuimus*. 3. & ex cap. *Statutum*. 13. Ac proinde credimus, ad valorem dictæ excommunicationis prærequiri monitionem cum sex conditionibus enumeratis §. præcedenti, quia aliter non erit competens & completè canonica.



DISPUTATIO XIII.

De impedientibus incurfionem Excommunicationis.

DIFFICULTAS I.

Utrum ignorantia impediatur incurfionem Excommunicationis maioris.



CONVENIUNT Doctores, ignorantiam, siue physicè siue moraliter inuincibilem (adhuc comitantè) siue facti, vt homicidij, siue Iuris (cuius nomine etiam comprehenditur præceptum transitoriū)

ob cuius transgressionem fertur excommunicatio maior, impedire incurfionem excommunicationis maioris. Quod verum existimamus contra nonnullos Tract. de Censuris in communi, Difficultate XXI. etiam si operans det operam rei aliàs illicitæ, quia ignorantia inuincibilis tam facti v.g. homicidij quam Iuris, quo prohibitum est factum v.g. homicidium, excusat homicidium à culpa homicidij, ob quam fertur excommunicatio, & ob eandem rationem inaduertentia actualis omnimoda tam facti quam Iuris impedit incurfionem excommunicationis, quia scilicet excusat à culpa.

Et quia ignorantia inuincibilis & omnimoda inaduertentia actualis Iuris Ecclesiastici, quo factum est prohibitum, excusat ab inobedientia respectu Ecclesiæ, ob quam solam incurritur excommunicatio; idèd quamuis factum etiam sit prohibitum Iure naturali aut diuino, impedit incurfionem excommunicationis.

Ignorantia tamen vincibilis plenè voluntaria siue facti siue Iuris, adhuc Ecclesiastici, non impedit incurfionem excommunicationis maioris latè absolutè contra eos qui aliquid fecerint, quia neutrius ignorantia vincibilis, quamuis crassa, excusat à culpa & inobedientia, ob quam imposita est excommunicatio maior: impedit tamen incurfionem excommunicationis latè contra eos qui aliquid scienter seu ausu temerario fecerint, seu aliquid præsumpserint, seu aliquid facere contempserint, etiam si ignorantia vincibilis sit affectata, quia qui ex ignorantia, aut cum ignorantia adhuc affectata non obedit Ecclesiæ, non dicitur scienter nec ausu temerario non obedire, nec præsumere non obedire, nec contemnere obedire.

Sed quamuis ignorantia siue facti siue Iuris, quando est inuincibilis, impediatur incurfionem excommunicationis, non tamen ignorantia inuincibilis ipsius lationis, seu impositionis excommunicationis, vt contra Suarez & Ægidium docent Couarruias & Vasquez, quia absque scientia excommunicationis potest esse peccatum mortale inobedientiæ respectu Ecclesiæ præcipientis: peculiari tamen priuilegio cap. *Vt animarum*. 2. de Constitutionibus, in 6. ignorantia inuincibilis, quamuis solum moraliter, seu probabilis excommunicationis annexa statutis perpetuis Ordinariorum, impedit incurfionem illius.

Addit Fillucius Tract. 11. cap. 8. quæst. 13. à quo non multum discrepat Suarez disp. 4. sect. 11. excommunicatum à Iudice, non teneri se gerere

vt talem quoad effectus excommunicationis in pura prohibitionem consistentes, absque irritatione, quousque ei legitimè notificetur excommunicatio iam lata & incurfa: id tamen quamuis non careat probabilitate, & possit tuta conscientia amplecti, non approbamus, dum excommunicatus id aliunde sciat, aut prudenter timeat, cum ante dictam legitimam notificationem præsupponatur verè excommunicatus, de quo latius egimus Tractatu de Censuris in communi, Difficultate XXI. & XXI.

DIFFICULTAS II.

Utrum metus impediatur incurfionem Excommunicationis maioris.

CONVENIUNT Doctores, metum leuem (id est damni leuis) non impedire incurfionem excommunicationis maioris, quia non excusat ab inobedientia mortali ob quam incurritur. Et de tali metu est sermo in cap. *Sacris*. 5. de his quæ vi metusve causa fiunt, dum Pontifex ait, eum, qui communicat excommunicatis; quamuis ob metum communicet, excommunicatione teneri, vt expendimus Tractatu de Censuris in communi, Difficultate XXI. & metum grauem (id est damni grauis, siue in vita, siue in fama, siue in diuitiis) impedire incurfionem excommunicationis maioris, quoties excusat à peccato mortali inobedientiæ respectu Ecclesiæ, quia solum ob tale peccatum mortale incurritur: sed quando metus grauis excuset à peccato mortali inobedientiæ respectu Ecclesiæ, disputatur in Tractatu de Legibus. Interim tamen existimamus, regulariter excusare, quoties non est incensus in contemptum legis, & opus, ob quod imponitur excommunicatio maior, non est etiam contra Ius naturale, sed tantum contra Ius positium, siue humanum, siue diuinum. Addidimus *regulariter excusare*, quia non semper excusat, sed tantum quando impletio Iuris positui, siue humani siue diuini, censetur minoris momenti seu vtilitatis bono communi, quam indemnitas à graui damno, quod imminet ex impletione illius; quod semper contingit, nisi in aliquo raro casu, quia pro tunc Ius illud non obligat.

Ex quo deducimus, eum, qui incurrit excommunicationem maiorem, posse efficere id, quod ipsa purè prohibetur, & non inuadatur, quando ex omissione imminet excommunicato graue aliquod damnum: quia prohibitio excommunicationis maioris, est purè humana, & eius impletio non censetur maioris momenti, quam indemnitas à graui damno. Vnde qui secreto commisit delictum cui annexa est excommunicatio maior, potest etiam absque præuia confessione, si aliàs est in statu gratiæ, celebrare, quoties id sit necessarium, ne cum ipsius infamia alij coniciant eum commisisse aliquod delictum, ob quod non audeat celebrare: ac proinde celebrando non fiet irregularis, quia irregularitas hæc non incurritur absque

Couarru.
Vasquez.

Fillucius.
Suarez.

7 peccato mortali. Addidimus etiam, *absque prauia confessione*; quia præmissio confessionis ante celebrationem, tantum est Iuris positium, siue diuini siue Ecclesiastici, & eius impletio non videtur maioris momenti, quam indemnitas à graui damno, de qua re latius diximus Tract. de Censuris in communi, Difficultate XXI I.

DIFFICULTAS III.

Vtrum iniustitia Excommunicationis maioris impediatur incursum illius.

8 **C**onueniunt Doctores, iniustitiam excommunicationis maioris, proueniens ex defectu alicuius requisiti ad valorem excommunicationis, vt ex defectu præuiae monitionis iuridicæ, impedire incursum illius: non verò iniustitiam proueniens ex defectu alicuius non requisiti ad valorem, vt ex defectu pronuntiationis excommunicationis in scriptis, vt supponitur in cap. 1. de Sententia excommunicat. in 6. nec iniustitiam, seu illicitudinem proueniens ex malo sine Iudicis.

Est tamen difficultas, An iniustitia excommunicationis, proueniens ex defectu causæ, nempe inobedienciæ mortalis respectu Ecclesiæ, quando videlicet non est verè, est tamen iuridicè probata, impediatur incursum excommunicationis.

Sotus.
Ægidius.

9 **C**irca quod, vt optimè Sotus in 4. distinct. 22. quæst. 1. dub. 3. & Ægidius disp. 13. dub. 83. cõtra Durandum & Cordubam existimamus, dictam iniustitiam impedire incursum excommunicationis; quia excommunicatio maior non fertur validè, nisi ob veram inobedienciam, & non ob probatam, quando verè non est. Et confirmatur, quia tunc sententia excommunicationis fundatur in præsumptione in casu particulari, ergo cum præsumptio sit falsa, sententia illa est nulla, ac proinde verè non obligat in conscientia, & quoad Deum: id tamen non tollit, excommunicatum teneri ratione scandali se gerere vt talem coram eis, quibus excommunicatio lata nota est, & innocentia ignota; ex vi tamen excommunicationis, vt-pote inualidæ, non tenetur, ac proinde celebrando etiam coram prædictis, & publicè, non fiet irregularis, quia quamuis teneatur abstinere, non tamen ex vi excommunicationis, de quo latius diximus Tract. de Censuris in communi, Difficultate XXIV.

DIFFICULTAS IV.

Vtrum appellatio legitima impediatur incursum Excommunicationis maioris.

10 **C**onueniunt Primò Doctores, appellationem legitimam (id est, ex rationabili causa) factam, antè quam Iudex absolutè ferat excommunicationem ipso facto ob peccatum iam factum, impedire incursum excommunicationis maioris (nisi quando Iudici concessum est, vt non obstante appellatione procedat in causa) vt constat ex cap. *Pastoralis*. § 3. de Appellationibus, in 6. quia, vt dicitur in hoc cap. per appellationem à puncto appellationis eximitur quis, quoad eum articulum, à potestate Iudicis, & eius potestas dormitat; & vt dicitur in cap. *Si à Iudice*. 10. eodem tit. eius iuris-

dictio suspenditur: ergo latio excommunicationis post appellationem factam, est nulla, vt-pote facta à non Iudice, seu à Iudice suspenso & dormitante.

Et ob eandem rationem, vt optimè Couarruias 1. p. §. 10. & communiter Doctores, appellatio post lationem excommunicationis sub conditione siue expressa, siue tacita transgressionis futuræ (vt quando dicitur, *solve, vel si non solueris intra tres dies, &c.*) interposita ante impletionem conditionis, id est ante factam transgressionem, impedit incursum excommunicationis latæ sub illa conditione, quia scilicet à puncto appellationis sistit latio excommunicationis ex defectu iurisdictionis expeditæ in Iudice; ac proinde perfici nequit impletione conditionis. Appellatio autem facta à latione excommunicationis latæ sub conditione futuræ transgressionis, fieri potest etiam post decem dies à puncto lationis excommunicationis quousque impleatur conditio; quia quousque impleatur, non est perfecta sententia excommunicationis, ac proinde non comprehenditur sub Iure præscribente decem dies ad appellandum intra eos à sententia, quia terminus iste præscribitur pro appellatione à sententia absolutè & simpliciter tali, ac proinde pro appellatione à sententia perfecta & absoluta.

Ita tamen appellatio legitima interposita ante lationem excommunicationis, siue à sui principio absolutam, siue postea factam talem impletione conditionis, impedit incursum excommunicationis, vt etiam impediatur, etiam si appellatio intra tempus præscriptum ad sequendam appellationem, omnino deferatur, aut ei renuntietur, vt exprimitur in cap. *Licet*. 14. de Sententia excomm. in 6. quia appellatio interposita ante sententiam absolutam ab ipso puncto appellationis impedit ne perficiatur, si lata fuit sub conditione ante appellationem; & impedit valorem sententiæ, si fuit omnino seu absolutè lata post appellationem ob defectum iurisdictionis expeditæ in Iudice, quia à puncto appellationis iurisdictionis impeditur.

Quòd si appellatio non sit legitima, seu ex rationabili causa, non impedit incursum excommunicationis, nisi admittatur à Iudice, quia appellatio fuit nulla: si tamen admittatur, impedit non tam vi sua, quam voluntate Iudicis illam admittentis, seu se eximentis ab eo articulo.

Conueniunt Secundò Doctores, appellationem factam post sententiam excommunicationis latam, & absolutam siue à principio, siue impletione conditionis, quamuis factam intra ipsos decem dies, non impedire incursum illius (quamuis deoueat causam ad Iudicem superiorem ad quem appellatur) vt constat ex cap. *Is cui*. 20. de Sententia excomm. in 6. & supponitur in dicto cap. *Pastoralis*, quia, vt in eo cap. dicitur, excommunicatio lata secum trahit executionem, ac proinde semel absolutè lata incurritur, seu executioni mandatur: imò, vt in eodem dicitur, nec impedit denuntiationem excommunicationis latæ faciendam. Appellatio tamen à sententia declaratoria excommunicationis non solum deouit causam ad superiorem, sed etiam suspendit eam sententiam, quia sententia declaratoria non secum trahit executionem. Id autem, quod dictum est de appellatione, dicendum etiam est de recusatione Iudicis excommunicantis, quia eadem est ratio.

DIFFICULTAS V.

*Vtrum consensus partis impediatur incur-
sionem Excommunicationis sub con-
ditione lata.*

14

Supponimus, consensum partis, in cuius fauorem lata est excommunicatio sub conditione futurae transgressionis, absolutè præstitum, eam ante impletionem conditionis omnino impedire absque consensu Iudicis, v.g. consensum creditoris, ad cuius instantiam lata est excommunicatio contra debitorem, si non soluat intra tres dies, omnino impedire incursum excommunicationis absque consensu Iudicis, si intra eos tres dies omnino remittat debitum.

Est tamen difficultas, An consensus partis prorogantis terminum præfixum à Iudice impediatur ad tempus, seu suspendat incursum excommunicationis absque nouo consensu Iudicis ultra terminum à Iudice præfixum.

Angelus.
Henriquez
Suarez.

Circa quam, vt contra Nauarrum, Siluestrum, & Hugolinum optimè Angelus v. *Excommunicatio*. l. num. 20. Henriquez lib. 13. cap. 2. & Suarez disp. 3. sect. 6. existimamus suspendere, quia excommunicatio non incurritur nisi ob contumaciam, quæ non reperitur quando pars consentit, quòd non fiat v.g. solutio intra terminum à Iudice præfixum, sed contenta est quòd fiat intra terminum ab ipsa parte prorogatum, quia intra terminum prorogatum non peccat non soluendo,

quod solum præcipit Iudex, & sub ea excommunicatione.

Addimus, vt contra Angelum, Siluestrum, Nauarrum & Henriquez aduertit Suarez, elapso termino à parte prorogato incurri excommunicationem absque nouo consensu Iudicis ex vi præcepti à principio facti, & lationis excommunicationis ei annexæ, quia Iudex qui præfixit terminum (v.g. trium dierum) vt intra illum fiat aliquid (v.g. solutio) non præfixit illum ad finiendum intra illum suum præceptum, & lationem excommunicationis ei annexæ, sed tantum ad finiendam permissionem aut licetiam differendi impletionem sui præcepti: ergo etiam post terminum à Iudice præfixum, & post terminum à parte prorogatum, perseverat præceptum Iudicis, & annexio excommunicationis; ac proinde ex vi lationis excommunicationis in principio factæ absque nouo consensu Iudicis, incurritur excommunicatio, non quia pars directè & potestatiuè differat præceptum & lationem excommunicationis, sed quia differendo, seu suspendendo obligationem naturalem in actu secundo (v.g. soluendi) cui Iudex præcepit satisfieri à debitore, consequenter & indirectè differt & suspendit præceptum Iudicis, & lationem excommunicationis ei annexæ.

15

Resipiscenciam quoque efficacem consilij aut mandati, aut inchoationis operis, aut ipsius operis cui annexa est aut annectitur excommunicatio, siue Iure siue præcepto, siue sententia, habitam ante incursum excommunicationis, impedire incursum illius, constat ex Tractatu de Censuris in communi, Difficultate xv.

16

DISPUTATIO XIV.

De absolute ab Excommunicatione maiori.

DIFFICULTAS I.

*Vtrum Excommunicatio possit auferri, aut
desinere esse absque absolute.*

1

DIFFICULTAS hæc procedit de ablatione excommunicationis ab excommunicato manente viuo: quia si moritur, sola ipsa morte, absque absolute aliqua, desinit esse propriè excommunicatus; quia iam defunctus nequit præceptis & vinculis Ecclesie militantis esse ligatus, etiam si dicatur impropiè & indirectè excommunicatus manere, quia alij fideles sunt prohibiti pro eo Sacrificium offerre, & corpus eius Ecclesiasticè sepelire, antequam absoluat, vt constat ex cap. *A nobis*. 28. de Sententia excomm. Et quamuis excommunicatus sui morte desinat esse propriè excommunicatus, non tamen morte excommunicantis: nec ex eo quòd aliter desinat esse sub iurisdictione illius; quia quamuis inflictio excommunicationis maioris pendeat à iurisdictione excommunicantis, non tamen perseverantia illius iam inflictæ, quia tantum perseverat sua natura, seu institutione qua creata & instituta est ab Ecclesia.

2

Procedit ergo difficultas de ablatione excommunicationis excommunicati manentis viui, an possit

absq; absolute auferri, aut desinere esse; & non procedit, quando excommunicatio fuit absolute lata & incurta, quia tunc certum est non posse absolute auferri; sed tantum procedit, quando excommunicatio fuit lata vsque ad aliquem certum diem, vel vsque ad aliquem actum, vt quando dicitur, *Excommunico te vsque ad diem Dominicum*, vel *vsque ad satisfactionem*; an tunc sit necessaria absolute, an non, sed ipsa ex se ipsa cesset finito tempore, vel facto eo actu.

Circa quam Glossa in Clement. I. de Decimis, & *Glossa Nauarrus*. c. 27. n. 165. docent, etiam tunc non auferri absque absolute (quod etiam tenet Siluester, quoad excommunicationem latam à Iudicibus Papa inferioribus) quia in Iure reperitur forma absolute præscripta ad auferendam excommunicationem, ergo absque ea nequit excommunicatio auferri.

Couarruias verò l. p. §. 11. Vasquez dub. 18. *Aegidius* disp. 14. nu. 219. & communiter Doctores docent, excommunicationem in casu dicto, à quocumque sit lata, cessare ex se ipsa absque absolute finito tempore, vel facto opere vsque ad quod lata fuit, & merito: quia excommunicatio maior est pœna lata à Iure, vel à Iudice: ergo non durat amplius quam vult inflictor ipsius: quod etiam ob eandem rationem contingit in suspensione & interdicto.

3
Couarruias.
Vasquez.
Aegidius.

Et addimus contra Vasquez & Ægidium, eo modo excommunicandi non fieri implicite absolutionem, sed tantum ferri excommunicationem usque ad eum terminum absque prolongatione ex voluntate excommunicandi usque ad illum terminum, cum carentia voluntatis prolongandi excommunicationem post illum terminum: quod in rigore non est excommunicationem auferre, & ab ea absolueri, sed tantum est eam non prolongare, & idem cessat non ex voluntate positua eam auferendi, sed ex defectu voluntatis eam prolongandi, quia absque voluntate excommunicantis nequit prolongari.

4 Forma autem absolutionis ab excommunicatione in Iure reperta tantum est pro excommunicatione absolute & absque termino lata.

DIFFICULTAS II.

Vtrum absolutio ab Excommunicatione possit fieri sub conditione.

5 COnueniunt Doctores, absolutionem ab excommunicatione maiori posse fieri sub conditione de praterito, aut de presentia, & eo modo quotidie absoluius ante absolutionem a peccatis, dicendo, *In quantum possum, absoluo te a vinculo excommunicationis maioris & minoris, si forte incurristi, & teneris.* Est tamen difficultas, An possit fieri sub conditione de futuro, verbi gratia, *si solueris intra mensem.*

Antonin. Siluest. r. Antoninus 3. p. tit. 24. c. 27. & Siluester v. Absolutio. 3. num. 1. docent, absolutionem sic factam esse illicitam & nullam, quia absolutio Sacramentalis a peccatis, cui videtur æquiparanda, sic facta, est illicita & nulla.

Anila. Anila 2. p. c. 7. disp. 3. dub. 15. docet, absolutionem sic factam esse illicitam, quia est contra rationem, quod maneat in suspensio: esse tamen validam, utpote nullo Iure irritam.

Vasquez. Suarez. Ægidius. Vasquez verò dub. 18. Suarez disp. 7. sect. 8. & Ægidius disp. 4. nu. 218. docent (& merito) posse validè & licitè fieri. Posse autem validè fieri, probatur, quia absolutio sic facta nullo Iure irritatur: ac proinde impleta conditione sub qua fuit facta, habebit effectum tollendi excommunicationem. Et quod possit licitè fieri, probatur, quia nullo Iure prohibetur, quia non positiuo, cum nullum extet, nec naturali, quia sic absolueri non est contra rationem, sicut nec excommunicare sub conditione.

6 Absolutio tamen a peccatis sub conditione de futuro facta, est nulla, quia ex Christi institutione vis Sacramentalis est annexa ipsi prolationi verborum positæ in rerum natura, absque potestate detinendi seu suspendendi effectum Sacramentalem post positionem prolationis: hæc autem nequit pendere a futuro, & esse suspensa (sicut nec actio lauandi) etiam si intentio, ex qua procedit, & quæcumque alia actio voluntatis possit elici circa obiectum, ei annectendo conditionem de futuro; ac proinde si quando prolatio verborum finitur, non sunt posita omnia requisita, etiam impletio conditionis, nihil fiet, quia effectus Sacramentalis nequit differri post positionem actionis, cui est annexus a Christo.

DIFFICULTAS III.

Vtrum vt absolutus ab Excommunicatione ad reincidentiam in eam reincidentat, sit necessaria noua culpa.

7 SUpponimus, quod quamuis excommunicatio maior nequeat in se ipsa in rigore suspendi ipsa perseverante, quia ipsa formaliter consistit in priuatione communionis fidelium, ac proinde si ipsa perseverat, & afficit hominem, nequit homo non esse priuatus communionem fidelium; sententia tamen ipsa, qua excommunicatio fertur, seu imponitur, potest ad tempus suspendi, quoad ipsam excommunicationem, quæ est effectus ipsius sententiæ in genere causa, aut causationis efficientis moraliter, & suspendi potest ab eo, qui eam potest absolute & totaliter auferre & extinguere; quia nullo Iure cauta est dicta suspensio, id tamen non tollit sententiam excommunicationis secum trahere executionem: quia secum trahere executionem nil aliud est, quam quod, vt executioni mandetur, seu infligatur, nõ sit necessaria aliqua alia coactio, aut actio iudicis, sicut est necessaria ad executionem pænæ mortis, aut alterius corporalis; non verò quod sententia semel lata non possit suspendi a suo effectu, quia verè potest, sicut & omnino extingui; ex eo autem, quod sententia excommunicationis suspendi potest, quoad ipsam excommunicationem, etiam dici potest, quod excommunicatio suspendi possit; quia eo tantum significatur excommunicationem cessare ad tempus suspensione suæ sententiæ. Quod autem dictum est de excommunicatione, & eius sententia, quoad suspensionem earum, etiam est verum de aliis duabus censuris.

Hoc ergo supposito, absolutio ab excommunicatione ad reincidentiam dicitur, qua quis non absoluitur omnino & simpliciter ab illa. Quæ potest dupliciter fieri: vno modo, ad determinatum tempus, absque vlla conditione; vt quando quis absque vlla conditione absoluitur ad tres dies his verbis, *Absoluo te ab excommunicatione ad tres dies,* & tunc sic absolutus eo tempore transacto iterum incidit in eam, quod quotidie fit ex consensu partis: altero modo fieri potest absolutio ad reincidentiam ad determinatum tempus absque vlla conditione, & ultra illud tempus ad totum reliquum & subsequens, sub conditione faciendi aliquid intra illud prius tempus, & si id absolutus non faciat, reincidentat in eandem excommunicationem, his verbis, *Absoluo te ab excommunicatione, ita vt si intra tres dies non soluas, incidas iterum in eandem excommunicationem.*

9 Hoc supposito, Doctores Primò conuenire videntur, absolutum ab excommunicatione ad reincidentiam priori modo, nempe ad tempus determinatum, absque vlla conditione, iterum incidere in eam, eo transacto, absque noua culpa, ob antiquam, ex vi prioris sententiæ, sicut ex vi eiusdem perseveraret, si sententia ipsa aut excommunicatio non suspenderetur (sicut ille cui auferitur pænæ exilij ad certum tempus, absque vlla conditione, in eam reincident, eo transacto, absque noua culpa, ob antiquam ex vi prioris sententiæ: quia absolutione sic facta, non extinguitur omnino sententia aut excommunicatio ex vi prioris sententiæ lata, sed tantum suspenditur ad certum tempus; ac proinde

DIFFICULTAS IV.

Quæ forma sit necessaria ad absolutionem ab Excommunicatione.

16 **S**upponimus, ad validam absolutionem non sufficere voluntatem absoluentis, si absolutio non exprimat signum aliquo exteriori, quia absque expressione exteriori, forma absoluentis non est humana, ac proinde nec potens habere effectum absolutionis, qui est humanus.

Hoc ergo supposito, conueniunt Primò Doctores, ad formam absolutionis ab excommunicatione sufficere quæcumque signa exteriora (quamuis non sint verba) quibus sufficienter significetur absolutio: quia ex natura rei sufficiunt quæcumque signa exteriora, & aliàs Iure positio nulla præscribuntur, vt necessaria ad valorem absolutionis; ex consuetudine tamen absolutio fit verbis eam sufficienter significantibus, & non aliis signis, contra quam consuetudinem nequit absque necessitate licite fieri, præsertim inter præsentem: id tamen non existimarem illicitum mortaliter.

Conueniunt Secundò Doctores, carimonias præscriptas ad absolutionem pro foro iudiciali in cap. *A nobis*. 28. de Sent. excomm. non esse necessarias ad valorem absolutionis, quia non est Iure præscriptum esse sic necessarias; vt tamen absolutio in foro iudiciali licite fiat, standum est consuetudini loci vbi fit absolutio: earum tamen omisio, etiam vbi sunt in vsu, non videtur mortalis, nisi in solemnibus aliqua absolutione ad Ecclesiæ satisfactionem facta. Addidimus *præscriptas pro foro iudiciali*; quia pro foro conscientie non videntur necessariae, adhuc vt absolutio licite fiat: ante absolutionem tamen etiam in foro conscientie faciendam exigendum est iuramentum ab excommunicato, quod amplius non committer tale crimen, vt deducitur ex cap. *Ex tenore*. 10. & ex cap. *De cetero*. 11. de Sententia excomm. quamuis non nisi in criminibus horrendis (vt in incendiis, & in grauibus percussionibus Clericorum) vt contra nonnullos docent Henriquez l. 13. c. 18. Auila 2. p. c. 7. disp. 2. dub. 3. & Egidius disp. 14. dub. 16. quia de eis criminibus est tantum sermo in Iure.

Henriquez
Auila.
Egidius.

DIFFICULTAS V.

Utrum possit quis absolui ab Excommunicatione incurfa ob iniuriam alteri factam, non satisfacta parte.

18 **C**onueniunt Primò Doctores, excommunicatum ob iniuriam seu iniustitiam alteri illatam, non posse licite absolui etiam à suo Ordinario, nisi prius satisfaciatur parti (si possit, & absque graui detrimento) vt deducitur ex c. 2. de Sententia excomm. in 6. & ex cap. *Ex parte*. 23. de Verborum significatione.

Conueniunt Secundò, excommunicatum, qui non potest satisfacere saltem absque graui detrimento, posse licite absolui à Iudice ordinario, & etiam à Iudice ex priuilegio, quando in eo non additur, quod fiat absolutio satisfacta parte, & etiam à quocumque in articulo mortis, si præstet pignus, aut fidei iussorem, prout maluerit, aut si neutrum possit, si iuret quod satisfaciet statim ac possit, abs-

que graui detrimento: quia ex vna parte in quocumque absolvente ex tribus dictis est iurisdictio, aliàs absque limitatione ad absoluendum ab excommunicatione; & ex altera, dicto excommunicato est debita absolutio, quia omnino cessauit in eo contumacia, cum sit paratus exhibere omnem satisfactionem quam potest, & amplius non requiritur.

Est tamen difficultas Primò, An quando absolutio facienda est à delegato ex priuilegio (& idem est ex commissione peculiari) quando in eo additur quod fiat absolutio satisfacta parte, vt additur in Bulla Cruciatæ, possit excommunicatus absolui, si re ipsa non est facta satisfactio, quia non possit fieri, aut quia non possit absque graui detrimento, si facta est sufficiens cautio, pignoriatiua videlicet, aut fidei iussoria, aut quando neutra fieri possit, si facta sit iuratoria.

Sotus in 4. dist. 22. q. 2. art. 3. & Corduba Tract. de Indulgentiis, q. 43. docent, non posse licite neque validè absolui, quia dicta absolutio esset à non Iudice, quia ei data est iurisdictio non absolute, sed cum ea limitatione, nempe satisfacta parte.

Vasquez verò dub. 20. Henriquez lib. 13. c. 28. Auila 2. p. c. 7. disp. 3. dub. 8. & Egidius disp. 14. dubio 26. docent posse validè & licite absolui, & merito: quia ea additio de satisfactione partis intelligitur, quando fieri potest, & absque graui detrimento, sicut etiam intelligitur pro eis qui Iure communi in articulo mortis absoluuntur, qui licite & validè absoluuntur, quamuis non sit facta satisfactio, quando fieri non potest, aut absque graui detrimento; quia verba priuilegij accipienda sunt sicut & Iuris communis, quòd in priuilegio non adhibentur speciali cautela, quod non fit in Bulla Cruciatæ, nec in similibus priuilegiis.

Quòd si absolutus virtute Bullæ Cruciatæ, aut alterius priuilegij Pontificij, non satisfacit cum primò possit, iterum incidit in eadem excommunicationem, vt aduertit Vasquez ex cap. *Eos qui*. 22. de Sententia excommunic. in 6. non verò ille, qui absolutus fuit à Iudice ordinario, potente eum extra articulum mortis, & nullo existente impedimento, absoluere, etiam si potens non satisfaciatur, quia iste nullo Iure, adhuc dicti cap. *Eos qui*, in eam reincident.

Secundò est difficultas, An excommunicatus validè absoluator, quòd non est facta satisfactio, & commodè fieri potest. Supponimus etiam ab Ordinario illicitè absolui, vt diximus in principio Difficultatis; & deducitur ex proximè dictis cap.

Circa difficultatem ergo conueniunt Doctores, posse validè absolui ab Ordinario Iudice, quia iste habet potestatem absque limitatione ad absoluendum: & ob eandem rationem etiam à delegato, cui absque priuilegio generaliter delegata & commissa est potestas simpliciter, nulla addita limitatione, ad absoluendum, & etiam ab eo cui delegata est potestas ad absoluendum, etiam si in commissione addatur, *Prius satisfacta parte*, si subdatur, & aliter non absoluat, quia his verbis subditis denotatur non irritari, sed tantum prohiberi absolutionem, & inualidè absolui, quando in commissione subditur, *aliàs absolutio sit nulla*.

Est ergo difficultas, An validè absoluator à delegato ex priuilegio (& idem est ex commissione peculiari) quòd in priuilegio simpliciter additur, *satisfacta parte*, absque verbis, quibus denotatur nullitas, aut

19

Sotus.
Corduba.Vasquez.
Henriquez
Auila.
Egidius.

20

Vasquez.

21

22

aut valor absolutionis, vt delegatur virtute Bullæ Cruciatæ, & aliorum priuilegiorum.

Vasquez. dub. 20. Suarez disp. 7. sect. 5. & Egidius nu. 211. docent, non absolui validè; quia credendum non est, superiorem ordinariam potestatem adeò amplam delegato concedere, vt contra dispositionem Iuris in duobus illis capitibus absoluat; aliàs eam sic amplam delegans peccaret, quod non est præsumendum de delegante.

Auila. verò 2. p. cap. 7. disp. 3. dub. 9. & alij, quos ipse refert, docent, validè absolui ab eo delegato (quod probatissimè iudicat Sancius l. 3. disp. 33.) & meritò; quia prædictis verbis ei conceditur potestas simpliciter absq; limitatione; quia dicta additione, nempe *satisfacta parte*, non limitatur delegato potestas, sed admonetur vt seruet formam Iuris communis, quam etiam delegans seruare debet; quia verba priuilegij accipièda sunt sicut verba Iuris communis, quando in priuilegio non adhibentur speciali cautela, vt non adhibentur in Bulla Cruciatæ, nec in similibus priuilegiis. In Iure autem communi dicta verba non irritant absolutionem, etiamsi eam illicitam reddant, ergo nec in priuilegio; ac proinde in priuilegio addita, tantum admonent delegatum de obligatione Iuris communis: vnde multò meliùs erit valida absolutio facta à delegato, quando in priuilegio conceditur facultas simpliciter, nullo addito: in quo contra Ledesnam conueniunt communiter Doctores, nec in eo delegans præiudicat parti læsæ, cum deleget sub obligatione seruandi formam Iuris communis, sicut nec præiudicat qui confert officium Ordinariorum, ex quo conuenit potestas adeò ampla, vt absolutio supra dicto modo facta sit valida.

Auila. Egidius. Addimus, vt optimè Auila & Egidius, eum, qui absque dicta satisfactione, aut cautione absoluit excommunicatum, teneri ad restitutionem damni inde secuti parti læsæ; quia absoluens teneretur ad non absoluendum ante prædicta, attendendo ad fauorem partis læsæ, vt deducitur ex dictis duobus capp. 2. de Sententia excommunicationis, in 6. & ex 28. de Verborum significatione.

23 Observandum est, nominatim excommunicatum ab homine, aut excommunicatum à Iure, excommunicatione iam deducta ad forum iudiciale, & lite pendente, non posse validè absolui, adhuc pro foro conscientie, virtute priuilegij absoluendi ab excommunicatione ab homine & à Iure lata (vt conceditur virtute Bullæ Cruciatæ, & cõcessum est Mendicantibus) vt cõtra Auilam dub. 10. aduertit Vasquez nu. 8. quia non est credendum, dicta priuilegia ad id concedi: aliàs perturbaretur tribunal Iudicis, si verè, & quoad Deum, reus absolueretur. Quod intelligimus, quamuis reus sit in loco, in quo excommunicatio, & lis est ignota, si lis nondum cessauit, & quamuis consentiat pars, & quâuis sit notabilis aliqua necessitas. Virtute ergo dicti priuilegij tantum potest validè absolui ille excommunicatus ab homine & à Iure, eum quo non est lis, vel quia numquam fuit, vel quia si fuit, iam cessauit, vt contingit quando excommunicatus tantum est excommunicatus generaliter, siue ab homine siue à Iure, & etiam quando est specialiter ab homine, si excommunicatio lata fuit pro peccato futuro, & non est declaratus excommunicatus, & lis cessauit, quia absolute in his casibus non perturbatur tribunal Iudicis.

DIFFICULTAS VI.

Qua ratione pluribus Excommunicationibus ligatus absoluetur ab illis.

25 Supponimus, excommunicatum pluribus excommunicationibus posse absolui ab vna, absque eo quòd absoluetur ab aliis, quia non sunt connexæ quoad ablationem, sicut sunt peccata mortalia.

Secundò supponimus, quòd si quis sit à diuersis Iudicibus excommunicatus, & consequenter diuersis excommunicationibus, nequit validè absolui ab omnibus excommunicationibus, nisi ab omnibus illis Iudicibus, & non ab vno tantum, nisi ab illis habeat commissionem, aut sit illis superior.

26 Tertiò supponimus, absoluentè, quamuis ignarum excommunicationis rei, validè absoluerè, si habeat animum absoluendi ab illa, si fortè sit: & ipsum reum etiam ignarum suæ excommunicationis validè absolui, imò & inuitum, quamuis cõtumacia, ob quam lata est excomunicatio, perseueret actualiter, vt quando lata est ob retentionem bonorum alienorum, & non sunt restituta: nisi quando contumacia est cõtra Ius seu legem excommunicantè, quam absoluens nequit tollere; quia tunc etiamsi excommunicatus velit absolui, & alter absoluerè, absolutio est nulla, quia lex illa continuò excomunicat ob contumaciam illam actu perseuerantem. Et idem est, quando contumacia est contra præceptum excomunicans, quod nondum cessauit quòd fit absolutio. Sed quamuis absolutio possit inuito conferri, collata tamè ab inuito Iudice, coacto vi aut metu, est nulla dispositione Iuris in cap. unico, de His quæ vi metùve causa fiunt.

His ergo suppositis, dicendum existimamus, eum, qui verbis communibus & indefinitis, nempe, *Absoluo te à vinculo excommunicationis*, seu *ab excommunicatione* (vt fieri solet ante absolutionem à peccatis) absoluit reum pluribus excommunicationibus ligatum, si habeat animum expressum absoluendi ab omnibus à quibus validè potest, verè ab omnibus absoluerè reum, etiamsi reus nullam exprimatur, omnes spontè tacendo, aut tantum exprimatur vnâ, reliquas spontè tacendo; quia absolvens habet potestatem ad id, & verè vult, & id efficit verbis, quibus id sufficienter significatur, & silentium, imò & resistentia excommunicati, non obstat valori absolutionis.

27 Addidimus Primò, absoluentem verbis communibus & indefinitis; quia si absoluat verbis singularibus, vnâ tantum excommunicationem significatibus, nempe, *Absoluo te ab hoc vinculo excommunicationis*, seu *ab hac excommunicatione*, non absoluit, nisi ab excommunicatione explicata ab excommunicato, & non ab aliis excommunicationibus; & si nullam explicauerit, excommunicatus à nulla absoluitur, si habeat plures; quia non est maior ratio, quare absoluat ab vna, quàm ab alia: bene tamen si tantum habeat vnâ.

28 Addidimus Secundò, si habeat animum expressum absoluendi ab omnibus; quia si non habeat animum sic expressum, sed talè vt coniecturâ sit conijciendus, censendum est absoluentem verbis communibus, eum, qui pluribus excommunicationibus est ligatus, absoluerè ab excommunicationibus

expressis ab excommunicato, & etiam à naturaliter oblitis, & etiam ab excommunicationibus bona fide tacitis, dum oblitæ, vel bona fide tacitæ, possint licitè auferri ab absolvente, vt possunt, quando non prærequirunt satisfactionem, aut cautio-

nem, aut si prærequirunt, iam est facta; non verò ab excommunicationibus mala fide tacitis, nec ab illis à quibus nequit licitè: de hac tamen re legendi sunt Vasquez dub. 18. Auila 2. p. c. 7. disp. 2. & Egidius disp. 14. à n. 221.

Vasquez.
Auila.
Egidius.

DISPUTATIO XV.

De potente absoluere ab Excommunicatione maiori.

DIFFICULTAS I.

Utrum Clericus non Sacerdos possit absoluere ab Excommunicatione maiori.

SUPPONIMVS, omnem Sacerdotem habentem iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori seu iudiciali, siue ordinariam siue delegatam, posse absoluere ab excommunicatione maiori. Qui autem sint qui eam habeant, diximus Disput. XII. Difficultate I.

Hoc ergo supposito, Primò est difficultas, an Clericus non Sacerdos, qui habet iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori seu iudiciali, & qui eo ipso in eo foro potest excommunicare, & ab excommunicatione absoluere, possit etiam verè quoad Deum, & in foro interno conscientie absoluere ab excommunicatione.

2 Siluester v. *Absolutio*. 1. §. 3. casu 5. & non pauci Canonistæ docent, non posse absoluere verè, & quoad Deum; quod deduci videtur ex cap. *Canonica*. 50. de Sententia excommunic. dum dicitur: *Statuentes, vt in tali casu per Priorem vestrum, qui Presbyter esse debet, fratribus vestris absolutionis beneficium impendatur.*

Antonin.
Covarri.
P. Auila.

Antoninus verò 3. p. titulo 24. cap. 77. Couarruias 1. p. §. 11. num. 9. P. Auila 2. p. cap. 7. disp. 1. docent, prædictum posse verè absoluere, & in foro conscientie, & meritò: quia Matth. 18. eis, quibus conceditur potestas verè ligandi, etiam conceditur potestas verè soluendi: Clerici autem, quamuis non Sacerdotes, iure communi capaces sunt iurisdictionis Ecclesiasticæ in foro exteriori seu iudiciali, qua sicut verè & quoad Deum possunt ligare, ita etiam verè & quoad Deum possunt absoluere.

3 In dicto autem cap. *Canonica*, ideò requiritur Presbyter ad absoluendum ab excommunicatione, quia in eo etiam est sermo de absolutione à culpa reseruata Pontifici, ob quam incurta est excommunicatio; à culpa autem nullus, qui non sit Presbyter, potest absoluere.

Secundò est difficultas, An Clericus non Sacerdos, nullam habens iurisdictionem in foro exteriori, possit existentem in articulo mortis ab excommunicatione absoluere. Supponimus enim, quemcumque Sacerdotem posse in articulo mortis absoluere ab omni excommunicatione, quando deficit qui extra eum articulum potest, vt dicemus Difficultate III.

Siluester.
Angelus.

Circa difficultatè ergo Siluester v. *Absolutio*. 1. n. 4. & Angelus v. *Absolutio*. 3. n. 57. partè affirmatiuam tuentur, quia Ecclesia potest eam facultatem concedere; ergo, cum sit pia mater, eam concedit.

Suarez verò disp. 7. sect. 7. Vasquez dub. 18. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò: quia ea potestas nullo iure, nec scripto, nec consuetudine habito, aut constante, concessa inuenitur, nisi solis Sacerdotibus, & solùm eo fine vt à peccatis absoluant; quia absolutio à peccatis est maximè necessaria ad saluationem, non verò absolutio ab excommunicatione; quia excommunicatio ratione sui non impedit saluationem, imò id quod post mortem manet excommunicationis, auferri potest post ipsam mortem. Vnde non est contra pietatem Ecclesie, quòd eam non concedat non Sacerdotibus.

Quòd verò potestas ad absoluendum ab excommunicatione in eo articulo concessa cuicumq; Sacerdoti sit ob absolutionem à peccatis, non tollit quin ea semel concessa possit vt Sacerdos, quamuis aliquando ob aliquas circumstantias nequeat à peccatis absoluere, vt si excommunicatus in eo articulo nequeat signa contritionis conferre.

DIFFICULTAS II.

Quis possit absoluere ab Excommunicatione maiori lata à Iure, non reseruata.

CONVENIUNT Doctores, ab excommunicatione lata à Iure siue Pontificio siue Synodico, quamuis à Papa confirmato, non reseruata, posse Episcopum absoluere. Quod efficaciter deducitur ex cap. *Nuper*. 29. de Sententia excommunic. quia, vt ibi dicitur, quando canonis conditor absolutionem sibi non reseruatur, eo ipso videtur concedere aliis facultatem relaxandi. Et quamuis in eo cap. tantum sit sermo de excommunicatione minori, ratio tamen dicta, & ibi adducta, etiam est pro maiori: & cum ea ratio tantum deseruiat Pontifici ad declarandam voluntatem excommunicantis, & non ad decernendum; ideò vbi eadem sit ratio, idem est dicendum. Is tamen, qui cum iam excommunicato nominatim communicat in crimine ob quod excommunicatus est, quamuis iure ipso excommunicetur, tamen quoad absolutionem censetur excommunicatus nominatim ab homine, ab eo videlicet qui excommunicauit illum cum quo in crimine iam damnato communicauit; & ideò solùm est absoluendus ab eo qui alterum damnauit, aut ab eius superiore, vt dicitur in dicto cap. *Nuper*.

Nomine autem Episcopi, quem dicimus posse absoluere ab excommunicatione non reseruata, lata à Iure, comprehenditur omnis qui habet iurisdictionem Episcopalem.

Est tamen difficultas, An Sacerdos parochialis etiam

etiam possit absolvere à dicta excommunicatione Iuris non reservata.

Paludan. Couarru. Paludanus in 4. dist. 18. quæst. 5. artic. 1. Couarruuias 1. par. §. 12. numero 5. & plures alij partem negatiuam tuentur, quia Parochus non habet ex suo officio iurisdictionem in foro exteriori, quæ necessaria est ad absolutionem ab excommunicatione maiori.

Nauarrus. Vasquez. Auila. Egidius. Nauarrus verò cap. 27. num. 39. Vasquez dubio 19. Auila 2. par. cap. 27. disput. 1. dub. 4. & Egidius dub. 16. partem affirmatiuam tradunt, & merito: quia in dicto cap. *Nuper.* quoad hoc æquiparantur Episcopus & proprius Parochus. Et quidem eo ipso quod excommunicatio non reservatur, eius absolutio committi videtur ei, qui aliàs potest à peccato, cui annexa est, absolvere, vt non impediatur absolvere à peccato à quo aliàs potest; quia ad absolutionem à peccato prærequisita est absolutio ab ea excommunicatione, ob quod etiam Confessarius ordinarius non Parochus potest à dicta excommunicatione Iuris absolvere, vt aduertunt Nauarrus, Vasquez, Auila, & Egidius.

Nauarrus. Vasquez. Auila. Egidius. Quod autem ab aduersariis dicitur, ad absolutionem ab excommunicatione esse necessariam iurisdictionem exteriorem ex officio, absque fundamento est; quia ad absoluendum ab ea, sufficit concessio potestatis exterioris ad id, tantum ex voluntate interpretatiua excommunicantis non reservantis eam absolutionem, declarata à Pontifice in eo cap. *Nuper.* siue potestas hæc contentiosa partialis, ad absoluendum videlicet, & non ad ligandum, dicatur ordinaria, vt à nonnullis dicitur, siue delegata, vt dicitur ab aliis.

Absolutio autem à dicta excommunicatione maiori non solum ab Episcopo potest fieri extra confessionem, sed etiam à proprio Parocho, & à Confessario ordinario, etiam si prædictis remittatur ob absolutionem à peccatis, seu in ordine ad eam: quia potest quis vt potestate sibi concessa quoad aliquid, & nolle vt ea in totum, vt etiam dicemus Difficul. v. de absolutione ab excommunicatione facta virtute Bullæ Cruciatæ, aut alterius similis priuilegij.

8 Et in articulo mortis quicumque Sacerdos (etiam non approbatus, & excommunicatus non toleratus) potest à dicta excommunicatione absolvere, quando deficit qui aliàs extra eum articulum potest facere, vt constat ex Tridentino sess. 14. c. 7. eo tamen modo, quo generaliter dicemus de absolutione ab omni excommunicatione, Difficultate sequenti.

Trident.

DIFFICULTAS III.

Quis possit absolvere ab Excommunicatione lata à Iure reservata.

9 **C**onueniunt Doctores, ab excommunicatione à Iure reservata tantum posse absolvere eum cui est reservata, aut eius superiorem, aut eum cui ipsi commiserint; quia eo ipso quod reservatur, non conceditur facultas aliis inferioribus.

Pro articulo tamen mortis conceditur omnibus Sacerdotibus, quamuis excommunicatis & non toleratis, facultas ad absoluendum ab omni ex-

communicatione (etiam ab homine, & specialiter lata) quando deficit qui aliàs extra eum articulum id potest facere, vt patet ex Tridentino sess. 14. c. 7. *Trident.* sub conditione tamen, aut sub onere comparandi coram eo à quo extra eum articulum erat absolvendus, vt generaliter dicitur in cap. *Eos qui.* 22. de Sententia excommunicationis, in 6. exigendo tamen prius ab excommunicato (exceptis pueris) iuramentum comparandi, vt aduertunt Sancius in *Sancius.* Summa lib. 2. cap. 13. nu. 26. & Egidius nu. 236. *Egidius.* vt pro absolutione ab excommunicatione ob percussione Clerici exprimitur in cap. *Nos scitur.* 13. & in cap. *Quamuis.* 58. de Sententia excommunicat. quod etiam Doctores extendunt ad quascumque alias excommunicationes, adhuc Pontifici reservatas.

Episcopis quoque conceditur facultas absoluendi à quacumque excommunicatione Pontifici reservata, quando excommunicatus est legitime impeditus adire summum Pontificem, siue ætate senili, siue impubertate, siue infirmitate, siue inimicitia capitali periculosa, siue fragilitate sexus, siue cura familiarum, siue quia est sub cura parentum, siue paupertate in eo qui non solet mendicare, siue quocumque alio impedimento ad arbitrium prudentis sufficienti, quamuis possit ad Pontificem mittere, & non mittat, vt pro absolutione ab excommunicatione ob percussione Clerici dicitur in dictis capp. *Quamuis.* & *Ea noscitur.* quod Doctores extendunt ad quascumque alias excommunicationes reservatas, vt supponi videtur in dicto cap. *Eos qui.* sub conditione tamen, aut sub onere comparandi cessante impedimento (excepto impubertatis) & exigendo prius iuramentum comparandi, vt pro absolutione ab excommunicatione ob percussione Clerici exprimitur in dicto e. *Quamuis.* & à Doctoribus extenditur ad quascumque alias Pontifici reservatas.

10

Id verò quod addit Nauarrus cap. 27. num. 89. nempe, excommunicatum aliquo modo ex dictis impeditum, non posse absolui ab Episcopo, quando potest adire Legatum Pontificis, aut alium habentem priuilegium absoluendi, dicitur absque fundamento; quia nullibi, adhuc in dicto cap. *Quamuis.* amplius requiritur vt possit Episcopus, nisi quod non possit adiri Pontifex.

11

Nauarrus.

Deinde Episcopis per se, aut per Vicarios ad id specialiter deputatos, in Tridentino sess. 24. cap. 6. *Trident.* de Reformatione, conceditur facultas absoluendi suos subditos ab omnibus excommunicationibus reservatis occultis, etiam ab excommunicatione hæresi annexa, quamuis ab hac ipsis tantum per se ipsos. Quæ Henriquez 7. de Indulgentiis c. 13. Sancius in Summa libro 2. cap. 11. nu. 10. extendunt ad Episcopos respectu Religiosorum particularium ex licentia Prælati eorum, & respectu ipsorum Prælatorum voluntariè se subiicientium Episcopo, & non absque ratione; quia id est quid fauorabile Religiosis, quod non deperdunt per exemptionem quæ est ipsis fauorabilis.

Henriquez. Sancius.

Sed an nunc possit Episcopus vt dicta concessione Tridentini quoad casus Bullæ Cœnæ Domini, etiam hæresis, & quoad excommunicationes eis annexas, non conuenit inter Doctores; quia Henriquez libro 6. de Pœnitentia cap. 14. Pe-

12

Henriquez. Ledesma. Rodriguez. Lorca. alij Granado.

Ecc

Auila. alij docent, quòd possit, in quod inclinat Auila 2. parte, cap. 7. disputatione 1. dub. 6. & approbat *Aegidius.* *Aegidius* numero 243. quoad omnes casus, excepto *Tolernus.* hæresis. *Tolernus* verò in Summa, in Bulla Cœnæ *Azor.* *Excommunicatio* 14. ad finem, *Azor*, *Molina*, *Suarez* disputat. 21. sectione 4. & plures alij docent, quòd non possit vti dicta concessione, quia ei videtur derogari in vltima clausula Bullæ Cœnæ. Vtraque tamen pars non caret probabilitate, & non minus pars affirmatiua, etiam quoad casum hæresis, quam negatiua.

Tandem variis religionibus, & aliis variis personis conceditur facultas absoluendi ab omnibus excommunicationibus Papæ reseruatis, & per Bullam Cruciatæ conceditur, vt eâ habentes semel in vita, & iterùm in articulo mortis possint absolui à Sacerdotibus approbatis ab excommunicationibus Papæ reseruatis, etiam contentis in Bulla Cœnæ, excepta excommunicatione hæresi annexa.

13 *Obs*eruandum est, vt communiter Doctores, quòd quando generaliter conceditur facultas absoluendi ab omnibus casibus Papæ reseruatis, non comprehenduntur casus Bullæ Cœnæ; quia isti specialissimè reseruantur, vt patet ex vltima clausula dictæ Bullæ; ac proinde eorum reseruatio non censetur tolli generali concessione, quia, vt habetur in regula 81. Iuris in 6. in concessione generali non veniunt, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus: imò specialissima reseruatione casuum Bullæ Cœnæ Domini derogatur dictæ concessioni generali, quoad hos casus; quia, vt habetur in regula 34. in 6. generi per speciem derogatur, id est generali concessioni per specialem: & idèd Pontifex, quando alicui concedere vult facultatem absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ, id exprimit, vt fit in Bulla Cruciatæ.

Et ob eandem rationem, vt optimè Nauarrus cap. 27. numero 275. & alij contra nonnullos, existimamus, quòd non eo ipso, quod conceditur facultas absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ, concedatur à casu hæresis, quia scilicet iste specialissimè reseruat Pontifici, & sanctæ Inquisitioni.

14 *Add*unt quoque communiter Doctores, quòd quoties conceditur facultas absoluendi à casibus Pontifici reseruatis, etiam censetur concedi à casibus reseruatis Episcopo: & meritò, cum hæc facultas sit minor, & facilius, quam illa. Et id est manifestum, quando conceditur facultas absoluendi ab omnibus casibus reseruatis, addendo, *adhuc summo Pontifici*, vt conceditur virtute Bullæ Cruciatæ.

DIFFICVLITAS IV.

Vtrum absolutio facta virtute Bullæ Cruciatæ, aut Iubilei, aut alius priuilegij, etiam valeat pro foro exteriori & contentioso.

15 *S*pponimus, quòd quando in priuilegio additur, quòd fiat pro foro tantum conscientie, non valet nisi pro eo, quidquid dicat Suarez, quia absque dubio ea additio ad id forum restringit absolutionem; & quòd, quando additur quòd etiam fiat pro foro exteriori seu contentioso, etiam valet pro eo.

Difficultas ergo hæc procedit, quando in priui-

legio absolutè conceditur facultas absoluendi, nulla posita additione, nec restrictione fori, vt conceditur in Bulla Cruciatæ, & etiã Mendicantibus.

Suarez disp. 7. sect. 5. nu. 20. Rodriguez in Bulla §. 9. n. 55. & Medina in Summa lib. 2. c. 12. in fine docent, tunc absolutionem etiam valere pro foro exteriori seu contentioso: quia ex vna parte in dicto priuilegio facultas absoluendi absolutè & absque restrictione conceditur, & ex altera est gratiosa & liberalis; ergo non est restringenda & limitanda. Imò addit Suarez, quòd quando in priuilegio dicitur, *in foro tantum conscientie*, ea restrictio non additur, vt ex vi illius absolutus non habeatur vt absolutus, & immunis ab excommunicatione in foro exteriori & contentioso, sed vt Iudex possit adhuc de delicto cognoscere, & pœnitentiam foro contentioso accommodatam imponere.

Couarruias verò 1. p. §. 11. num. 16. Henriquez lib. 7. de Indulgent. cap. 13. & Auila 2. par. cap. 7. disput. 3. dub. 12. & plures alij docent, tunc absolutionem ab excommunicatione non valere in foro exteriori (ac proinde sic absolutum posse à Iudice tractari vt excommunicatum) & meritò: quia id est contra rigorem Iuris & iurisdictionem Ordinariorum, quo tribunal eorum non parum turbatur, quod non est credendum concedi generali & absoluta concessione, præsertim quando in priuilegio dicitur, *pro foro tantum conscientie*.

DIFFICVLITAS V.

Vtrum virtute Bullæ Cruciatæ, & similibus priuilegiorum, possit quis absolui ab Excommunicatione extra Sacramentum Pœnitentiæ.

17 *N*auarrus c. 16. n. 31. quem sequi videtur Vasquez du. 20. n. 8. docet, ex vi huiusmodi priuilegij non posse excommunicatum absolui ab excommunicatione, nisi in confessione Sacramentali, quia dictum priuilegiũ conceditur in ordine ad absolutionem à peccatis, quod ob hanc rationem existimat verũ, quamuis in priuilegio non addatur peccatis in confessione auditis, vt in nonnullis priuilegijs additur, & quãuis absolutio nõ remittatur Sacerdoti approbato, vt remittitur in Bulla Cruciatæ.

Auila verò 2. p. c. 7. dif. 3. du. 3. & Aegidius du. 16. docent, ex vi huiusmodi priuilegij posse excommunicatum absolui extra confessionem, & meritò: quia absolutio ab excommunicatione non pender à Sacramento Pœnitentiæ, & absq; fundamentò & necessitate ei alligatur; quia nõ cogit ad hoc, quòd facultas absoluendi ab excommunicatione concedatur in ordine ad absolutionem à peccatis, vt conceditur in Bulla Cruciatæ, quia potest quis esse contentus sola absolutione ab excommunicatione, & nolle gaudere priuilegio in totũ, & quoad principalius: nec quòd absolutio ab excommunicatione remittatur Sacerdoti approbato, vt in eadem Bulla remittitur; quia ei, & non idiotæ, vult Pontifex eam absolutionem remittere: præsertim cum eam remittat in ordine ad absolutionem à peccatis. Nec cogit ad id, vt prædicti docent, quamuis in priuilegio addatur, *peccatis in confessione auditis*, seu *confessione audita*; quia id additur pro absolutione à peccatis, quæ principaliter priuilegio intenditur: & quamuis addatur, *pro foro tantum conscientie*,

Suarez.
Rodriguez.
Medina.

16

Couarru.
Henriquez.
Auila.

17

Nauarrus.
Vasquez.

Auila.
Aegidius.

18

& poenitentiæ; quia quamuis absolutio ab excommunicatione fiat extra confessionem, potest tantum valere pro foro conscientie, relinquendo Iudici potestatem tractandi excommunicatum ut talem, & puniendi peccatum, ob quod fuit excommunicatio incurfa.

DIFFICULTAS VI.

Quis possit absoluere ab Excommunicatione lata ab homine.

19 **C**onueniunt Primò Doctores, ab excommunicatione ab homine specialiter lata, siue medio præcepto speciali, siue media sententia speciali, posse absoluere ipsum Iudicem qui excommunicauit (exceptis extraordinariis quibusdam casibus, relatis ab Ægidio numero 256.) & eo superiorem, & etiam eum, cui aliquis eorum commiserit, & non posse alium, quamuis excommunicatio non sit reseruata, quia absolutio à dicta excommunicatione nullo Iure conceditur, & satis congruenter, ut tribunal Iudicis sit ordinariè illæsum, & non turbatum.

Ægidius.

Et ob eandem rationem nec potest ille, cui ex priuilegio conceditur facultas absoluendi ab omni excommunicatione, tam à Iure quàm ab homine, ut conceditur in Bulla Cruciatæ, & Mendicantibus, ut contra Henriquez libro 13. cap. 28. Auilam 2. p. cap. 7. disputatione 7. dub. 10. & Ægidium numero 255. docent Vasquez. dub. 10. numero 8. quia id est contra iurisdictionem Iudicem; quia & tribunal eorum aliquando turbabitur, quod non est credendum concedi generali concessione: excipimus tamen excommunicatum specialiter ab homine excommunicatione lata pro peccato futuro, qui non est declaratus excommunicatus, qui dicto priuilegio potest absolui quando illis cessauit, quia tunc absolute non turbabitur tribunal.

Vasquez.

20 In articulo tamen mortis quicumque Sacerdos potest ab ea absoluere deficiente legitimo Iudice, ut deducitur ex Tridentino sess. 14. c. 7. exigendo tamen priùs (si tempus non deficiat) iuramentum comparandi cum primùm commodè possit, coram eo à quo extra eum articulum potest legitime absolui.

Trident.

Conueniunt Secundò Doctores, ab excommunicatione ab homine generaliter lata, siue media sententia generaliter lata, siue medio præcepto generaliter lato, posse absoluere omnes, quos diximus posse ab excommunicatione ab homine specialiter lata, nempe eum qui excommunicauit, & eo superiorem, & eum cui aliquis eorum commiserit; & in articulo mortis quemcumque Sacerdotem deficiente legitimo Iudice, & absque dubio etiam eum cui ex priuilegio conceditur facultas absoluendi ab omni excommunicatione, tam à Iure quàm ab homine; quia ad minus intelligitur de excommunicatione ab homine generaliter lata.

21

Est tamen difficultas, An ab hac excommunicatione, lata videlicet generaliter ab homine, quando non reseruatur, possit absoluere qui potest ab excommunicatione à Iure lata non reseruata.

Caietanus v. *Absolutio ab excommunicatione.* Caietanus. §. 2. & Vasquez dub. 19. numer. 09. docent, non posse; quia ex vna parte eiusdem est absoluere cuius est ligare, & ex altera in cap. *Nuper*, ubi inferioribus iupponitur concessa facultas absoluendi ab excommunicatione superioris, tantum est sermo de excommunicatione lata à Iure.

Vasquez.

Nauarrus verò cap. 27. nu. 44. Ægidius dub. 16. & communiter Doctores docent posse, & meritò: quia cum absoluendo à dicta excommunicatione, non turbetur tribunal Iudicis illam ferentis, eo ipso quòd eius absolutio non reseruatur, committi videtur cuiuscumque, qui potest absoluere à peccato, ob quod incurritur non minus quàm absolutio ab excommunicatione à Iure lata, quamuis in dicto cap. *Nuper*. id non exprimat, cum eadem ratio, ob quam id declarauit Pontifex de voluntate legislatoris, lege seu Iure excommunicantis non reseruantis, currat etiam pro excommunicatione lata generaliter ab homine eam non reseruante.

Nauarrus.

Ægidius.

Ex dictis constat, ab excommunicatione maiori lata generaliter ab homine (etiam à Papa ut homine, id est non medio Iure, sed media sententia, aut medio præcepto transitorio) quando non reseruatur, posse absoluere quemcumque qui potest à peccato, ob quod imponitur, absoluere.

22



DISPUTATIO XVI.
De Excommunicatione minori.



QUAMVIS olim plures fuerint excommunicationes minores, & quæ ab homine infligi solebant, ut insinuatur 11. q. 3. per varios canones, iam tamen solum est in usu excommunicatio minor, quæ à Iure infligitur ob illicitam communicationem per modum commercij cum excommunicato excommunicatione maiori, iuxta c. Statuimus. 3. de Sententia excommun. in 6. & iuxta can. Cum excommunicato. 11. q. 3. & post Extrauagantem, Ad euitanda scandala. tantum infligitur ob dictam communicationem cum excommunicato denunciato, aut notoriè excommunicato ob percussione Clerici: & quamuis excommunicatio minor regulariter solo Iure infligatur, potest tamen etiam infligi ab homine, præsupponendo tamen ea, quæ Disput. XI. prærequisita esse diximus ad ferendam excommunicationem maiorem.

DIFFICULTAS I.

De effectu Excommunicationis minoris, quæ nunc est in usu.

2 CONueniunt Doctores, excommunicationem minorem directè tantum priuare receptione, seu passiuâ participatione Sacramentorum. Ita dicitur, ablata particula directè, in c. 2. de Exceptionibus, & in cap. vlt. de Clerico excommunicato, & in cap. pænult. de Sententia excommun. quamuis in hoc non ponatur expressè particula tantum.

Vnde sic excommunicatus ad minus est prohibitus Sacramenta suscipere: ac proinde suscipiendo peccat, imò mortaliter (ut de eo, quando celebrat, dicitur in c. vlt. de Clerico excommunicato) quia susceptio Sacramenti est materia grauis.

3 Est tamen difficultas, Primò, An non solum sit prohibitus Sacramenta suscipere, sed etiam sit inhabilis ad validè ea suscipienda. Et solum est difficultas, an sit inhabilis ad validam susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ; quia ad reliqua, cuius baptizatus est capax, non est inhabilis, sicut nec excommunicatus excommunicatione maiori, ut diximus Disputat. 15. Difficultate 111.

Nauarrus. Circa difficultatem ergo Nauarrus c. 9. num. 3. **Couarru.** Conarruias 1. p. §. 2. & plures alij docent non esse inhabilem ad validam susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, quia nullibi videtur inhabilitari.

Vasquez. Vasquez verò dub. 4. **Paludanus.** Paludanus, **Adrianus.** Adrianus, & **Siluester.** Siluester docent, esse inhabilem ad validam susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, & meritò: quia à susceptione Sacramentorum remouetur, quantum potest, ab Ecclesia, ac proinde fit inhabilis. Vnde Sacramentum Pœnitentiæ susceptum à sic excommunicato, quamuis naturaliter oblito excommunicationis, esset nullum, si esset denunciatus, quod numquam fit.

Addidimus, excommunicationem minorem tantum priuare receptione Sacramentorum, quia sic excommunicatus validè administrat illa (in quo Docto-

res conueniunt) & id ad minus significatur in dicto c. vlt. dum de sic excommunicato dicitur, non esse remotum à collatione Sacramentorum.

Est tamen Secundò difficultas, An sic excommunicatus administret illicitè Sacramenta.

Vasquez dub. 4. Auila 2. p. c. 6. disp. 12. dub. 3. **Ægidius.** Ægidius dub. 17. & **Alterius.** Alterius l. 1. disp. 4. c. 3. **Siluester.** Siluester & **Armillia.** Armilla docent, sic excommunicatū illicitè administrare Sacramenta, quod expressum videtur in dicto c. vlt. dum de excommunicato excommunicatione minore dicitur, peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta. Ex dictis tamen Doctoribus Vasquez, Siluester, & Armilla docent, peccare mortaliter; Auila verò, Ægidius, & Alterius docent, peccare tantum venialiter.

Nauarrus. Nauarrus verò cap. 27. nu. 24. **Suarez.** Suarez disp. 24. **Sotus.** Sotus, & **Filliucius.** Filliucius docent, sic excommunicatum non peccare administrando Sacramenta, & meritò: quia excommunicatio minor id non prohibet, cum non priuet actiua administratione Sacramentorum, sed tantum eorum receptione, ut dicitur in tribus prædictis capp.

In cap. autem illo vltimo, dum dicitur, peccat autem conferendo Sacramenta, tantum est sermo de Sacerdote celebrante, de quo in principio cap. fuit sermo, ut denotatur illà particulâ autem, quæ refertur ad præteritum: dicitur autem peccare conferendo aliis v. g. Ordines sacros & Eucharistiam, sed non præcisè quia confert, ut denotatur illis sequentibus verbis, Sed ab eo collata virtutis non caret effectu, quia non à collatione, sed à receptione est remotus; sed peccat, quia confert celebrando, quæ ratione etiam suscipit Eucharistiam, in quo peccat. Dicitur autem à Pontifice, quod Sacramenta ab eo collata non careant effectu, quia sic excommunicatus illa administrans, non peccat ex eo quod illa confert, ac proinde alter suscipiens licitè & fructuosè illa recipit ab eo, quod non fieret, si excommunicatus illa illicitè conferret, quia illa, saltem excepta Eucharistia, conferret illicitè mortaliter; quia collatio illorum, saltem excepta collatione Eucharistia, est materia grauis.

Vnde quamuis celebrans peccet mortaliter, non fit irregularis, ut dicitur in eo cap. quia non peccat ipsa actione celebrandi, & effectione Eucharistia, sed tantum eam suscipiendo.

Addidimus etiam, excommunicationem minorem directè tantum priuare receptione Sacramentorum; quia quamuis etiam priuet passiuâ electione ad beneficium, ut patet ex dicto c. vltimo, non tamen directè, sed indirectè; quia ex dispositione huius cap. ex eo priuat illa, quia priuat receptione Sacramentorum, ad quam beneficium saltem remotè ordinatur, quia ordinatur ad celebrandum, ac proinde ad susceptionem Ordinum & Eucharistia. Priuat autem passiuâ electione, quasi inhabilitando; quia electio sic excommunicato facta scienter, est irritanda, ut dicitur in dicto cap. non tamen est irrita, ut contra Couarruiam 1. p. §. 8. & contra alios docent Vasquez dub. 6. Auila & Ægidius: imò non est irritanda, quando ignoranter fit,

Couarr. **Vasquez.** **Auila.** **Ægidius.**

fit, quamvis ignorantia vincibili. Vnde excommunicatus minori excommunicatione peccat, & mortaliter, acceptando beneficium; & eligens peccaret, si sic excommunicatus esset denunciatus.

DIFFICULTAS II.

Quis possit absolvere ab Excommunicatione minori.

7 **I**N cap. *Nuper*. 29. de Sententia excommun. dicitur, excommunicationem minorem posse absolui à proprio Episcopo, & à proprio Sacerdote seu Parocho: posse quoque absolui à Confessario ordinario approbato, constat ex dictis Disputat. xv. Difficultate 11.

Est tamen difficultas, An possit absolui à simplici Sacerdote non approbato, qui non potest à mortalibus, sed tantum à venialibus absolvere.

Vasquez.
Auila.
Ægidius.

Vasquez dub. 21. Auila 2. par. cap. 7. disput. 1. dub. 1. Ægidius dub. 17. & plures alij docent, non posse; quia ad absolutionem, etiam ab excommunicatione minori, requiritur iurisdicção contentiosa, quia non est à culpa, sed à pœna à Iudice inflicta; in simplici autem Sacerdote non est iurisdicção contentiosa.

Felinus.
Tabiena.
Armilla.
Nauarrus.
Toletus.

Felinus verò in cap. *A nobis*. de Exceptionibus, Tabiena v. *Absolutio*. 2. num. 3. Armilla nu. 38. Nauarrus cap. 27. num. 25. & 39. & Toletus lib. 1. cap. 17. docent posse: quod in primis est verum, quando sic excommunicatus non habet peccatum mortale, vt limitant Nauarrus & Toletus, quia eo ipso quòd absoluitur ab excommunicatione minori non referuatur, potest fieri à quocumque potente absolvere sic excommunicatum à peccatis, vt possit eum à peccatis absolvere; quia absolutio ab excommunicatione minori est prærequisita ad absolutionem à peccatis, & ob hanc causam in dicto cap. *Nuper* dicitur, posse fieri à proprio Sacerdote, & tamen iste aliàs non habet iurisdicçãoem contentiosam; & ob eandem causam id etiam concedimus Confessario ordinario. Ergo cum simplex Sacerdos possit sic excommunicatum, non habentem peccatum mortale, absolvere à suis peccatis, poterit illum absolvere ab excommunicatio-

ne minori, quamvis aliàs non habeat iurisdicçãoem contentiosam; & non solum in confessione Sacramentali, sed etiam extra, vt de absolutione ab excommunicatione maiori à Iure non referuata, id concessimus proprio Sacerdote, & Confessario ordinario, Disput. xv. Difficultate 11. & à referuata id concessimus delegato virtute Bullæ, aut alterius similis priuilegij.

Quòd verò in c. *Nuper* tantum dicatur, posse absolui ab Episcopo, & à proprio Sacerdote, & non dicatur posse ab aliis, non obstat, quia prædicti id non possunt ex vi alicuius delegationis in eo c. à Pontifice illis factæ, sed tantum id possunt ex voluntate superioris excommunicantis, & non referuantis à Pontifice in eo cap. declarata, ex eo quòd eam non referuet; & quia causa, ob quam id ab excommunicante interpretatiuè conceditur proprio Sacerdote, vt scilicet possit sic excommunicatum à peccatis absolvere, etiam conuenit Confessario ordinario generaliter, & simplici Sacerdote respectu sic excommunicati non habentis mortale, idèò absolutio ab ea excommunicatione conuenit Confessario ordinario generaliter, & simplici Sacerdote respectu sic excommunicati non habentis mortale, quamvis aliàs non habeat iurisdicçãoem contentiosam, ea sola parte iurisdicçãois contentiosæ ad absoluendum concessa interpretatiuè à superiore excommunicante.

Addimus, excommunicationem minorem incursum ob peccatum veniale, etiam posse absolui à simplici Sacerdote, quamvis sic excommunicatus habeat peccatum mortale, vt indicant Tabiena & Armilla, cum ille possit absolvere à peccato ob quod fuit incursum, sicut etiam proprius Sacerdos & Confessarius ordinarius possunt ab illa absolvere, quamvis sic excommunicatus habeat alia peccata mortalia referuata, à quibus non possint absolvere, ex eo quòd, quantum est ex se, possunt absolvere verè à peccato ob quod fuit incursum. Imò posse absolui à simplici Sacerdote, quamvis sit incursum ob mortale, indicat Felinus & Armilla, quod non est omnino à ratione alienum; quia cum excommunicatio minor non exigat ad sui incursum peccatum mortale, non videtur exigere absolutiorem potentem absolvere ab eo peccato mortali.

9

10

Tabiena.
Armilla.

Felinus.
Armilla.



TRACTATUS DE SUSPENSIONE. DIFFICULTAS PRIMA.

Quid sit Suspendio.

SUSPENSIO Ecclesiastica strictè sumpta, de qua tractamus, est censura, qua Clericus priuatur usu potestatis ei conuenientis aut ratione officij clericalis, aut ratione beneficij, aut ratione utriusque. Est autem suspensio censura, vt constat ex cap.

Querenti. 20. de Verborum significat. quia est poena medicinalis, bono spirituali priuans, & continetur sub censura tamquam sub genere, in quo conuenit cum excommunicatione & interdicto, vt constat ex dicto cap. Reliquæ verò particulae ponuntur pro differentia, quia eis differt ab excommunicatione & interdicto: quia in primis suspensio aliquando priuat usu beneficij, & non excommunicatio nec interdictum; deinde priuat alijs, quibus non interdictum, quamuis eis priuet excommunicatio. Et licet excommunicatio & interdictum priuent aliquibus eisdem bonis, quibus suspensio, tamen diuerso modo, ex quo differentia quasi specifica inter suspensionem, excommunicationem & interdictum desumitur; quia suspensio priuat illis bonis, nempe usu potestatis clericalis, quatenus est usus seu ministerium, vt sic, potestatis clericalis: excommunicatio verò priuat eo usu, quatenus est communicatio per modum societatis cum alio circa quem exercetur, aut quatenus in eo cum alijs personis communicat: interdictum verò priuat illo usu, quo priuat quatenus est quoddam bonum secundum se participabile ab aliquo, & non vt est ministerium seu exercitium potestatis clericalis, nec vt est bonum commune fidelibus inter se, seu vni cum alijs. Ex quo deducitur, suspensionem tantum posse ferri contra Clericos.

DIFFICULTAS II.

Quotuplex sit Suspendio.

Suspendio strictè sumpta in primis, altera est à Iure, & altera est ab homine. Deinde suspensio altera est totalis, qua quis simul suspenditur ab officio & à beneficio, vt expressè fertur in cap. *Tuarum.* 11. de Priuilegijs; & altera est partialis, qua quis suspenditur vel ab officio tantum, vel à beneficio tantum: & suspensio partialis ab officio subdiuiditur in plures alias, pro varietate officiorum Ecclesiasticorum.

Est tamen difficultas, An quando suspensio fertur absolutè absque vlla rei aut effectus determinatione, vt quando dicitur, *sit suspensus*, sit suspensio tantum ab officio, an etiam à beneficio.

Burgasius, Antonius de Butrio, & Felinus, relati à Sayro lib. 4. c. 4. docent, suspensionem sic absolutè latam, tantum esse ab officio, sed absque fundamento, imò contra rationem, vt docent Henriquez lib. 13. cap. 32. Egidius disput. 15. dub. 1. & Sayrus vbi supra, quia tunc suspensio non fertur cum limitatione; est ergo ab omni eo à quo esse potest, ac proinde ab officio & à beneficio simul.

Tandem suspensio alia est perpetua, alia est ad determinatum tempus, & alia ad tempus indeterminatum.

DIFFICULTAS III.

Quibus modis possit ferri Suspendio.

Conueniunt Doctores, suspensionem ferri posse dupliciter: vno modo vt censuram, id est vt poenam medicinale, quæ, posita emendatione suspensi, exigat auferri, & solum ob contumaciam respectu Ecclesiæ præcipientis; altero modo, vt puram poenam, seu vindictam, & etiam ob peccatum contra Ius naturale aut diuinum, quamuis non Ecclesiasticum, vt diximus Tractat. de Censuris in communi, Difficul. xviii. vbi etiam explicuimus, qua ratione prærequiratur monitio, vt quælibet censura feratur.

Pro cuius maiori intelligentia obseruandum est, suspensionem posse varijs modis ferri. Primò, addendo *in perpetuum*, vel *sine spe relaxationis*: quæ suspensio, quamuis sit totalis, ab officio videlicet & à beneficio, & perpetua, non habet rationem depositionis; quia præterquam quòd dicta suspensio fertur in punitionem, & non depositio, suspensio dicta non priuat potestate & dominio, sed tantum usu; depositio verò priuat quasi potestate & dominio. Secundò ferri potest ad tempus limitatum, vt quando dicitur, *ad triennium*, quo transacto statim ex se ipsa cessat; & quando dicitur, *donec reus satisfaciatur*, quæ etiam ex se ipsa cessat statim ac satisfacit reus; & etiam quando dicitur, *ad beneplacitum Iudicis*, quæ secundum non paucos etiam Iudice mortuo ex se ipsa cessat, quia iam ei, vt pote mortuo, non placet in prolongatione suspensionis: quod nobis difficile videtur, quia communis sensus illius particulae *ad beneplacitum* est, donec non displiceat, seu donec non reuocetur. Prædictæ autem suspensiones quouis modo ex dictis latæ, non habent rationem poenæ medicinalis, id est, poenæ quæ exigat auferri cessante contumacia, sed habent rationem puræ poenæ. Tertio ferri potest suspensio, vt regulariter fertur, absque assignatione aliqua temporis, vt quando absolutè dicitur, *sit suspensus*, vel,

4
Burgasius.
Antonius
de Butrio.
Felinus.
Henriquez.
Egidius.
Sayrus.

5

6

vel, eum suspendimus. & tunc fertur ob contumaciam, seu inobedientiam respectu Ecclesie præcipientis, & suspensio sic lata habet rationem censuræ, quia tunc resipiscente reo, & satisfaciente, absolvendus est.

DIFFICULTAS IV.

Quos effectus habeat Suspendio.

7 **C**onueniunt Primò Doctores, suspensum ab officio absolutè, absque limitatione officij, esse impeditum seu prohibitum exercere omnes actiones seu functiones clericales, nempe omnes actiones solemnes Ordinis, & omnes actus iurisdictionis Ecclesiasticae, quia utraque potestas, tam Ordinis quam iurisdictionis, est verè officium, non tamen eo ipso esse suspensum à beneficio, ut deducitur ex c. Inter. 10. de Purgatione: quod est verum, quamuis suspensio ab officio sit perpetua, ut cõtra Nauarrum c. 27. nu. 6. docent Sancius l. 3. disp. 51. nam. 12. & Aegidius disp. 15. dub. 2. quia officium distinctum est à beneficio, & non includit beneficium, neque includitur in beneficio. Vnde suspensio ab officio, quamuis absolutè, poterit fructus beneficij percipere, si aliàs beneficio inseruiat, saltem per alium.

Sancius.
Aegidius.

8
Suarez.
Aegidius.

Addunt tamen Suarez disp. 26. sect. 3. & Aegidius, suspensio absolutè ab officio illicitè, quamuis validè, conferri beneficium, argumento deducto à simili, cap. vltim. de Clerico excommunicato. Id tamen nobis non probatur; quia existimamus, ei non solum validè, sed etiam licitè conferri, ut deducitur ex cap. Vel non est cumpos. 14. de Tempor. ordinat. Argumentum autem à simili non est efficax, præsertim in materia odiosa, qualis est præfens materia. Nihilominus in cap. Cum bonæ memoriæ. 8. de Etate & qualitate, & ordine perficiendorum, decernitur, collationem beneficij factam suspensio per triennium in suspensione perseveranti esse irritandam.

Conueniunt Secundò Doctores, suspensum ab aliquo officio determinato, non tantum esse prohibitum exercere actus illius officij, sed etiam actum alterius officij includentem illum; ut si quis est suspensus ab Ordine Diaconatus, non solum non potest exercere Ordinem Diaconatus, sed neque potest celebrare, quia actus celebrandi includit actum seu usum Diaconatus: non tamen est prohibitum exercere actus alterius officij, quãuis supponentis illud officium à quo determinatè est suspensus, ut contra communem sententiam docent nonnulli apud Suarez sect. 4. quod etiam ipse probabile censet. Verbi gratia, suspensus ab Ordine inferiore, non est prohibitum exercere actum superioris non includentem actum inferioris: v. g. suspensus ab Ordine Diaconatus, potest confessiones audire, quia officia Diaconatus & Sacerdotij sunt distincta; & actus audiendi confessiones non includit, imò nec supponit actum Diaconatus, etiamsi officium Sacerdotij, quoad celebrationem, supponat officium Diaconatus.

Suarez.

9

Conueniunt Tertio Doctores, suspensum à beneficio esse prohibitum percipere fructus beneficij, & administrare temporaliter beneficium adhuc per procuratorem, quia isti sunt proprii actus beneficij: teneri tamen præstare id ad quod ex beneficio obligatur, quia suspensio solum punit, & non

liberat ad obligatione: iste tamen sic suspensus à beneficio, non est prohibitus exercere actus potestatis eligendi, & alios actus iurisdictionis conuenientis ratione beneficij, ut contra Sayrum l. 4. c. 6. & contra Nauarrum & Henriquez docent Auila 3. p. disput. 2. dub. 1. Aegidius vbi supra, & plures alij, & deducitur ex cap. Cum Vintoniensis. 25. de Electione; quia quamuis isti actus sint potestatis annexæ beneficio, sed non ipsius beneficij.

Auila.
Aegidius.

Id verò quod addit Nauarrus 2. de Restitutione, cap. 2. n. 237. nempe, suspensio à beneficio non esse denegandos fructus beneficij, donec à Iudice illis priuetur, falsum est, & contra sententiam communem. Quia sicut suspensus ab officio, est priuatus omni actu officij, ita suspensus à beneficio, est priuatus omni fructu temporali beneficij. Poterit tamen, ut aduertit Auila, recipere fructus correspondentes labori quem seruando impendit, & qui darentur substituto; quia isti non tam sunt fructus beneficij, quàm stipendium laboris: poterit quoque ob eandem rationem percipere quotidianas distributiones.

10
Nauarrus.

Conueniunt Quarto Doctores, suspensum copulatiuè ab officio & à beneficio (siue quia sic expressè suspenditur, siue quia suspenditur absolutè) prohiberi exercere functiones officij & beneficij, iuxta ea quæ diximus.

Sed quamuis Doctores communiter doceant, suspensum ab officio, vel à beneficio, sub disunctione, à neutro manere suspensum: quia non ab utroque, ut patet, nec ab altero, quia non est maior ratio ob quam ab vno potius quam ab altero maneat. Nihilominus, ut docent nonnulli apud Burgasium Tract. de Irregularitate, part. 6. tit. de Suspensione, nu. 29. credimus, manere suspensum ab vno vel ab altero determinatè pro optione suspensi, quam tenetur facere: sicut qui condemnatur ut exulet, vel ut soluat certam quantitatem pecuniæ, verè manet obnoxius vni aut alteri, & obligatur vnum aut alterum eligere, quia absq; fundamento negatur, Iudicem habere auctoritatem ad sic ferendam sententiam pœnæ, & ad obligandum reum ut eligat quam maluerit.

11

Burgasius.

Conueniunt Quintò Doctores, Episcopum suspensum à Pontificalibus, esse prohibitum exercere quemcumque actum Ordinis Episcopalis, ut ordinare, & consecrare aras, non verò exercere actus iurisdictionis, adhuc Episcopalis, nec actus Ordinum inferiorum Episcopali.

Conueniunt Sextò, suspensum ab ingressu Ecclesie, prohiberi celebrare diuina officia intra Ecclesiam, & ea audire, non verò extra. Virumque tamen hoc potius pertinet ad interdictum quam ad suspensionem, quia suspensio propriè & strictè non priuat auditione diuinorum, sed celebratione; interdictum verò utroque.

12

DIFFICULTAS V.

Quo modo suspensus possit exercere ea à quibus est suspensus.

13 **C**onueniunt Doctores, illicitum esse suspensum, exercere ea à quibus est suspensus: imò esse peccatum mortale, nisi materia sit leuis; & fieri irregularem, si solemniter exerceat actum Ordinis sacri: excusabitur tamen à culpa contra prohibitionem suspensionis (& consequenter ab irregula-

gularitate, quæ ob eam culpam incurritur, etiam si exerceat actum Ordinis sacri, adhuc Presbyteratus) quoties non denunciatus exercet id à quo est suspensus, ad petitionem fidelium, iuxta Extravagantem, *Ad evitanda scandala*, in qua est fermo de quacumque censura; de quo non nihil diximus Tract. de Excommun. Disput. 11. Difficultate 17. Addidimus, à culpa contra prohibitionem suspensionis, quia suspensus ob crimen aliquod mortale, non denunciatus, qui celebrat ante confessionem illius criminis, quamvis ad petitionem fidelium, ad minus peccat contra prohibitionem celebrandi in statu illius peccati non confessi, ob quod incurrit suspensionem; quia ad celebrandum tenetur prius omnia sua peccata mortalia confiteri. Si tamen celebrando non peccat contra prohibitionem suspensionis, ut indicat Ledesma 1. par. 4. quæst. 5. art. 6. dub. 13. etiam si celebret, non incurrit irregularitatem, quia tantum incurritur ob culpam contra prohibitionem suspensionis.

Ledesma.

14

Ita tamen usus eorum à quibus quis est suspensus, est ei illicitus, ut etiam per se sit inualidus, quando potest ab Ecclesia inualidari (quales sunt actus iurisdictionis, & quales non sunt actus puri Ordinis) ut docent communiter Doctores; quia suspensione impeditur quis ab usu, quantum potest ab Ecclesia impediti; quod tantum est verum de suspensio non tolerato, quia usus exercitus à suspensio tolerato verè est validus, quia eo ipso quod Ecclesia illum tolerat in favorem aliorum fidelium, relinquit illum sufficientem, etiam quando ipse se ingerit, ut validè exerceat actus erga illos, sub conditione, si ab ipsis fidelibus acceptentur.

Addidimus, usum exercitum à suspensio non tolerato esse inualidum per se; quia per accidens, quando scilicet est titulus saltem coloratus, & communis error in populo, usus seu actus erit validus, supplente pro tunc Ecclesia defectum potestatis impedita.

DIFFICULTAS VI.

Quomodo possit communicari cum suspensio.

15

Conueniunt Doctores, nullam esse prohibitionem, qua primariò & directè prohibeatur communicatio cum suspensio, adhuc in usu eorum à quibus sunt suspensi; prohibitionem tamen qua ipsi suspensi sunt prohibiti ab eo usu, reliqui prohibentur indirectè aut secundariò eos inducere ad usum, quando eis est futurus illicitus, ac proinde prohibitum est & illicitum, prouocare suspensum non toleratum ad usum ipsi prohibitum; non tamen suspensum toleratum ad usum qui sit communicatio cum ipso prouocante, quia dicta Extravagante, *Ad evitanda scandala*, nobis est licitum cum eo communicare, ac si non esset suspensus. Vnde usus, qui sit pura communicatio cum aliis, erit ipsi suspensio tolerato licitus, quoties sit ad petitionem aliorum, si non sit illi alia prohibitio præter prohibitionem censuræ, & non sit in potestate suspensi, absolui à suspensione ante dictum usum.

16

non est in potestate suspensi, absolui à suspensione ante dictum usum.

DIFFICULTAS VII.

Ob quas causas ferri possit Suspendio.

Primo est difficultas, An suspensio possit ferri absque culpa suspensi. Et non procedit difficultas de suspensione largè & improprie sumpta pro prohibitionem utendi potestate Ecclesiastica, quavis ratione posita, ob cuius violationem, etiam exercendo solemniter Ordinem sacrum, non incurritur irregularitas; quia talis suspensio ferri potest absque propria culpa, ob defectum aliquem indecentem vsui potestatis Ecclesiasticæ, ut ob defectum sanitatis, ut patet ex titulo de Clerico ægrotante, in Decretalibus, & in 6. & ob defectum ætatis, & in pœnam alterius, ut lata fuit in cap. *Vel non est compos.* 14. de Temp. ordinat. ubi puer, qui anno decimotertio suæ ætatis fuit ordinatus Diaconus, suspenditur ab officio Diaconi vsque ad legitimam ætatem, ob defectum ætatis: & etiam in confusionem ordinantis. Sed procedit de suspensione strictè & proprie sumpta, lata in pœnam, siue purâ siue medicinalem ipsius suspensi, quæ aut est species censuræ, aut ipsi æquiualens, ob cuius tantum violationem in iure inuenitur lata irregularitas.

17

Circa hanc ergo difficultatem conueniunt Doctores, suspensionem strictè sumptam personalem specialem (id est directè, & per se positam certæ & determinatæ personæ) non posse ferri, adhuc validè, nisi ob culpam propriam talis personæ; quia suspensio illa est propria pœna, quæ absque propria culpa nequit adhuc validè imponi. Sed an suspensio personalis generalis possit ferri & incurri absque propria culpa personæ particularis suspendendæ, dicemus Difficultate 19.

18

Secundò est difficultas, An suspensio strictè sumpta, ut communiter fertur, possit ferri & incurri ob culpam tantum venialem. Addidimus, ut communiter fertur, quia si suspensio sit tantum ab vna functione, & ad breue tempus, ut ferri potest pro arbitrio Iudicis, absque dubio potest, utpote pœna leuis, ferri ob culpam tantum venialem.

Circa difficultatem ergo sic intellectam Caietanus in Summa v. *Suspensio*, Nauarrus cap. 27. *Nauarrus* num. 159. & Auila 3. par. disput. 3. dub. 3. partem affirmatiuam tuentur, quia etiam excommunicatio minor fertur & incurritur ob culpam tantum venialem.

Caietanus. Nauarrus. Auila.

Vasquez 1. 2. dif. 153. c. 5. Suarez disp. 4. sect. 4. & Egidius disp. 13. dub. 3 partem negatiuam tradit, & merito: quia suspensio ex suo obiecto est graue malum, & quod non facile tollitur, sicut tollitur excommunicatio minor (ex quo habet quod sit maior pœna quàm excommunicatio minor) quia excommunicatio minor potest tolli à quolibet Confessario, imò & à quolibet Sacerdote non approbato, non verò suspensio, quamvis non reseruetur, ut dicemus Difficultate x. ergo suspensio nequit ferri nisi ob culpam grauem seu mortalem, quamvis excommunicatio minor, utpote pœna leuis, ob maximam facilitatem qua potest auferri, possit ferri ob culpam tantum leuem seu venialem.

19 Vasquez. Suarez. Egidius.

Observandum est, quod ut suspensio lata contra participantes cum excommunicatis ab homine in eis, in quibus secundum Ius tantum incurritur excommunicatio minor, sit valida, requiratur, eos parti-

parti-

participantes moneri nominatim tribus monitionibus, vel vna pro tribus cum competenti intervallo, vt constat ex cap. *Statutum*. 13. de Sententia excommunicat. in 6. iunctis capp. *Statuimus*. 3. & *Constitutionem*. 9. eodem titulo.

DIFFICULTAS VIII.

Qui possint suspendere.

20 **C**onueniunt Doctores, in illis omnibus & solis esse potestatem ordinariam suspendendi, in quibus ex vi proprii muneris instituti iure ordinario, siue humano siue diuino, est potestas Ecclesiastica in foro exteriori.

Vnde in Papa, & in aliis Episcopis habentibus subditos (quamuis non consecratis, sed tantum confirmatis) inuenitur potestas ordinaria suspendendi, & etiam in Legato Sedis Apostolicæ qui est à latere, quia in sua prouincia habet iurisdictionem Episcopalem exteriorem, vt constat ex cap. 2. de Officio Legati, in 6. & in Vicariis Episcoporum, & in Capitulo sede vacante, & in eius Vicario, & in aliis Prælati non Episcopis, qui ex privilegio sunt exempti à iurisdictione Episcoporum, & gaudent Episcopali iurisdictione perpetua, & in superioribus Religionum, saltem in Generalibus, & in Prouincialibus, & in Concilio Generali, & in Prouinciali, & in Synodo Diocæsana, & in Capitulis Religiosorum.

In illis autem omnibus & solis inuenitur potestas delegata suspendendi, quibus fuerit delegata seu commissa ab habente potestatem ordinariam, quia iste potest eam aliis capacibus delegare, vt patet ex cap. *Cum Episcopus*. 7. de Officio Ordinarij, in 6.

21 **O**bseruandum est Primò, excommunicatum, aut suspensum non toleratum, non posse licitè neque validè exercere potestatem suspendendi (in quo Doctores conueniunt:) nec validè etiam toleratum, adhuc quando prouocatur à fidelibus (& consequenter neque licitè) quia non obligat suo præcepto, aut quasi præcepto, cum liberum sit subditis, non communicare cum illo in actibus iurisdictionis, quibus est priuatus; ac proinde neque validè suspensione ligare, quia incurso illius supponit inobedientiam, quæ tunc non reperitur, quamuis non impleatur præceptum excommunicati aut suspensi, etiam tolerati.

Ob supradictam rationem Ordinarius excommunicatus aut suspensus, non toleratus, non potest, adhuc validè, suam potestatem suspendendi delegare, quia id est actus iurisdictionis; poterit tamen validè, quando est toleratus, etiam si illicitè id efficiat, vt quando ipse se ingerit; quia eo ipso quòd Ecclesia eum tolerat, relinquit sufficientem, vt possit validè exercere actum iurisdictionis (qui non sit præceptum) sub conditione tamen, si acceptetur.

22 **O**bseruandum est Secundò ex cap. 1. de Sententia excommunicationis, in 6. suspensionem non posse licitè fieri nisi in scriptis, & causam suspensionis exprimendo: benè tamen validè, vt supponitur in eodem capite, in quo qui aliter fert suspensionem suspenditur, seu potius interdicatur per vnum mensem ab ingressu Ecclesiæ, & à diuinis officiis.

DIFFICULTAS IX.

Qui possint suspendi.

23 **C**onueniunt Primò Doctores, non Clericos suspendi non posse, quia non Clerici non sunt capaces effectuum suspensionis; nec non baptizatos, ob dictam rationem, & quia non sunt subditi Ecclesiæ; nec Summum Pontificem, quia etiam non est Ecclesiæ subditus; nec defunctos, nisi quoad aliquod ius ad fructus Ecclesiasticos, quod illis post vitam conueniat: posse tamen omnes alios Clericos, & solos viuos, quia isti sunt subditi Ecclesiæ, & capaces officij Ecclesiastici, & beneficij à quibus fit suspensio. Episcopum tamen non comprehendi suspensione generaliter lata, nisi illius fiat expressa mentio, vt constat ex cap. *Quia periculosum*. 4. de Sententia excommun. in 6. quod Sayrus lib. 4. cap. 12. & Auila extendunt ad Cardinalem non Episcopum, quia in sua Ecclesia est dignitate Episcopus.

Conueniunt Secundò Doctores, communitatem Ecclesiasticam (vt Collegium, aut Capitulum) suspendi posse immediatè & secundum se, suspendendo illam vt est vnum corpus, seu vt communitas est, à functionibus ipsi communitati vt communitas est conuenientibus, vt supponitur in cap. vnico *De sede vacante*, & in cap. *Quia sæpe*. 40. de Electione, in 6. quia etiam communitatibus secundum se conueniunt officia & beneficia: & etiam posse suspendi, quasi mediatè & ratione particularium personarum, suspendendo omnes personas in particulari illius communitatis à functionibus conuenientibus illis vt particularibus personis, & etiam vtroque modo; quia communitas vtroque modo sumpta potest peccare, & est capax suspensionis, & non est prohibitum suspendere communitatem, quamuis in capite *Romana*. 5. de Sententia excommunicationis, in 6. sit prohibitum excommunicare communitates.

Dissentiunt tamen Doctores, an suspensione lata contra communitatem vt communitas est, etiam suspendantur inculpabiles, vt membra & partes communitatis, à functionibus conuenientibus illis vt sunt membra communitatis.

Non desunt Doctores qui partem negatiuam tueantur, quia suspensio est pena impediens ius iam acquiritum ab ipsis particularibus; ergo nequit incurri absque propria culpa aut defectu.

Suarez verò disp. 28. & Egidius disp. 15. dub. 5. partem affirmatiuam tradunt, & merito: quia particulares suspendi, vt membra communitatis, non est per se puniri, sed tantum per accidens participare pœnam communitatis cuius sunt membra, & per accidens puniri in his, quæ sibi conueniunt vt partibus communitatis quæ peccauit, quod non est contra rationem, sicut nec quòd filius pec accidens puniatur infamia patris peccantis.

Suspensio verò lata contra communitatem directè non ad communitatem vt communitas est, sed ad particulares personas secundum se, non ligantur inculpabiles, vt contra Siluestrum & contra quosdam Caronistas, docent Nauarrus c. 27. nu. 151. Egidius & communiter Doctores: quia contra rationem est, quòd quis absque propria culpa ob alienam, in se & secundum se, & per se puniatur,

23

Sayrus.
Auila.

24

25
Suarez.
Egidius.

Nauarrus.
Egidius.

puniatur, & iure acquisito ab ipso, ut particulari persona, priuatur, quod non tollit posse aliquem ob culpam alienam, nempe communitatis, aut capituli communitatis interdici ab eo quod ei particularim conuenit, nempe à celebrando, quia ab hoc non interdicitur, ut est formaliter usus potestatis, & iuris quod habet ad id, qua ratione ab eo impeditur suspensione, sed ut est quædam participatio, seu habitio rei diuinæ subiectæ dispositioni Ecclesiæ, quando adest aliqua rationabilis causa.

DIFFICULTAS X.

Quibus modis possit impediri Suspendio.

26 **C**irca hanc difficultatem dicendum existimamus, omnia, quæ excusant opus à delicto cui annexa est suspensio stricta (ut fertur regulariter) à culpa mortali, ut defectum plenæ aduertentiæ, & ignorantiam inuincibilem, siue Iuris, id est prohibitionis ob cuius transgressionem fertur, siue facti prohibiti, & etiam metum grauis mali, siue in corpore, siue in fama & honore, siue in diuitiis, quando opus cui est annexa suspensio, non est aliàs prohibitum Iure naturali, impedire valorem suspensionis, quia suspensio strictè sumpta, quæ regulariter fertur, non incurritur nisi ob culpam mortalem, ut diximus Difficultate VII.

27 Addimus etiam, ignorantiam probabilem ipsius suspensionis latæ ab Ordinariis in suis statutis perpetuis eam impedire, ut significatur in c. *Ut animarum*. 2. de Constitutionibus, in 6. & etiam impediri per iustam appellationem factam ante incursionem ipsius suspensionis (nisi quando Iudici concessum est, ut non obstante appellatione procedat in causa) non verò impediri, nec suspendi per appellationem sequentem post incursionem, quando suspensio est ab officio vel ab ingressu Ecclesiæ, ut constat ex cap. *Is cui*. 20. de Sententia excommunic. in 6. quod addimus, quia suspensio à beneficio, & ab aliis distinctis ab officio & ingressu Ecclesiæ, suspenditur per appellationem sequentem, ut ex dicto cap. deducitur, dum dicitur, suspensionem ab officio & ab ingressu Ecclesiæ, non impediri per sequentem appellationem, & id tacetur de suspensione à beneficio, & ab aliis.

DIFFICULTAS XI.

Quibus modis tollatur Suspendio.

28 **C**onueniunt Doctores, suspensionem, quæ lata est ut censura, tolli per absolutionem, sicut alias censuras, ut patet; latam verò in puram pœnam non posse tolli, nisi aut ex se ipsa impleto termino siue temporis, siue operis, ad quem usque fuit lata, quod potius est cessare quam tolli; aut per dispensationem ante impletum terminum.

Tunc autem suspensio fertur ut censura, quando fertur ob contumaciam respectu Ecclesiæ, & medicinaliter, ita ut emendatione posita sit debita absolutio, ut quando fertur absolutè, & post admonitionem: tunc verò in puram pœnam, quando fertur ad determinatum tempus, aut in perpetuum, quamuis feratur ob contumaciam, aut quando fertur ab homine, & non præcessit admonitio adhuc per legem, quamuis absolutè feratur, quia

in nullo casu ex his, quamuis ponatur emendatio, est debita ablatio.

DIFFICULTAS XII.

A quo possit auferri Suspendio.

29 **C**onueniunt Doctores, suspensionem absolutè latam, nullum determinando tempus, & eam quæ fertur addendo *in perpetuum*, indigere aliquo à quo auferatur, & idem est de ea quæ fertur usque ad aliquem terminum, ut auferatur ante illum, ut suspensio, quæ fertur usque ad certum tempus, ut per mensem, vel usque ad effectiorem alicuius operis, ut quousque fiat satisfactio. Addimus, *ut auferatur ante illum*, quia eo tempore elapso, aut eo opere facto ex se ipsa absque aliqua alia relaxatione, seu ablatione cessat, siue lata sit à Iure, siue ab homine, siue ut censura, siue ut non censura (in quo contra nonnullos conueniunt communiter Doctores) quia tunc tantum fertur & incurritur, usque ad eum terminum, ergo eo termino elapso nequit amplius durare.

Est ergo difficultas, A quo possit auferri suspensio, quæ indiget auferri ab aliquo.

30 Circa quam dicendum est Primò, suspensionem contra aliquem nominatim, seu specialiter latam ab homine ut censuram, posse auferri ab ipso Iudice latore (& consequenter ab eius successore, & ab eius superiore) ut patet, & non posse auferri ab aliis, aliàs perturbaretur tribunal Iudicis ferentis.

Excipiuntur tamen duo casus, in quibus Iudex lator non potest. Primus est, quando Clerici suspenduntur ab officio à suis Ordinariis; quia exhibuerunt Sacramenta hæreticis denunciatis, vel quia receperunt ab eis eleëmofynas, vel oblationes, vel quia eis tradiderunt Ecclesiasticam sepulturam; quia ablatio dictæ suspensionis reseruata est Papæ, ut constat ex cap. *Excommunicamus*. 13. de Hæreticis. Secundus est, quando quis non confrens beneficia dignis, & postquam semel ac iterum admonitus à Concilio prouinciali, inuenitur culpabilis, suspenditur ab ipso Concilio à collatione beneficiorum; quia iste nequit restitui nisi à Papa, vel à suo Patriarcha, ut constat ex cap. *Græuenimis*. 29. de Præbendis.

31 Secundò dicendum est, suspensionem à Iure latam ut censuram, siue generalem qua communitas, siue specialem qua particulares personæ suspenduntur, posse, quoties non reseruatur, auferri ab Ordinario suspensi, ut efficaciter deducitur ex c. *Nuper*. 29. de Sententia excom. quia ex vna parte in absolutione illius, nullius tribunal turbatur, cum non fuerit lata ab homine, & ex altera, eo ipso quod non reseruatur, videtur concedi inferiori, aut in eo relinqui facultas ad id; aliàs non esset necessaria reseruatio, si Ordinarius non posset non reseruatum auferre. Eam tamen non potest proprius Parochus, & multò minùs ordinarius Confessarius, auferre; quia tantum habet iurisdictionem in foro interiori, seu Sacramentali, in quo nequit suspensionem auferre, quamuis possit excommunicationem, quia suspensio non impedit absolutionem à peccatis, sicut impedit excommunicatio. Et ob eandem rationem suspensionem, adhuc ut censuram, quamuis specialem, & latam generaliter ab homine, non potest auferre,

ferre, nec Ordinarius in foro sacramentali, ob dictam rationem, benè tamen in foro exteriori, adhuc specialem generaliter latam, quia ablatione illius, tribunal eam suspensionem ferentis non turbatur, cum persona sit incognita.

Tertiò dicendum est, suspensionem latam non vt censuram, sed in puram pœnam, siue à Iure, siue ab homine, adhuc generaliter, non posse auferri, nisi à potente dispensare in eo Iure, quando lata est à Iure, & nisi à Papa, quando lata est ab homine, seu à Iudice, sicut neque Iudex Papa inferior potest dispensare in alia pura pœna legis, nec in alia pura pœna lata per sententiam condemnatoriam etiam ab ipso, quia dicta suspensio non auferretur absolutione, sed tantum dispensatione, ad quam non est potestas in inferiore adhuc respectu pœnæ à se latæ, nec cõceditur inferiori ex eo quòd non reseruetur, sed tantum ad absolutionem, quæ est debita eo ipso quòd persona est benè disposita.

Episcopus tamen potest omnem suspensionem suorum subditorum, prouenientem ex delicto occulto (id est ex delicto, nec notorio, nec manifesto, nec famoso, de quo in Tractatu de Irregulari. ad finem) & non deductam ad forum contentiosum, quamuis Papæ reseruata, auferre, vt constat ex Tridentino sess. 24. cap. 6. de Reformatione: & ex priuilegio potest quis absolui à suspensione, quæ est censura à Iure vel generaliter ab homine lata, quamuis Papæ reseruata per Bullam Cruciatæ, & per priuilegia nostræ Societatis.

DIFFICULTAS XIII.

De nonnullis Suspensionibus in particulari, quæ Iure sunt latæ.

Primò, qui ordinatur ab Episcopo heretico, aut schismatico, aut excommunicato non tolerato, aut à simoniacò iuridicè declarato, & qui ab Episcopo, qui dignitati Episcopali renuntiavit, Ordinem sacrum suscipit, manet suspensus ab Ordine sic suscepto, vt constat ex c. 1. & 2. de Schismaticis, & ex c. 1. & 2. de Ordinatis ab Episcopo. & ex can. Si qui à simoniacò. 1. quæst. 1. & ex can. Ordinationes. 9. q. 1. & ex c. Per tuas. 35. de Simonia.

Et quamuis non pauci existiment, dictam suspensionem etiam incurri ab omnino ignorante dictum defectum Episcopi, immerito tamen, vt aduertit Aegidius num. 34. quia nulla suspensio, nec quæ est censura, nec quæ est pura pœna incurritur, nisi ob peccatum mortale, quòd non committit ignorans inculpabiliter defectum Episcopi, & id exprimitur de ignoranter ordinato à schismaticis excommunicatis in canone Ordinationes. 9. q. 1. & de ignoranter ordinato à simoniacis in can. Si qui à simoniacis. 1. quæstione 1. & in dicto cap. Per tuas.

In cap. autem 1. de Ordinatis ab Episcopo, vbi significatur, ordinatum ignoranter inculpabiliter ab Episcopo, qui renuntiavit dignitati Episcopali, indigere dispensatione Episcopi, per dispensationem intelligenda est permissio Episcopi, qua cognita veritate permittat sic ordinatum vti Ordine suscepto, vt aduertit Aegidius n. 32.

Secundò, ordinatus ab Episcopo alieno absque licentia proprii, manet suspensus ab Ordine sic suscepto, ad beneplacitum proprii Episcopi, & E-

piscopus ordinans manet suspensus per annum à collatione Ordinum, vt decernitur in Tridentino sess. 23. c. 8. de Reformatione, nisi qui ordinatur, fuerit familiaris Episcopi alieni ordinantis, & habentis diœcesim, & non merè titularis, & fuerit per triennium commoratus cum illo, vt deducitur ex c. 9. sequenti. Quòd si Episcopus fuerit merè titularis, manet suspensus à Pontificalibus per annum, vt decernitur sess. 14. c. 2. de Reformatione, & familiaris ordinatus manet suspensus vt supra: & qui ante annum completum post vacationem sedis, impetratis à Capitulo reuerendis, Ordinem sacrum suscipit, manet suspensus ad beneplacitum futuri Episcopi, nisi ad id fuerit arctatus ratione beneficii suscepti aut suscipiendi, & ipsum Capitulum manet interdictum, vt decernitur sess. 7. c. 10. de Reformatione. Episcopus quoque, qui in aliena diœcesi absque licentia expressa proprii ordinari, manet absolute suspensus à Pontificalibus, & ordinatus ab Ordine suscepto, vt decernitur in Tridentino sess. 6. c. 5. de Reformatione.

Tertiò, ordinatus scienter, aut ex ignorantia affectata, ante legitimam aetatem, aut extra tempora, aut absque dimissoriis, manet suspensus ab Ordine sic suscepto, per Extrauagantem Pij II. confirmatam à Pio V. cuius facit mentionem Auila 3. p. disp. 5. dub. 7. ab ea tamen suspensione potest Episcopus absolui, quamuis Sixtus V. in Extrauagante *Sanctum & salutare*, absolutionem illius reseruauerit Papæ; quia eam reuocauit Clemens VIII. in Constitutione, quam affert Sayrus lib. 4. in fine, nisi quoad simoniacè ordinatos. Sacerdos tamen sic simoniacè ordinatus non fit irregularis, ex eo quòd confecret cum Episcopo ordinante, quia tunc eius ordinatio non est completa; quia nondum ei concessa est potestas absoluedi à peccatis; ac proinde tunc nondum incurrit suspensionem, quia hæc tantum incurritur ob peccatum completum ordinationis: imò Suarez disp. 31. sect. 1. & Aegidius excusat ab irregularitate canentes Epistolam & Euangelium in eadem Missa, quia actiones illæ non censentur fieri post ordinationem, quia ordinatio durare censetur quamdiu durat Missa in qua fit. Nos tamen id existimamus falsum, quia actiones illæ verè fiunt post iam perfectam ordinationem Subdiaconi & Diaconi.

Quartò, ordinans, aut presentans ad Ordinem, accepta prius promissione aut iuramento ab ordinato, quòd non peteret ab eo alimenta, incurrit suspensionem per triennium, ordinans à collatione, & presentans ab executione Ordinum, & ordinatus ab Ordine sic suscepto, donec à Papa dispensetur, vt exprimitur in cap. pœnult. de Simonia, in cap. verò *Per tuas*. 37. de Simonia, ordinatus ad presentationem cuiusdam, cui promisit se non petiturum alimenta, interdicatur ad superiores Ordines ascendere, & in susceptis ministrare, etiam si ignoret id esse illicitum, quòd Suarez & Auila tantum existimant verum quoad forum exterius, quia in eo præsumitur deliquisse; nos verò etiam quoad forum interius, quando id culpabiliter mortaliter ignorauit, vt significat Glossa.

Qui vero titulo ficto, vt ficto patrimonio, aut ficto beneficio, aut ficta pensione ordinatur, grauius peccat, sed non incurrit suspensionem, vt contra Nauarrum cap. 27. nu. 158. & contra Medinam, in Summa cap. 11. §. 8. docent Auila 3. p. disput. 5. dub. 5. & Aegidius dub. 5. numero 38. quia

33
Trident.

34

Aegidius.

35

36

Auila.

37

38

Nauarrus
Auila.

quia id nullo Iure decernitur, quia canon *Neminem*, & canon *Sanctorum*. 70. distinct. 70. vbi suspenduntur qui ordinantur absque titulo, reuocati sunt per cap. *Cum secundum*. 16. de Præbendis, ac proinde Tridentinum sess. 21. cap. 2. de Reformatione, vbi requirens titulum ad Ordinem sacrum suscipiendum, se remittit ad pœnas antiquorum Canonum contra eos qui aliter ordinantur, non se remittit ad dictos canones *Neminem* & *Sanctorum*, vtpote reuocatos per aliud Ius ante Tridentinum, sed ad alios Canones, nempe ad supra citatos, de Simonia, & ad alios, vbi puniuntur ordinationes factæ absque titulo, præsuppositis pactis simoniacis, aut eis æquiualentibus.

Qui autem ordinatur ab alieno Episcopo per literas dimissorias falsa relatione obtentas, incurrit suspensionem latam contra eum qui ordinatur ab alieno Episcopo sine licentia aut dimissoriis proprii Episcopi, quia ordinatur absque veris seu validis literis dimissoriis; non tamen incurrit suspensionem, qui factò titulo iam ab Episcopo decretus ordinari, postea vera relatione aut simplici petitione obtinet literas dimissorias; quia quod proximè mouet ad eas conferendas, non est titulus fictus, sed vera relatio, aut simplex petitio.

39 Quintò, ordinans simoniacè manet suspensus à collatione omnium Ordinum, & primæ tonsuræ, & à Pontificalibus, & ab ingressu Ecclesiæ; ordinatus verò manet suspensus ab Ordinibus sic susceptis, absque vlla spe ascendendi ad superiores Ordines: quæ pœnæ omni priuilegio ablato referuantur Papæ, vt exprimitur in Extrauagante Sixti V. relata à Sayro lib. 4. cap. 14. & in Constitutione Clementis VIII. relata ab eodem in fine eiusdem libri.

Sextò, ordinatus per saltum est suspensus ab Ordine sic suscepto, vt deducitur ex can. *Sollicitudo*. 52. distinct. & ex cap. vnico de Clerico per saltum promotò, & supponitur in Tridentino sessione 23. cap. 14. de Reformatione: in ea tamen suspensione potest Episcopus dispensare, si sic promotus non ministravit (vt exprimitur in Tridentino) quod additur, quia si ministravit, incurrit irregularitatem per violationem suspensionis, in qua solus Papa potest dispensare.

40 Septimò, qui post matrimonium contractum, quamuis non consummatum, suscipit Ordines sacros aliter quàm in Iure conceditur, manet suspensus ab Ordine sic suscepto, & ab aliis suscipiendis, & à promotione ad beneficia: quam suspensionem, vel potius irregularitatem auferre potest Episcopus, si ordinatus Religionem ingrediat, vt exprimitur in Extrauagante *Antiqua* Ioannis XXI.

Octauò, qui ob percussione Clerici excommunicatus suscipit Ordines, manet suspensus à susceptis, à qua suspensione solus Papa absoluit, nisi Religiosus, qui id aliquo modo ignoranter fecit, quem eius Prælatus absoluit, vt constat ex cap. *Cum illorum*. 32. de Sententia excommunicationis.

Nonò, Sacerdos, qui absque Parochi licentia, cuiusvis priuilegij aut consuetudinis intuitu, sponsus benedicit, aut matrimonio coniungit, manet suspensus quamdiu ab Episcopo Parochi absoluitur, vt decernitur in Tridentino sess. 24. c. 1. de Reformatione matrimonij: quod Suarez disputatione 31. sect. 3. limitat, vt hæc suspensio tantum sit ab Officio Sacerdotali: alij verò eam extendunt, & meritò, vt sit absolutè, ab officio videlicet & beneficio, quia absolutè traditur.

Decimò, Religiosus suscipiens Ordinem sacrum in apostasia, ab eo suspenditur in cap. vltimo de Apostatis.

41 Omittimus plures alias suspensiones Iure latas, quia rarò occurrunt, & videri possunt apud Suarez, Ægidium, & alios. Aduertimus tamen, plures suspensiones à nonnullis adferri, quæ verè non sunt, præsertim eam, qua dicunt esse suspensum Clericum, qui est publicus peccator, præsertim concubinarium; quod esse falsum, deducitur ex Tridentino sess. 21. c. 14. de Reformatione. Sodomita quoque non est suspensus, vt aduertit Ægidius n. 56. quamuis Pius V. sua Constitutione 70. tale nefas exercentes omni beneficio, officio, dignitate & priuilegio clericali priuet, quia hæc Constitutio non obligat ante sententiam Iudicis, præsertim sodomitam occultam, vt aduertunt Suarez & Ægidius: imò ea Constitutio & pœna frequentiam seu exercitium requirit.



TRACTATVS DE DEPOSITIONE ET DEGRADATIONE.



DEPOSITIO est priuatio Ecclesiastica ab omni officio & beneficio Ecclesiastico, in perpetuum, absque spe restitutionis, retento priuilegio Canonis & fori, quæ etiam dicitur Degradatio verbalis. Degradatio verò realis, seu actualis (quæ absolute & simpliciter dicitur Degradatio) est priuatio, qua depositus, seu verbaliter degradatus, priuatur solemniter omni officio & beneficio Ecclesiastico, omnique priuilegio Clericali, in perpetuum, & absque spe restitutionis, vt constat ex c. 2. de Pœnis, in 6. Vnde degradatio actualis seu realis est solemniter executio depositionis, & super eam ad dens priuationem Clericalis priuilegij, quæ, vt deducitur ex Tridentino sess. 13. c. 4. de Reformat. tantum potest fieri ab Episcopo consecrato: depositio verò fieri potest à Iudice ordinario generali, ac proinde ab Episcopo confirmato à Papa, quamuis non consecrato, & à Vicario generali illius, quando depositio est Sacerdotis non Episcopi, quia depositio Episcopi tantum fieri potest à Papa.

Quia verò priuatio, quæ fit depositione & degradatione, quamuis feratur ob peccatum commissum, non fit in punitionem illius, idè de-

positio & degradatio non sunt censura, quia scilicet non sunt pœnæ. Depositiō enim, quamuis lata ob peccatum, non fit vt eâ puniatur peccatum, sed fit ad euitandum nocumentum, quod posset Ecclesiæ euenire, si persona, quæ tale peccatum commisit, non deponeretur; & degradatio fit ad euitandam ignominiam, quæ eueniret statui Ecclesiastico, si vir Clericali dignitate insignitus traderetur brachio sæculari, non facta degradatione, & non fit ad puniendum peccatum.

Constat ergo, quòd quamuis depositio in eo conueniat cum suspensione, quòd vtraque sit priuatio solis Clericis conueniens, ab ea tamen differt Priuò, quòd depositio non sit pœna, suspensio verò sit pœna. Secundò, quòd depositione non tantum impeditur vsus, sed etiam aufertur potestas, quæ potest ab Ecclesia auferri, & quæ auferri non potest, vt potestas Ordinum quasi aufertur habendo personam quasi inhabilem & ineptam ad vsus; suspensione verò tantum impeditur vsus potestatis. Tertiò, quòd depositio semper fit in perpetuum, absq; spe restitutionis, suspensio verò non semper, quamuis fieri possit; & quando fit, saltem distinguitur à depositione quoad duo priora iam dicta.

TRACTATVS DE INTERDICTO. DIFFICVLITAS PRIMA.

Quid sit Interdictum.



Interdictum non sumitur in presenti generaliter pro prohibitione superioris in quacumque materia, sed sumitur specialiter pro quadam pœna priuatiua diuinorum, imposita per modum censuræ, vt sumitur in cap. *Querenti. 20. de Verborum significatione.*

Ad rem ergo accedendo, *interdictum est censura, qua prohibentur diuina officia, & certa Sacramenta actiue & passiue, & Ecclesiastica sepultura.* Est autem interdictum censura, vt constat ex cap. *Querenti. 20. de Verborum significatione*, quia est pœna medicinalis, bono spirituali priuans, & continetur sub censura tamquàm sub genere: in quo conuenit interdictum cum alijs censuris, nempe cum excommunicatione & suspensione, vt constat ex dicto cap. Reliquæ verò particule ponuntur pro differentia, quia eis differt ab excommunicatione & suspensione, quia excommunicatio priuat omnibus dictis quibus priuat interdictum, & etiam alijs, & suspensio non priuat omnibus quibus interdictum, priuat tamen aliquibus ex illis, & etiam alijs, & eisdem quibus priuant excommunicatio, suspensio & interdictum non priuant eodem modo, sed diuerso. Ex quo differentia quasi specifica inter excommunicationem, sus-

pensionem & interdictum, desumitur: quia excommunicatio priuat illis vt pertinent ad communicationem communem fidelium, & suspensio quatenus sunt vsus & exercitium potestatis Clericalis, interdictum verò priuat illis secundum se, quatenus sunt quedam bona quæ possunt participari seu haberi.

DIFFICVLITAS II.

Quotuplex sit Interdictum.

Interdictum est triplex: quia aliud est *personale*, quod scilicet immediatè afficit personam, ei prohibendo participationem diuinorum in omni loco: & aliud est *locale*, quod scilicet quasi immediatè afficit locum, & personas mediatè, ratione videlicet loci, quia scilicet sunt in eo loco, prohibendo ne in eo diuina fiant; aliud est *mixtum*, quod continet personale & locale, quo personæ & locus interdicuntur, quod verè est vnum tertium coalescens ex vtroque dicto indiuisibiliter contra locum & contra personam latum.

Deinde interdictum tam personale quàm locale est duplex, alterum est *generale*, & alterum *speciale* seu particulare.

Interdictum personale generale est, quo inter-

dicitur communitas quatenus constituit vnum corpus, vt populus & exercitus, imò etiam Collegium in populo contentum, vt contra Auilam docent Henriquez cap. 41. num. 3. quia etiam est communitas constituens vnum corpus. Hoc autem interdicto comprehenduntur omnes illius communitatis, quatenus sunt membra seu partes illius, ita vt quamdiu sunt membra illius, sint interdicti in quouis loco; & quando desinunt esse membra illius, desinunt esse interdicti, nisi personæ culpabiles sint, quia ista non eo ipso desinant esse interdicta, quia etiam sunt particulariter interdicta, vt dicemus Difficultate 1v. Interdicto tamen generali personali communitatis priuantur personæ illius non actione aliqua propria communitatis, sicut fit per suspensionem communitatis, quia nulla actio earum, quibus priuat interdictum, conuenit communitati, bene tamen actiones quibus priuat suspensio.

Interdictum personale particulare est, quo vna persona vel plures, vt particulares personæ interdicuntur, & non vt sunt membra communitatis. Est autem interdictum personale nõ solum quando plures illæ personæ nominantur, seu interdictum specialiter fertur, sed etiam quando non nominantur, seu quando interdictum generaliter fertur: vt quando dicitur, *Interdicuntur omnes qui tale furtum fecerunt, aut qui tale furtum fecerunt*: quia in vno & in altero casu non interdicuntur vt sunt membra communitatis, sed vt sunt particulares personæ.

Interdictum locale generale est, quo locus, qui à communitate occupatur, interdicatur, vt prouincia, villa, & castrum.

Interdictum locale particulare est, quo interdicatur vnus locus, vt vna Ecclesia, imò plura loca vt particularia loca, & plures Ecclesie vt particulares Ecclesie, & non vt sunt membra loci communitatis, nempe prouinciæ, aut villæ, seu non vt contentæ sub aliquo loco, quasi & per modum vnus illas continente ea proportione, qua diximus de interdicto personali particulari.

DIFFICULTAS III.

Vtrum posito Interdicto locali, censeatur positum personale, & e contra.

6 **C**onueniunt Doctores, posito interdicto locali, siue generali siue particulari, non censeari positum personale, nisi tantum respectu illius personæ, aut illarum personarum, ob cuius aut ob quarum culpam positum est interdictum locale, vt constat ex cap. *Si sententia*. 16. de Sententia excommunicationis, in 6. & posito interdicto personali particulari, non censeari positum aliquod locale, vt ex se patet.

Est tamen difficultas, An posito interdicto personali generali, etiam censeatur positum locale, id est, an interdicto personaliter populo, etiam censeatur interdictus locus populi, videlicet villa.

Couarru.
Henrig.

Couarruius in cap. *Alma mater*. p. 2. §. 1. n. 7. & Henriquez cap. 42. in fine, partem affirmatiuam tuentur, quia aliàs in loco populi interdicti, nempe in villa, possent Clerici diuina officia solemniter & apertis ianuis celebrare.

7
Nauarrus.
Ægidius.

Nauarrus verò cap. 27. num. 167. & Ægidius disp. 17. num. 20. partem negatiuam tradunt, &

meritò: quia interdictum personale, etiam generale, est omnino distinctum & independens à locali, ac proinde in loco populi interdicti possunt Clerici diuina officia solemniter & apertis ianuis celebrare, etiam si aliquando per accidens non liceat, quando scilicet nequeant non admitti interdicti ad templum, aut ad partes templo vicinas.

DIFFICULTAS IV.

Quæ personæ comprehendantur Interdicto personali.

8 **N**on procedit difficultas de interdicto personali speciali, quia eo tantum comprehenduntur personæ ad quas immediate & ratione sui dirigitur interdictum, siue exprimantur, vt interdicto specialiter lato, siue non exprimantur, vt fit interdicto generaliter lato.

Circa interdictum ergo personale generale conueniunt Doctores, interdicta communitate, v.g. populo, interdicti omnes personas talis communitatis, tam inculpabiles quam culpabiles, vt constat ex cap. *Si sententia*. 16. de Sententia excommunicationis, in 6. (exceptis tamen Episcopis, vt constat ex cap. *Quia periculosum*. 4. de Sententia excommunicationis, in 6.) in quo nulla fit iniuria inculpabilibus, etiam si eo interdicto impediantur ab eo quod eis particulatim conuenit, adhuc à celebrando; quia ex vna parte ab eo non impediuntur, vt est vltus Iuris acquisiti, qua ratione impedit suspensio, sed vt est quædam participatio seu habitio rei diuinæ subiectæ dispositioni Ecclesie, quando adest rationabilis causa, & ex altera adest rationabilis causa, quia id est maximè expediens Ecclesie ad sui defensionem.

9 Est tamen discrimen inter innocentes & nocentes communitatis generaliter interdicta, quòd, vt deducitur in dicto cap. *Si sententia*. innocentes tantum sunt interdicti vt membra communitatis, ac proinde eo ipso, quòd mutatione domicilij aut aliter desinant esse membra communitatis, desinent esse interdicti, absque aliqua alia relaxatione; sicut qui post communitatem interdictam fiunt membra illius communitatis, fiunt interdicti sententia antea lata contra communitatem; culpabiles verò seu nocentes etiam sunt interdicti vt particulares personæ, ac proinde quamuis desinant esse membra illius communitatis, manent interdicti.

Id autem quod diximus, nempe interdicto generali personali communitatis comprehendi omnes personas illius communitatis, est verum, quamuis personæ sint absentes: quia quamuis sint absentes, etiam pertinent ad eam communitatem; ac proinde quando populus interdicatur, etiam interdicuntur habitantes in suburbij, & in ædificijs continentibus; quia quamuis ibi habitent, sunt partes illius populi, imò (vt contra non paucos docent Henriquez cap. 42. & Siluester) personæ quæ habent domicilium in oppido populi interdicti, quamuis habeant domicilium in altero oppido populi non interdicti, & actu habitent in eo, quia etiam verè sunt membra populi interdicti. Et etiã comprehenduntur pueri ratione videntes, non tamen infantes, nec amentes, quoad effectus interdicti in prohibitione consistentes, non quia sunt innocentes, sed quia sunt incapaces prohibito-

10 hibitionis; benè tamen quoad priuationem sepul-
turæ, quia huius priuationis sunt capaces, ex qua
priuatione in alios fideles redundat indirectè
prohibitio sepeliendi illos in loco sacro.

Nec dicto interdicto comprehenditur ille qui
illud posuit, quia nullus potest se ipsum punire,
quia non habet iurisdictionem coactiuam in se
ipsum; benè tamen comprehenditur interdicto
locali tam particulari quàm generali, non imme-
diatè ex ipso interdicto, ob rationem dictam.

Nomine populi interdicti non comprehen-
duntur Clerici (ac proinde multò minus Reli-
giosi) nec econtrà nomine Cleri interdicti com-
prehenditur populus, vt dicitur in dicto cap. *Si
sententia.* quia Clerus & populus sunt distinctæ
communitates, vt pote quæ distinctis legibus gu-
bernantur. Nomine tamen vniuersitatis interdi-
ctæ etiam comprehenduntur Clerici, vt contra
Siluestrum & Angelum docent Auila vbi suprâ,
& Ægidius num. 10. imò etiam Religiosi qui
sunt membra illius, quia omnes prædicti effi-
ciunt eam communitatem, & nomine familiæ in-
terdictæ etiam comprehenduntur Clerici fami-
liæ, quia etiam Clerici sub familia comprehen-
duntur. Quia tamen familia non est propriè com-
munitas, quamuis sit alicuius Magnatis, quia non
regitur proprijs legibus, aut regulis perpetuis,
ideò interdictum familiæ, quamuis Magnatis,
non est generale, sed particulare, vt contra Ægi-
dium aduertunt Sayrus & Auila vbi suprâ; ac
proinde persona familiæ semel interdicta, quam-
uis desinat esse illius familiæ, manet interdicta,
quia est particulariter interdicta, & non generali-
ter, vt membrum communitatis. Nec nomine populi
interdicti comprehenduntur, qui studiorum
aut negotiorum causa in loco dicti populi com-
morantur, quamuis diutiùs commorentur, vt ad-
uertunt Sayrus, Auila, & Ægidius, quia isti non
sunt membra illius populi.

Et nomine Cleri interdicti non comprehen-
duntur Religiosi, quamuis Clerici, nisi qui ha-
bent beneficium, ratione cuius efficiunt vnum
corpus cum Clericis sæcularibus, vt contra Co-
uaruuiam 2. p. §. 1. aduertunt Sayrus, Auila, &
Ægidius vbi suprâ; quia Religiosi sunt distincta
communitas à communitate Clericorum sæcula-
rium, quæ nomine Cleri significatur; quia Reli-
giosi & Clerici sæculares habent distinctas & pec-
uliares constitutiones, quibus peculiariter guber-
nantur. Nomine tamen Cleri interdicti post
Tridentinum sess. 23. cap. 6. de Reformatione, non
comprehenduntur, qui non gaudent priuilegio
fori, etiamsi gaudeant priuilegio canonis.

DIFFICULTAS V.

*Quæ loca comprehendantur Inter-
dicto locali.*

13 **C**onueniunt Doctores, interdicto locali ge-
nerali oppidi etiam comprehendi suburbia
& ædificia continentia, vt decernitur in c. *Si cini-
tas.* 17. de Sententia excommunicationis, in 6.
Ideò autem voluit Pontifex in hac materia, quam-
uis odiosa, nomine oppidi comprehendi prædi-
cta, ne sententia interdicti ferè frustraretur, quia
ciues faciliè possunt ad suburbia & ædificia conti-
nentia ad diuina celebranda & audienda conue-

nire; quod communiter Doctores existimant ve-
rum, quamuis suburbia & ædificia nõ sint subie-
cta dominio temporali oppidi interdicti, ob cuius
culpam fuit interdictum, quia id Pontifex abso-
lutè & absque vlla limitatione decernit, & quam-
uis non sint in iurisdictione Ecclesiastica inter-
dicentis, quia eodem modo interdictum frustra-
retur. In hoc autem casu interdictum extenditur
ad ea loca non iurisdictione ordinaria interdicien-
tis, sed aut delegata à Pontifice, aut Iure commu-
ni lato ab ipso in dicto cap. Illa autem ædificia ad
hunc effectum dicuntur continentia, quæ ita
propinqua sunt oppido, vt faciliè & commodè
possint adiri à populo, vt quando est maior coniun-
ctio ad oppidum quàm vnius milliarij, quæ arbi-
trio prudentis discernenda est.

Et ob dictam rationem, quando oppidum ge-
neraliter interdicitur, etiam interdiciuntur Eccle-
siæ exemptæ à iurisdictione Episcopi, vt Religio-
forum; quia scilicet aliàs frustraretur interdictum
oppidi, quod iam præcepit Tridentinum sess. 25.
c. 12. de Reformatione. Quando verò omnes Eccle-
siæ oppidi speciali interdicto ab Ordinario in-
terdicuntur, non interdiciuntur Ecclesiæ exemptæ,
quia istæ non possunt ab Ordinario specialiter
interdici.

Et ob suprâ dictam rationem decernitur in di-
cto c. *Si ciuitas.* quòd quando Ecclesia aliqua in-
terdicitur, eo ipso interdicitur Capella ipsi conti-
gua, & cæmeterium ipsi contiguum, secùs verò
quando non sunt contigua.

15 Obseruandum est, vt aduertunt communiter
Doctores, interdictis generaliter terris alicuius
Domini, eo ipso intelligi interdictam omnem
terram in quam habet iurisdictionem, quamuis
ei sit data in feudum, aut emphyteusim, aut in do-
tem vxoris, aut in vltimum fructum; non tamen eam
quam habet in pignus, quia ista nullo modo est
illius; nec eam cuius tantum habet dominium di-
rectum, vt est terra quam alijs dedit in feudum,
quia tali interdicto non puniretur ipse; nec eam
terram quam acquirit post latum interdictum, vt
contra Ægidium & alios docent P. Auila part. 5. *Auila.*
disp. 1. dub. 3. Siluester & Sayrus, quia sententia *Siluester.*
non extenditur ad futura, quando in ea id non ex-
primitur aut indicatur. Est tamen discrimen inter
personas quæ de nouo adueniunt populo genera-
liter interdicto, & inter terram de nouo à Domi-
no acquisitam, quòd hæc non sit pars terræ antea
interdicte, personæ verò illæ fiunt pars populi an-
tea interdicti, & ideò fiunt interdictæ, non verò
terra illa.

Terra tamen illa, quam Dominus alienat, desi-
nit esse interdicta, vt contra Sayrum & Auilam
docent Ægidius & alij, quia alienatione definit *Ægidius.*
esse illius, & solùm erat interdicta quatenus erat
illius.

DIFFICULTAS VI.

Quos effectus habeat Interdictum.

16 **S**upponimus, interdictum posse ab ipso latore
limitari quoad effectus, quia non sunt Iure
connexi, sicut sunt effectus excommunicationis.

Conueniunt ergo Doctores, interdicto absolu-
tè & absque vlla limitatione lato, quod est inte-
gram, tria prohiberi. Primò, celebrationem, seu

publicam dictionem diuinorum officiorum, & etiam auditionem eorum publicè, non priuatim dictorum. Secundò, aliqua Sacramenta, præsertim eorum susceptionem. Tertio, Ecclesiasticam sepulturam, vt constat ex cap. *Si sententia*. 16. & ex cap. *Si ciuitas*. 17. & ex cap. *Alma mater*. 24. de Sententia excommunicationis, in 6. & ex cap. *Responsio*. 43. de Sententia excommunicationis, & ex c. *Quod in te*. 11. de Pœnitentijs & remissionibus.

DIFFICULTAS VII.

De primo effectu Interdicti.

17

Suarez.
Auila.

Primus ergo effectus interdicti integri est prohibitio celebrationis & auditionis officiorum diuinorum celebratorum. Ea autem dicuntur diuina officia, quæ nomine Ecclesiæ, seu à Clerico vt ministro publico fiunt, non verò quæ fiunt priuato, modo quo à laicis fieri possunt & solent sine respectu ad ritum Ecclesiasticis proprium, de quo videri possunt P. Suarez d. 34. sect. 3. & Auila par. 5. disp. 4. sect. 1.

Circa quem effectum Iure antiquo tempore interdicti localis generalis concessum erat Clericis pastoribus in cap. *Permittimus*. 57. de Sententia excommunicationis, semel in hebdomada Missam celebrare pro conficienda Eucharistia seruanda pro infirmis, & in cap. *Quod in te*. 11. de Pœnitentijs & remissionibus concessum erat Clericis in Ecclesijs conuentualibus Horas canonicas legere, non cantare, & non pluribus quàm tribus simul; iam tamen Iure nouo Bonifacius VIII. in cap. *Alma mater*. 24. de Sententia excommunicationis, in 6. concessit Primò, vt omnes ministri Ecclesiæ non interdicti personaliter possint tempore interdicti localis Missas quotidie celebrare in Ecclesijs & monasterijs, & alia diuina officia, sicut si non esset interdictum, ianuus tamen clausis, & exclusis excommunicatis & interdictis, & campanis non pulsatis, & submissa voce; ita vt extra Ecclesiã audiri non possint, in quo cap. (sicut & in aliquibus alijs) nomine diuinorum officiorum non intelliguntur administratio & susceptio Sacramentorum, vt ex contextu deducitur.

18

Syrus.
Auila.

Dicta ergo concessio tantum facta est pro interdicto locali, vt constat ex contextu, & non speciali, sed pro generali, vt docent cõmuniter Doctores, & deducitur ex ipso cõtextu, & ex fine Pontificis, & ex vsu: & fit pro Ecclesijs etiã Hospitalium, & Monasterijs, vbi ordinariè fideles solent ad id congregari; nõ verò pro alijs locis extraordinarijs, quamuis approbatis ad celebrandum Sacrum, vt pro Oratorio approbato; quia non dicuntur Ecclesiæ, nec Monasteria. & in dicto cap. vbi fit dicta concessio, tantum fit mentio Ecclesiarum & Monasteriorum: & multò minus pro locis non priuilegiatis: Syrus ergo & Auila, qui dicunt, dictam concessionem fieri pro omnibus locis, etiam in quibus aliàs, secluso interdicto, possunt diuina celebrari, nimis extendunt concessionem Pontificis. Existimamus ergo, extra dictas Ecclesias & Monasteria non posse Missas quotidie celebrari, nec officia diuina conuentualiter dici.

19

Et dicta concessio fit Clericis, quia fit ministris Ecclesiæ, quibus ex officio conuenit diuina celebrare, aut eis inseruire, cum Pontifex velit in Ec-

clesijs & Monasterijs officia diuina solita dici; ac proinde etiam fit omnibus personis Religiosis, etiam feminis, & etiam personis non religiosis deputatis ad seruiendum diuinis officijs, vt Sacerdotis. Fit autem omnibus Clericis, etiam minoribus tantum Ordinibus initiatis, imò & prima tantum tonsura non coniugatis, quia omnes isti sunt ministri Ecclesiæ, non tamen coniugatis, quamuis non bigamis, & quamuis gestantibus tonsurã & habitum clericalẽ, quia isti non gaudent nisi priuilegio canonis & fori, vt cõstat ex cap. vnico, de Clericis coniugatis, in 6. Quod verum existimamus contra Auilam, quamuis ex mandato Episcopi alicui Ecclesiæ inseruiant, dum non sint deputati ad inseruiendum diuinis officijs. Et fit etiam Clericis extraneis alterius Ecclesiæ aut Monasterij. Ita tamen prædictis permittitur celebratio diuinorum, vt crediderim, eis non permitti purè assistere, nisi assistant quasi ministri, seu quasi vnus ex dicentibus aut interuentibus, quamuis re ipsa nec dicant nec inseruiant, sicut solent nonnulli Canonici assistere, quia eis tantum conceditur celebratio diuinorum. Et ob hanc rationem Auila existimat, Sacerdotem non posse communicare de manu aliena, quia ei tantum permittitur celebrare.

Prædicta tamen concessio fit cum quatuor moderationibus. Prima est, quòd id fiat ianuus clausis. Secunda, quòd fiat submissa voce, ita vt moraliter non possit à forinsecis audiri, aut videri. Tertia, quòd fiat non pulsatis campanis, subintellegitur autem à Doctores, *ad conuocandum populum ad diuina officia*. Vnde non prohibetur pulsatio campanæ quoad concionem, nec quoad Salutationem Angelicam, nec quoad designandas horas diei, nec videtur prohibita pulsatio campanulæ dum eleuatur Eucharistia (etiã si Doctores communiter oppositum doceant) quia non fit ad conuocandum populum, sed ad captandam attentionem, iam existentium in templo, & assistentium Sacrificio, vt adorent Eucharistiam. Quarta est, quòd excludantur excommunicati & interdicti: vbi per interdictos etiam intelliguntur, qui causam interdicto non dederunt, & tantum sunt interdicti ratione ipsius loci: aliàs interdictum generale locale ferè relaxaretur in totum. quod satis insinuat in textu, dum ante dictam concessionem dicitur, quòd non fiat relaxatio interdicti, nec quoad delinquentes, quamuis iam pœnitentes, & paratos satisfacere: nec quoad eos qui non deliquerunt, nisi tantum quòd eis, etiam sanis, conferatur Sacramentum Pœnitentiæ. Cui accedit, quòd postea innocentes etiam dicuntur interdicti, quia innocentes certis quibusdam festiuitatibus permittuntur accedere ad altare, non verò illi qui causam interdicto dederunt.

Vnde laici qui non habent priuilegium, quamuis innocentes, non possunt diuinis officijs assistere: nihilominus carentes vsu rationis non sunt excludendi, vt contra Nauarrum docent Auila & Egidius, tum quia isti non sunt capaces prohibitionis, tum etiam quia non assistunt humano modo, & assistentia tantum humana prohibetur. Et ob hanc posteriorem rationem non sunt excludendi interdicti dormientes, si constet eos non esse euigilatos tempore officiorum, nec excludendi sunt adulti innocentes habentes priuilegium Bullæ aut aliud: imò isti diebus festis tenentur audire Sacrum, vt contra Auilam & Egidium

20

21

Auila.
Egidius.

Henriq.
Sotus.

dium docent Henriquez lib. 13. cap. 48. & Sotus in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. quia eo privilegio aufertur prohibitio assistendi; hac autem ablata, præceptum assistendi ipsa prohibitione impeditum expeditur, reuiviscit, & obligat (aliàs Clerici privilegiati in dicto cap. *Alma mater*. non teneantur) quia quamuis possimus non vti privilegio, quando non est præceptum oppositi, secus tamen quando est.

22

Observandum est, quando alicui particulari conceditur privilegium celebrandi, aut assistendi diuinis, etiam ipsius familiares domesticos posse cum eo assistere, vt expressè conceditur in cap. *Licet*. 11. de Privilegijs, in 6. non tamen familiares communitatis privilegiatæ, vt dicitur in eodem cap. quamuis possint familiares proprij singularum personarum communitatis. Per familiares autem domesticos intelliguntur non omnes familiaræ, vt quidam immeritò volunt, sed tantum qui dominum comitari solent, vt docent Nauarrus cap. 27. num. 180. Auila & Ægidius; quod est verum, etiam si habitent extra domum; imò loco eorum qui ob absentiam vel ægritudinem non comitantur dominum, possunt assumi alij.

Nauarrus.
Auila.
Ægidius.

23

Circa eundem primum effectum interdicti conceditur Secundò in dicto cap. *Alma mater*. vt in festiuitatibus Natiuitatis Domini, Resurrectionis, Pentecostes, & Assumptionis Virginis (quibus Martinus V. addidit festiuitatem Corporis Christi, & Eugenius IV. totam Octauam) diuina Officia solemniter celebrentur, ac si non esset interdictum, exclusis tamen excommunicatis, sed non interdictis; ita tamen, vt qui causam interdicti dederunt, non appropinquent altari. vbi nomine interdictorum comprehenduntur etiam localiter tantum interdicti, vt ex contextu ipso deducitur.

Circa hanc secundam concessionem est difficultas Primò, An per festa Paschatum intelligantur primi tantum dies.

24
Henriq.
Suarez.

Henriquez cap. 47. & Suarez disp. 34. sect. 1. docent, tantum intelligi primos dies, quia in Paschate Natiuitatis, secundus dies est festum S. Stephani, ac proinde idem videtur de alijs Paschatibus.

Sotus.
Auila.

Sotus verò in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. & Auila 5. part. disp. 4. sect. 2. dub. 9. docent, & meritò, comprehendi omnes dies festiuos. Et in primis in Paschate Resurrectionis & Pentecostes id non potest negari, quia omnes illi dies festiui tantum pertinent ad ea mysteria, & in eorum honorem obseruantur: in Paschate quoque Natiuitatis negandum non est, reliquos dies festiuos post primum, siue duos siue tres, etiam pertinere ad festiuitatem Natiuitatis, quamuis principaliter ad alios Sanctos, & obseruari non tantum in eorum honorem, sed etiam in honorè Natiuitatis, quia quamuis in honorem Sanctorum non obseruentur, etiam obseruentur in honorem Natiuitatis, saltem duo post primum, sicut fit in alijs Paschatibus: & vt obseruetur tertius dies post primum vbi obseruatur, non parum iuuat Natiuitas Christi.

Incipiunt autem singuli dicti dies festiui à primis Vesperis, quia inde incipiunt eorum solemnitates quoad celebrationem, exceptis festiuitatibus Resurrectionis & Pentecostes, quæ incipiunt à Missa Vigiliæ, quia in earum Vigilijs Missa per anticipationem fit de ipsis festiuitatibus: finiuntur autem festiuitates singularum dierum in Com-

25

pletorio inclusiuè, & non in secundis Vesperis, vt contra non paucos docent Auila & Ægidius, quia Completorium etiam pertinet ad celebrationem illius diei.

Circa eandem secundam concessionem Secundò est difficultas, An in his festiuitatibus tantum permittantur Missa & alia diuina officia, an etiam Communio.

Supponimus, eis, qui dederunt causam interdicti locali generali, qui eo ipso sunt personaliter interdicti, non permitti Communionem, quia eis non permittitur accedere ad altare, absque quo modo ordinario non est Communio.

Circa alios qui tantum sunt localiter interdicti, Suarez disp. 33. sect. 1. & Ægidius docent, eis permitti Communionem, quia eis permittitur participatio diuinorum, sub quibus comprehendi videtur Communio.

Suarez.
Ægidius.

Auila verò 5. par. dist. 4. sect. 2. dub. 12. & Siluester v. *Interdictum*. 5. num. 3. docent, eis non permitti Communionem, & meritò: quia eo interdicto prohibita est Communio, & in c. *Alma mater*. tantum conceditur celebratio Missæ & aliorum diuinorum officiorum; ac proinde quando in eo permittitur participatio diuinorum, non conceditur aliquid noui, sed participatio dictorum: cuius signum est, quòd ea diuinorum participatio etiam permittitur personaliter interdictis, quibus non permittitur accedere ad altare.

26
Auila.
Siluester.

DIFFICULTAS VIII.

De secundo effectu Interdicti.

Supponimus, interdicto etiam prohiberi aliqua Sacramenta, præsertim eorum susceptionem, vt constat ex c. *Si sententia*. 16. de Sententia excommunicationis, in 6. & ex cap. *Responsio*. 43. de Sententia excommunicationis, sed non omnium, quia non prohibetur Baptismus, nec Confirmatio, vt constat ex c. *Quoniam*. 19. de Sententia excommunicationis, in 6. imò nec solemnitates eorum, vt ex eodem deducitur; nec prohibetur Sacramentum Pœnitentiæ, non tantum constitutis in articulo mortis, sicut nec olim, sed nec sanis; quia id conceditur in cap. *Alma mater*. exceptis qui aliqua culpa causam interdicto dederunt, nisi prius de delicto satisfaciant, aut dent sufficientem cautionem de satisfaciendo; aut si neutrum possint, iurent se, quàm primum possint, satisfacturos, aut adiuturos quantum possint, vt Ecclesiæ satisfiat à delinquentibus, vt dicitur in c. *Alma mater*.

27

Nec prohibetur Sacramentum Matrimonij, vt contra nonnullos docent Auila 5. par. disp. 4. sect. 1. dub. 6. Ægidius disp. 1. num. 48. & communiter Doctores: quia quamuis in c. *Si sententia*. 16. de Sententia excommunicationis, in 6. generatim prohibeatur susceptio Sacramentorum, exceptis casibus in Iure expressis, & Sacramentum Matrimonij non excipitur; id tamen intelligitur de Sacramentis commissis administrationi Ecclesiæ; administratio autem Sacramenti Matrimonij non est commissæ Ecclesiæ seu ministris ab ipsa ordinatis, aut deputatis, sed tantum ipsis contrahentibus; benedictiones tamen nuptiales fieri non possunt, quia sunt officia diuina.

28

Prohibetur tamen Communio absque celebratione adhuc Sacerdotibus, vt contra Suarez & Ægidium docent Auila, & alij: quia Iure antiquo

etiam erat prohibitum Sacramentum Eucharistie, quia non erat exceptum, nisi constitutis in articulo mortis, ut constat ex c. *Quod in te.* 11. de Pœnitentia & remissionibus, & ex cap. *Permittimus.* 57. de Sententia excommunicationis, in cap. autem *Alma mater.* tantum permittitur celebratio Missæ, non Communio more laicorum.

Prohibetur etiam Extrema Unctio adhuc Clericis, non tamen Religiosis Mendicantibus, nec Religiosis nostræ Societatis ex privilegio, nec habentibus Bullam Cruciatam: imò etiã his qui habent Bullam, non prohibetur Sacramentum Ordinis, quod etiã interdicto prohibetur, quia habentes Bullam possunt omnia Sacramenta suscipere.

DIFFICULTAS IX.

De tertio effectu Interdicti.

29 **S**upponimus, interdicto priuari corpora sepulturâ sacrâ seu Ecclesiasticâ (non tamen non sacrâ, seu non Ecclesiastica) ut constat ex cap. *Quod in te.* 11. de Pœnitentia & remissionibus; nihilominus interdictus, semel sepultus, quamvis illicitè, non est exhumandus. Qui verò ob interdictum sepultus est in loco nò sacro, interdicto ablato exhumandus est, & in loco sacro sepeliendus.

Excipiuntur tamen in eo cap. Clerici, qui non sunt personaliter specialiter interdicti, & interdictum seruant, qui possunt in cœmeterio sacro, quamvis interdicto, sepeliri (quod non pauci extendunt ad interiora templi) sine campanarum pulsu, & cum silentio. Post cap. tamen *Alma mater.* quamvis sit interdictum locale generale, possunt etiam sepeliri cum solemnitate, & intra templum, cum moderationibus ibi præscriptis; & in suprâ dictis festiuitatibus, etiam absque dictis moderationibus: & post Concilium Constantiense possunt quæcumque personæ, quamvis personaliter interdictæ, eo modo sepeliri in loco sacro non interdicto, quando non sunt denunciata.

30 **I**d verò quod addunt Sotus in 4. dist. 22. q. 3. art. 1. & Auila 5. par. disp. 4. sect. 3. dub. 4. nempe laicum, qui tempore interdicti ex privilegio tantum potest assistere diuinis, nulla facta mentione sepulturæ sacræ, & quemlibet alium in dictis festiuitatibus, posse sepeliri in loco sacro, absque sufficienti fundamento dicitur, ut aduertunt Suarez disp. 38. sect. 1. & Egidius num. 55. quia in dicto privilegio, nec in dictis festiuitatibus non fit mentio, adhuc implicita, sepulturæ sacræ, quia hæc est distinctissima ab officijs diuinis.

31 **C**irca interdictum cum limitatione latum, quo quis interdicatur ab ingressu Ecclesiæ, obseruandum est, eo prohiberi audire officia diuina, & ea celebrare intra Ecclesiam (per Ecclesiam autem etiam intelligitur cœmeterium; quia in eo potest absque vlllo privilegio celebrari) & etiam in loco sacro sepeliri, si impœnitens moriatur, ut constat ex cap. *Is cui.* 20. de Sentent. excom. in 6. imò etiam prohiberi Sacramenta administrari, & suscipi, ut contra Henriquez & Auilam docent Siluester v. *Suspensio.* num. 5. & Egidius, quia Ecclesia non tantum instituta est ad diuina officia celebranda, sed etiam ad Sacramenta administranda & suscipienda: eo tamen non prohiberi intra Ecclesiam priuatim orare, ut contra Monaldum docent communiter Doctores; quia Ecclesia non est ad id per se instituta.

DIFFICULTAS X.

Quomodo interdictus possit exercere ea à quibus est interdictus.

32 **C**onueniunt Primò communiter Doctores, personas personaliter interdictas, siue specialiter siue generaliter, siue Clericum siue laicum, violando interdictum, id est, efficiendo id quod interdicto prohibetur, peccare: imò id esse peccatum mortale ex obiecto; quia persona interdicta remouetur à suprâ dictis rebus, quæ sunt graues ex suo obiecto, ut sunt administratio & susceptio Sacramentorum, celebratio & auditio diuinorum, & Ecclesiastica sepultura. Addidimus, id esse peccatum mortale ex obiecto; quia ex leuitate materiæ, aut ex defectu plenæ deliberationis, potest esse tantum veniale.

Conueniunt Secundò communiter Doctores, Clericos violando interdictum locale, siue celebrando officia diuina absque moderationibus præscriptis in cap. *Alma mater.* siue non excludendo non priuilegiatos, peccare mortaliter ex obiecto, quia quodlibet ex his duobus est graue ex obiecto, & Clericis directè prohibitum.

33 **C**onueniunt Tertio communiter Doctores contra Caietanum & Nauarrum, laicum, quamvis non interdictum personaliter, verè peccare assistendo diuinis, & Sacramenta suscipiendo in loco interdicto; quia etiam laico siue directè siue indirectè prohibetur assistere diuinis, & Sacramenta suscipere in loco interdicto, ut supponitur in cap. *Si sententia.* 16. & in c. *Alma mater.* 24. de Sententia excom. in 6. & in alijs capitulis. Et fanè non ob aliam rationem laicus localiter interdictus eijcendus est à diuinis officijs, nisi quia prohibitus est eis assistere: imò peccat mortaliter ex obiecto, ut contra Sotum & Auilam docent Suarez disp. 34. *Suarez.* *Egidius.* sect. 4. & Egidius num. 69. quia ex vna parte est laico prohibitum, & ex altera est quid graue ex obiecto.

DIFFICULTAS XI.

Quomodo possit communicari cum persona interdicta.

34 **C**onueniunt Primò Doctores, nullam esse prohibitionem, qua laici directè prohibeantur communicare cum interdictis, quamvis nominatim denunciatis, adhuc in diuinis, nisi in sepultura Ecclesiastica; quia nò est Ius aliquod obligans laicos ad vitandum illos, nisi ad non tribuendum illis sepulturam in Clementina 1. de Sentent. excommunicationis. Prohibitione tamen, qua interdicti prohibiti sunt ab exercitio diuinorum, prohibentur alij secundariò eos inducere ad exercitium diuinorum, quando interdictis futurum est illicitum, ne cooperentur peccato interdictorum.

Conueniunt Secundò, Clericos prohibitos esse celebrare diuina coram interdictis: & eos, quibus commissâ est cura Ecclesiæ, prohibitos esse permittere interdictos interesse diuinis, ut patet ex varijs capp. Iuris sæpè citatis.

35 **O**bseruandum est, prædicta quoad laicos in sepeliendo corpora interdictorum, & quoad Clericos in celebrandis diuinis coram interdictis, tantum

tum esse vera de interdictis denunciatis. Censentur autem denunciati omnes populares, populo ipso ab homine seu à Iudice publicè interdicto, aut si interdicti sunt à Iure, quando à Iudice denuntiantur.

DIFFICULTAS XII.

Quas pœnas incurrant violantes Interdictum.

35 **C**onueniunt Primò Doctores, Clericos, siue sæculares siue regulares, violantes interdictum, siue personale siue locale, exercendo solemniter actum Ordinis, fieri irregulares, etiam quando non est censura, vt deducitur ex cap. *Is cui.* 20. de Sententia excommunicationis. in 6. Deinde modo dicto, aut quouis alio violantes interdictum, fieri ineligiblees passiuè, & ineligiblees actiuè, ad dignitates Ecclesiasticas, vt constat ex cap. *Is cui.* 18. de Sententia excomm. in 6. & ex cap. 1. de Postulationibus, nihilominus non priuari vsu iurisdictionis Ecclesiasticæ exterioris, vt contra non paucos aduertit *Ægidius* dub. 4.

36 **C**onueniunt Secundò, Religiosos & exemptos, præsumentes illicitè celebrare diuina in locis interdictis, aut coram excommunicatis vel interdictis non toleratis, suspendi, seu interdicti ab ingressu Ecclesiæ, donec satisfaciant Iudici à quo sententia fuit lata, vt constat ex cap. *Episcoporum.* 8. de Priuilegijs, in 6. & non tantum exemptos à iurisdictione Ordinaria, sed etiam non exemptos, vt contra Auilam 5. par. disp. 5. dub. 4. docet *Ægidius* dub. 4. vt ex dicto cap. efficaciter deducitur.

Ægidius.

Conueniunt Tertio, Religiosos, non seruantes interdictum quod seruatur ab Ecclesia Cathedrali matrice, aut à parochiali loci in quo sunt, excommunicari ipso facto in Clementina 1. de Sententia excommunicationis, & Dominum temporalem alicuius loci, qui compellit Clericum vt solemniter & publicè celebret diuina in loco interdicto, & etiam eum qui sonitu campanæ aut voce præconia præsumit conuocare plebem ad audienda diuina in loco interdicto, & etiam eum qui impedit ne excommunicati aut interdicti, admoniti egredi è templo, egrediantur, & etiam ipsum excommunicatum aut interdictum admonitum nolentè egredi, excommunicari ipso facto excommunicatione Papæ reseruata in Clementina 2. de Sententia excommunicationis.

DIFFICULTAS XIII.

Ob quas causas ferri possit Interdictum.

37 **C**onueniunt Doctores, nullum interdictum posse ferri adhuc validè absque culpa, quia interdictum est pœna: interdictum tamen locale, siue generale siue particulare, & interdictum generale personale, posse ferri ob culpam alienam, vel communitatis, vel Domini aut rectoris temporalis, vt indicatur in c. *Si sententia.* 16. de Sententia excommunicationis, in 6. & in cap. *Non est vobis.* de Sponsalibus; quia ex vna parte tunc pœna in particulares vt partes communitatis redundans, est proportionata culpæ, quæ fuit communitatis aut capitis communitatis; & ex altera, interdicto non priuantur eis, quibus priuantur vt

sunt vsus alicuius iuris acquisiti, sed vt sunt quædam participatio rei diuinæ subiectæ Ecclesiæ, quando adest rationabilis causa, vt adest quando est culpa communitatis, aut capitis communitatis. Et ob hanc rationem dicta interdicta possunt ferri ob culpam Episcopi habentis iurisdictionem Ecclesiasticam, non temporalem, vt contra Henriquez & contra Cardinalem docent Couarruias in cap. *Alma mater.* part. 2. §. 1. & Auila 5. part. disp. 3. dub. 2. & communiter Doctores, & in cap. *Sane.* 11. de Officio delegati.

38

Couarru. Auila.

Ob culpam tamen capitis communitatis, detinentis æs alienum, non potest adhuc validè ferri interdictum generale locale absque licentia Papæ, vt decernitur in Extrauagante *Promde.* de Sententia excommunicationis, in communibus: nec ob culpam alicuius priuati ferri potest interdictum locale, siue generale siue particulare, neque interdictum generale personale, vt contra Henriquez & Auilam docent *Ægidius* disp. 17. num. 24. *Sayrus* & *Suarez*; quia tunc pœna esset improporcionata & iniusta culpæ (ac proinde nulla) quia dicta interdicta sunt pœna communitatis, & dicta culpa nullo modo est communitatis, quia non est ipsius, neque capitis ipsius.

Ægidius. Sayrus. Suarez.

Interdictum verò particulare personale non potest ferri adhuc validè, nisi ob culpam propriam, vt contra Henriquez & Auilam docent *Sayrus* lib. 5. cap. 11. & *Suarez* disp. 36. sect. 3. quia tale interdictum est pœna propria, quæ absque culpa propria nequit iuste (ac proinde nec validè) infligi.

39

Sayrus. Suarez.

Est tamen difficultas, An interdictum possit ferri ob culpam venialem: & tantum procedit de interdicto particulari personali, quia reliqua interdicta, vt pote grauissima pœna, nequeunt adhuc validè ferri, nisi ob culpam mortalem, & non ob quamcumque, sed ob valde grauem. Vnde non procedit de interdicto particulari personali non puro, id est coniuncto locali, siue generali siue particulari, quia istud particulare personale tantum potest ferri ob culpam grauem, sicut & ipsum locale cui adiungitur; quia vtrumque fertur indiuisibiliter, & ob eamdem culpam; & non procedit de quocumque interdicto particulari personali puro, sed de integro, & absolute & simpliciter lato: quia si tantum esset ab ingressu Ecclesiæ ad breue tempus, posset, vt pote leuis pœna, ob culpam leuem seu venialem ferri.

Henriquez ergo cap. 50. & Auila dub. 2. docent, interdictum particulare personale purum integrum ferri posse ob culpam venialem, quia etiam excommunicatio minor potest ferri ob culpam venialem, & est maior pœna, quàm dictum interdictum.

40 *Henriq. Auila.*

Suarez & *Ægidius* vbi supra, & *Vasquez* 1. 2. disp. 58. num. 50. docent, non posse ferri adhuc validè, nisi ob culpam mortalem, quia eis videtur grauis pœna.

Suarez. Ægidius. Vasquez.

Nos tamen existimamus, interdictum particulare personale purum integrum, quando est latum à Iure, vel generaliter ab homine, & non est reseruatum, posse ferri ob culpam tantum venialem; quia istud ex vna parte non est priuatio intensiuè maior quàm excommunicatio minor, & ex altera ita facile potest auferri, ac excommunicatio minor; quia potest auferri à Confessario ordinario, vt dicemus Difficultate XVI. sicut ex-

communicatio minor, vt diximus Tractatu de Censuris in communi, Difficultate x. nihilominus si feratur ob culpam ex obiecto grauem, non incurritur ob solam venialem, quando aliqua causa excusatur quis à mortali. Addidimus, *quando est latum à Jure, vel generaliter ab homine*; quia si est specialiter ab homine, etiam non potest ferri nisi ob culpam grauem, quia difficilè tollitur; quia tantum potest tolli in foro exteriori, sicut etiam excommunicatio minor, si ab homine specialiter feratur, non posset ob culpam tantum venialem ferri ob eandem rationem.

41 Ex dictis constat, omnia, quæ excusant à culpa, prærequisita ad interdictum, mortali aut veniali, pro diuersitate interdictorum, impedire incurSIONEM interdicti, quam etiam impedit ignorantia probabilis ipsius interdicti, quando latum est ab Ordinarijs (vt significatur in cap. *Vt animarum*, 2. de Constitutionibus, in 6.) & etiam iusta appellatio facta ante incurSIONEM ipsius interdicti (nisi quando Iudici concessum est, vt non obstante appellatione procedat in causa) de quibus latè egimus Tractatu de Censuris in genere.

42 Obseruandum est, in quo Doctores conueniunt, interdictum ferri posse non tantum vt censuram, id est vt pœnam medicinalem, & solum ob contumaciam respectu Ecclesiæ præcipientis, sed etiam in puram pœnam, & ob peccatum quod solum sit contra Ius naturale aut diuinum, vt diximus Tractatu de Censuris in communi, Difficultate xviii. vbi alia tradidimus generaliter necessaria ad lationem interdicti & aliarum censurarum.

DIFFICULTAS XIV.

Qui possint interdicere.

43 Conueniunt Doctores, eos omnes & solos, qui habent iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori, siue ordinariam siue delegatam, posse interdicere, sicut etiam excommunicare & suspendere, etiam si Prælati Religionum ex desuetudine nequeant localiter interdicere, vt aduertit Auila 5. par. disp. 2. dub. 1.

Potestatem tamen interdicendi, siue ordinariam siue delegatam, nec licitè nec validè potest exercere excommunicatus non toleratus, nec suspensus non toleratus, in quo Doctores conueniunt: nec posse validè etiam toleratum, adhuc quando pronocatur à fidelibus (& cõsequenter nec licitè) quia non obligat suo præcepto, aut quasi præcepto, cum liberum sit subditis non communicare cum eo in actionibus iurisdictionis, quibus excommunicatione & suspensione priuatur; ac proinde nequit validè interdicto ligare, quia incurio illius supponit inobedientiam, quæ tunc non reperitur.

Et ob dictam rationem Ordinarius excommunicatus, aut suspensus non toleratus, non potest adhuc validè potestatem interdicendi delegare, quia id est actus iurisdictionis; potest tamen validè, quando est toleratus (etiam si illicitè id efficiat, quando ipse se ingerit) quia eo ipso, quod Ecclesia eum tolerat, relinquit illum sufficientem vt possit validè exercere actum iurisdictionis, qui non sit præceptum, sub conditione tamen, si acceptetur.

Interdictus tamen, quamuis non toleratus, potest validè & licitè interdicere: quia interdictus non est priuatus iurisdictione, neque prohibitus illam exercere.

44 Obseruandum est ex cap. 1. de Sententia excommunicationis, in 6. interdictum non posse licitè ferri nisi in scriptis, & causam interdicti exprimendo: ferri tamen validè, vt supponitur in dicto cap. in quo, qui aliter fert interdictum, suspenditur, seu potius interdicatur per vnum mentem ab ingressu Ecclesiæ, & à diuinis Officijs; & vt interdictum latum contra participantes, seu communicantes cum excommunicatis in eis in quibus secundum Ius tantum incurritur excommunicatio minor, sit validum, requiri, eos participantes nominatim moneri tribus monitionibus, vel vna pro tribus, cum interuallo interstitioque competenti, vt constat ex cap. *Statutum*. 13. de Sententia excommunicationis, in 6. iunctis capitulis *Statuimus*. 3. & *Constitutionem*. 9. eodem Titulo.

DIFFICULTAS XV.

Qui possint interdicti.

45 Conueniunt Doctores, omnes baptizatos viuos adultos, excepto Papa, interdicti posse, & non tantum vt singulares personas ratione sui, sed etiam vt partes communitatis, & etiam loca, sed non nisi vt circumstantias, quod idem est, ac personas interdicti seu prohiberi in eis locis diuina celebrare, & eis assistere, & Sacramenta aliqua recipere, & sepeliri. Eos quoque qui semel sunt interdicti, posse iterum & iterum interdicti. Infantes verò non posse interdicti, nec perpetuò amentes, non solum interdicto personali particulari, quia requirit culpam in sic interdictis, cuius prædicti sunt incapaces, sed nec aliquo alio quoad effectus in prohibitione consistentes, quia huius sunt incapaces; benè tamen quoad priuationem Ecclesiasticæ sepulture, quia ex vna parte sunt capaces huius priuationis, & ex altera nullum aliud interdictum excepto personali particulari requirit propriam culpam. Nec defunctos posse interdicti; quia iam sunt extra iurisdictionem Ecclesiæ, quamuis, si moriantur in statu interdictorum, nequeant ab alijs in loco sacro sepeliri, sicut nequeunt in loco interdicto sepeliri, etiam si non moriantur personaliter interdicti, quia interdicto talis loci priuantur in eo sepeliri.

DIFFICULTAS XVI.

Quomodo, & à quo possit auferri Interdictum.

46 Circa prius conueniunt Doctores, interdictum, quod latum est vt censura, tolli per absolutionem, sicut alias censuras, vt patet; latum verò in puram pœnam seu vindictam, non posse tolli nisi aut ex se ipso elapso termino ad quem fuit latum, quod potius est cessare quam tolli, aut per dispensationem ante impletum terminum. Tunc autem interdictum fertur vt censura, quando fertur ob contumaciam respectu Ecclesiæ, & medicinaliter, ita vt emendatione posita sit debita absolutio; vt quando fertur absolute, & post

post admonitionem saltem à Iure factam : tunc autem fertur in puram pœnam , quando fertur ad determinatum tempus , aut in perpetuum , quamvis feratur ob contumaciam ; aut quando fertur ab homine , & non præcessit admonitio saltem facta à Iure , quamvis absolutè feratur , quia in nullo casu ex his , quamvis ponatur emendatio , est debita absolutio.

47 Circa posterius conueniunt Doctores , interdictum absolutè latum , nullum determinando tempus , & illud quod fertur addendo *in perpetuum* , indigere aliquo à quo auferatur , & idem est de eo , quod fertur vsque ad aliquem terminum , vt auferatur ante illum , vt interdictum , quod fertur ad vnum mensem , aut vsque ad effectiorem alicuius operis . Addidimus , *vt auferatur ante illum* ; quia eo tempore elapso , aut eo opere facto ex se ipso , absque aliqua alia relaxatione , cessat , quodcumque illud sit , & à quocumque sit latum (in quo contra nonnullos conueniunt communiter Doctores) quia tunc tantum fertur vsque ad eum terminum , ac proinde eo transacto nequit amplius durare .

Est ergo difficultas , A quo possit auferri interdictum , quod indiget auferri ab aliquo .

48 Circa quam dicendum est Primò , interdictum latum ab homine , vt censuram contra aliquem aut aliquos , nominatim seu specialiter , posse auferri ab ipso Iudice latore (& consequenter ab eius successore , & ab eius superiore) vt patet , & non posse auferri ab alijs , adhuc in foro Sacramentali , aliàs perturbaretur tribunal Iudicis ferentis : interdictum verò à Iure , aut generaliter ab homine latum vt censuram , quodcumque sit , etiam locale & generale personale , posse , quoties non referuatur , auferri ab Ordinario , vt efficaciter deducitur ex c. *Nuper* . 29. de Sententia excommunicationis , quia ex vna parte in ablatione illius nullius tribunal turbatur ; vel quia est latum à Iure , & non ab homine ; vel si generaliter ab homine , quia est incognita persona interdicta , aut locus interdictus ; & ex altera parte eo ipso quod non referuatur , videtur concedi inferiori , aut in eo relinqui facultas ad id : aliàs non esset necessaria referuatio , si Ordinarius non posset auferre non referuatum : non tamen posse auferri à Parocho , nec à Confessario ordinario (excepto personali particulari puro , non adiuncto locali) quia

49 interdictum personale particulare adiunctum generali locali , non impedit absolutionem à peccatis , sicut nec ipsum generale locale , ex concessione Pontificis in cap. *Alma mater* . Et quamvis personale generale , & personale particulare adiunctum locali speciali , & locale speciale impediant , non possunt , quia absolutio ab eis exigit iurisdictionem exteriorem ; & etiam absolutio à locali generali , quia nequeunt Sacramentaliter auferri (quo solo modo possunt Parochus & Confessarius ordinarius) quia nec locus neque communitas personarum possunt Sacramentaliter absolui . Interdictum tamen personale particulare purum , quando non referuatur , & est latum vel à Iure , vel generaliter ab homine , potest à Confessario ordinario auferri , quia impedit absolutionem à peccatis , & persona particularis potest Sacramentaliter absolui , & in eius ablatione nullius tribunal turbatur .

Dicendum est Secundò , interdictum latum

non vt censuram , sed vt puram pœnam , seu vindictam , siue à Iure siue ab homine , adhuc generaliter non posse auferri , nisi à potente dispensare in eo Iure , quando latum est à Iure , & nisi à Papa , quando latum est ab homine seu à Iudice ; sicut nec Iudex inferior potest dispensare in alia pura pœna Iuris , nec in alia pura pœna lata per sententiam etiam ab ipso , quia dictum interdictum non auferatur absolutione , sed dispensatione , ad quam non est potestas in inferiore , adhuc respectu pœnæ à se latæ , nec ei conceditur ex eo quod non referuatur , sed tantum ad absolutionem , quæ est debita eo ipso quod persona est benè disposita .

Obseruandum est , interdictum locale generale non posse auferri ad cautelam , quia ita statutum est in cap. *Presenti* . 10. de Sententia excommunicationis , in 6. benè tamè locale particulare , & quoduis personale , vt deducitur ex eo , quod in dicto cap. id tantum statuatur de locali generali : nihilominus quodcumque interdictum , adhuc locale generale , posse tolli ad tempus ab eo qui potest illud totaliter auferre in foro exteriore , & ab eodem posse quoad aliquem effectum auferri siue ad tempus , siue absq; termino , vt quoad aliquam Missam , aut quoad aliquem sepeliendum ; quia interdictum potest à ferente ipsum , quoad suos effectus limitari , tam quoad primam impositionem illius , quam quoad conseruationem ; quia coniunctio omnium effectuum interdicti non est Iure annexa cum ipso , sicut sunt Iure connexi omnes effectus excommunicationis cum ipsa .

Sed quamvis interdictum in se ipso à nullo , adhuc à Papa , possit suspendi à suis effectibus ipso perseverante (sicut nec excommunicatio , nec suspensio) quia interdictum formaliter nihil aliud est , quam quædam priuatio (sicut etiam excommunicatio & suspensio) & personam esse interdictam , & locum esse interdictum , est effectus formalis interdicti , sicut hominem esse carentem visu , est effectus formalis cæcitatæ . Ipsa tamen sententia , qua latum est interdictum , potest suspendi quoad suos effectus , & ab eo qui potest eam totaliter auferre seu extinguere : quia ex vna parte est distincta à suis effectibus , seu ab interdicto formaliter consistente in effectibus ipsius sententiæ , quia effectus sententiæ sunt ipsum interdictum ; & ex altera parte id nullo Iure est cautum . ex eo autem , quod sententia interdicti suspendi potest quoad interdictum ipsum , quod est effectus ipsius sententiæ , etiam dici potest , quod interdictum suspèdi potest ; quia eo tantum significatur , interdictum ad tempus , cessare suspensione suæ causæ .

DIFFICULTAS XVII.

Quæ Interdicta sint Iure lata.

PRIMO Vniuersitates aut Collegia concedentia locum habitationis vsurarijs , alienigenis interduntur ipso facto in cap. 1. de Vsurijs , in 6.

Secundò , Vniuersitates concedentes repræfalias seu pignorationes , quibus vnus pro alio grauatur , contra personas Ecclesiasticas , aut earum bona , interduntur ipso facto in cap. vnico de Iniurijs , in 6. nisi intra mensem id reuocauerint .

Tertiò , Vniuersitates , aut Capitula appellantià à sententia Papæ ad Concilium Generale , interduntur ipso facto in Bulla Cænz Domini .

Quartò ,

Quartò, communitates exigentes tributum ab Ecclesiasticis absque licentia Papæ, interdicuntur ipso facto in c. *Quamquam*. 4. de Censibus, in 6.

Quintò, Capitula, quæ Sede vacante intra annum concedunt dimissorias ad Ordines ei, qui non coarctatur ad id ratione beneficij, interdicuntur in Tridentino sess. 7. cap. 10. de Reformatione.

Trident.

53

Sextò, qui præsumunt ferre censuram aliquam, non seruata solemnitate præscripta in c. 1. de Sententia excommunicationis, in 6. aut excommunicare non præmissa monitione competenti, interdicuntur non plenè, sed ab ingressu Ecclesiæ per mensem, in dicto c. 1. & in c. *Sacro*. 48. de Sententia excommunicationis.

Septimò, Episcopi, & ipsi superiores, vsurpantes sibi bona Ecclesiarum, aut beneficiorum, interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, donec restituant, in c. *Præsenti*. 9. de Officio Ordinarij, in 6.

Octauò, omnes etiam exempti, qui scienter celebrant aut celebrare faciunt diuina officia in loco interdicto, aut excommunicatos, vel interdictos

non toleratos, ad diuina officia, vel ad Sacramenta, vel ad Ecclesiasticam sepulturam admittunt, interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, donec satisfaciant ei cuius sententiam violarunt, in cap. *Episcoporum*. 8. de Priuilegijs, in 6.

Nonò, Episcopi, qui inter visitandum aliquid acceperunt eis prohibitum in c. 1. de Censibus, in 6. & intra mensem illud non restituant in duplum, interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, donec id restituant, in c. *Exigu*. 2. de Censibus, in 6.

Decimò, laici conferentes Episcopatum, aut Abbatiam, & recipientes ab illis, interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, donec dignitas deseratur, in can. *Si quis deinceps*. 16. quæst. 7.

54

Obseruandum est, esse nonnulla alia interdicta localia, de quibus videri potest Suarez d. 37. *Suarez*. quæ non adducimus, quia post Extrauagantem *Ad euiranda scandala*, non obligant ante denuntiationem à Iudice factam: & adduximus personalia, quia ante denuntiationem obligant interdictos, quamuis non alios, adhuc Clericos.

TRACTATUS DE CESSATIONE A DIVINIS.

DIFFICULTAS PRIMA.

Quid sit Cessatio à diuinis.

55



CESSATIO à diuinis est desistentia à diuinis officijs, & ab aliquorum Sacramentorum administratione in locum decreta, vt deducitur ex cap. *Non est vobis*. 11. de Sponsalibus: aut, quod in

idem incidit, est prohibitio, qua in aliquo loco prohibentur celebrari diuina officia, & Sacramenta aliqua administrari. Et quia prohibitio hæc non fit ab Ecclesia in punitionem alicuius peccati, idè cessatio à diuinis non est censura; quia censura est pœna medicinalis, cessatio autem fit ab Ecclesia tum in signum mœoris ob enormem iniuriam ipsi factam. Quod efficit Ecclesia ad imitationem populi Israëlitici, qui quando captiuus ferebatur, in signum tristitiæ suspendit organa, quibus laudes Deo cantabat. Tum etiam fit ab Ecclesia in defensionem, vt cogat iniuriantem desistere, vt significatur in cap. 1. de Sententia excommunicationis.

56

Dicitur autem cessatio in locum decreta, quia cessatio à diuinis non afficit immediatè personas, sed locum, quem nequit non afficere, cum personas ipsas ratione ipsarum non afficiat, & afficit locum vt circumstantiam, eo modo quo interdictum locale. Vnde qui dicunt cessationem non afficere personas, nec locum, id absque fundamento inò & contra rationem dicunt.

DIFFICULTAS II.

Quos effectus habeat Cessatio à diuinis.

57

Conueniunt Doctores, cessatione à diuinis in loco vbi est posita, prohiberi celebrationem diuinorum officiorum, & administrationem

Sacramentorum, exceptis Baptismo paruulis, & Pœnitentia morientibus, vt dicitur in cap. *Non est vobis*. 11. de Sponsalibus.

Ex eo autem, quòd conceditur Baptismus paruulis, admittunt Doctores, etiam concedi illis Confirmationem, quia est complementum Baptismi, & consequenter etiam concedi confectio-nem Chrismatis: & ex eo, quòd morientibus conceditur Pœnitentia, admittunt etiam, eis concedi Eucharistiam vt Viaticum, & consequenter vnam Missam in hebdomada pro renouatione Eucharistiæ; quæ non inciamur.

Id tamen, quod addunt Henriquez cap. 53. *Henriq.* Couarru. *Anila.* uarruuias in c. *Alma mater*. part. 2. §. 4. & Auila 6. part. d. 1. posse etiam Pœnitentiam administrari sanis, additur absque fundamento; quia nullibi id conceditur, & expressè negatur in cap. *Non est vobis*.

Id etiam quod plurimi asserunt, cessatione negari laicis sepulturam in loco sacro, sicut interdicto, etiam dicitur absque fundamento, vt aduertunt Suarez disp. 39. sect. 2. & Ægidius disp. 17. *Suarez.* *Ægidius.* dub. 7. quia id nullibi cessatione negatur, etiam si interdicto negetur.

Id quoque quod affirmat Paludanus, in cessatione habere locum priuilegium concessum interdicto locali generali in cap. *Alma mater*. nempe vt Clerici ianuis clausis possint diuina celebrare, falsum est, vt aduertunt Couarruuias & Ægidius, quia absque fundamento id extenditur ad cessationem; sicut etiam absque fundamento à nonnullis extenditur ad cessationem priuilegium concessum eidem interdicto in festis Paschalibus, & in alijs, vt possint palàm celebrari diuina.

58

Couarru. *Ægidius.*

DIFFICULTAS III.

Qui possint ferre Cessationem à diuinis,
& qui possint illam auferre.

Circa prius, cessatio à diuinis tantum potest ferri ab habente iurisdictionem Episcopalem in foro exteriori, siue ordinariam siue delegatam, quam ex priuilegio aut expressè concessa, aut ex consuetudine introducta, ferre possunt aliqua Capitula Canonicorum, etiam non Sede vacante, & aliquæ communitates Ecclesiasticæ sæcularium & Regularium: eam tamen non possunt dicta Capitula & communitates validè ferre, nisi pluribus conditionibus seruatis, quæ præscribuntur in cap. 2. & 8. de Officio Ordinarij, in 6. vbi videri possunt, & apud Ægidium disp. 15. dub. 7.

59

Nullus tamen potest cessationem validè ferre, nisi ob causam rationabilem proportionatam incommodis cessationis; & qui absque sufficienti causa cessationem tulit, tenetur recompensare stipendia cessantia eis qui ab officio cessarunt, & quando ex sufficienti, tenetur ad ea damna ille, ob cuius culpam posita fuit cessatio: quando verò ille, qui ponit cessationem, est Capitulum Canonicorum, si eam ponat absque sufficienti causa, aut non requisito illo ob cuius culpam ponitur, Canonici præter dicta damna etiam tenentur restituere Ecclesiæ, in qua posita est cessatio, omnes prouentus quos ab ea Ecclesiæ tempore cessationis perceperunt, & eidem Ecclesiæ cedere reliquos ipsi, aliàs pro eo tempore cessationis debitos non perceptos, quia ita dispositum est in dicto c. 2. de Officio Ordinarij, in 6.

60

Circa posterius, ille tantum potest cessationem auferre qui eam posuit, aut eius successor, vel superior, aliàs turbaretur tribunal ferentis illam;

quia tantum fertur ab homine, & specialiter; & potest auferri siue absolutè siue ad tempus, pro beneplacito eam ponentis: non tamen potest suspendi quoad aliquem effectum, si perseveret quoad alios (nisi à Papa) quia effectus cessationis sunt iure inseparabiliter connexi inter se, sicut effectus excommunicationis.

DIFFICULTAS IV.

Quas pœnas incurrant violantes Cessationem à diuinis.

Supponimus, violantes cessationem à diuinis peccare mortaliter ex obiecto, quia efficiunt contra prohibitionem rei ex obiecto grauis.

Hoc ergo supposito, Religiosi violantes cessationem positam à Concilio Prouinciali (siue generalem, id est loci generalis, siue specialem, id est loci specialis) quam seruat Ecclesia Cathedralis, aut matrix, aut parochialis, ipso facto excommunicantur in Clementina 1. de Sententia excommunicationis, & etiam violantes cessationem generalem positam à Capitulo siue sæculari siue Regulari; non tamen impositam ab alijs, vt contra Suarez disp. 39. sect. 2. & contra Auilam 6. par. disp. 3. dub. 2. docet Paludanus dist. 18. quæst. 8. quia nullibi fertur excommunicatio, nisi ob violationem cessationis à prædictis impositæ.

61

Addimus (in quo conueniunt Doctores) violantes cessationem specialem, quamuis exercendo solemniter actum Ordinis, non fieri irregulares, quia nullibi fertur irregularitas contra illos; imò nec sic violantes cessationem generalem, vt contra non paucos docent Auila vbi supra, & Henriquez cap. 54. quia nullibi fertur, etiam si feratur contra sic violantes interdictum generale, imò etiam particulare, adhuc quando non sunt censuræ.

Paludan.

Auila.
Henriq.



TRACTATUS DE IRREGVLARITATE.

DISPV TATIO PRIMA.

De Irregularitate in communi.

DIFFICVLITAS I.

Quid sit Irregularitas.



IRREGVLARITAS est impedimentum, quo quis ad Ecclesiasticos Ordines promoueri, & iam promotus, in eis administrare tamquam inhabilis prohibetur, Iure Canonico introductum. Vbi nomine Ordinum etiam comprehenditur prima tonsura, utpote principium & dispositio ad illos. In qua definitione Doctores re ipsa conueniunt, quamuis non ab omnibus tradatur eisdem verbis, & à nonnullis absque necessitate ei addatur, *ex defectu, vel ex delicto proueniens.*

Pro eius tamen explicatione supponendum est, irregularitatem ab excommunicatione maiore, suspensione, & depositione, cum quibus habet maiorem similitudinem, quam cum alijs, distinguere in aliquibus. Ab excommunicatione & suspensione Primò, quòd hæc sunt censuræ, quia sunt pœnæ; irregularitas verò non est censura, quia non est pœna, adhuc ea quæ contrahitur ex delicto; quia non fertur in punitionem delicti, sed ad euitandam indecentiam, quæ esset in eo quòd persona, quæ tale commisit crimen, suscipiat Ordines, aut iam susceptos exerceat. Secundò, quòd excommunicatio & suspensio possunt ferri à Iure & ab homine, irregularitas verò tantum à Iure, & non ab homine (subintellige inferiore) quia à Papa ferri posset. Tertio distinguitur ab excommunicatione maiori, quòd hæc pluribus priuat quam irregularitas, ut patet, & eis quibus etiam priuat irregularitas, priuat alio modo, quia eis priuat ut sunt communia alijs fidelibus, & non irregularitas: & à suspensione distinguitur, quia hæc non priuat nisi usu; irregularitas verò etiam quasi priuat capacitatem & potestatem, habendo & tractando personam quasi inhabilem & ineptam.

Deinde differt à depositione Primò, quòd hæc non infertur à Iure, sed ab homine, irregularitas verò non ab homine, sed à Iure. Secundò, quòd depositio saltem directè non inhabilitat, aut quasi inhabilitat ad susceptionem Ordinum, sed ad usum susceptorum. Tertio, quòd depositio non fertur ad euitandam indecentiam, sicut fertur irregularitas, sed ad euitandum damnù commune futurum ex usu Ordinum à persona deposita.

Hoc ergo supposito, in dicta definitione irregularitatis pro genere ponitur *impedimentum*, in quo irregularitas conuenit cum alijs: & pro differentia ponuntur reliquæ particulæ, quia per eas particulas, quo quis ad Ecclesiasticos Ordines promoueri, & iam promotus, in eis administrare tamquam inhabilis prohibetur, distinguitur partialiter ab alijs impedimentis, quia alia pluribus aut paucioribus priuant quam irregularitas: & specialiter ab excommunicatione, suspensione, & interdicto, quia his non prohibetur quis quasi inhabilis & ineptus, benè tamen irregularitate. Et per eam particulam, *Iure canonico introductum*, etiam differt ab omnibus alijs impedimentis, quia omnia alia possunt ab homine ferri, & aliqua à solo homine; irregularitas verò à solo Iure: & per eam etiam differt ab impedimento, quo feminæ, & non baptizati prohibentur, imò inhabiles sunt ad Ordines suscipiendos, quia istud est Iure diuino introductum.

DIFFICVLITAS II.

Quotuplex sit Irregularitas.

IRregularitas (quæ non aliter diuiditur & multiplicatur quam ex causa ob quam fertur) altera est quæ oritur ex defectu, & altera quæ oritur ex delicto: & quælibet ex his in plures alias subdividitur. Quia quæ oritur ex defectu, subdividitur in varias irregularitates, quæ ex varijs defectibus oriuntur: & quæ oritur ex delicto, etiam subdividitur in alias quæ oriuntur ex varijs delictis, de quibus omnibus postea scorsim dicemus.

Est tamen difficultas Primò, An irregularitas, quæ oritur ex delicto, v. g. ex usu Ordinum in suspenso, incurratur ob delictum internum, v. g. ob intentionem utendi Ordinibus in statu suspensionis.

Glossa vltima in cap. *Perniciosè*. de Pœnitentia, dist. 1. & alij pauci Iuristæ partem affirmatiuam tuentur; quia Pontifices aliquando concesserunt priuilegium dispensandi in irregularitate mentali, quæ non potest esse alia quam quæ oritur ex delicto merè interno.

Suarez verò disp. 40. sect. 3. Sayrus lib. 6. cap. 2. Ægidius disp. 18. dub. 2. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò: quia de facto nullum est Ius Ecclesiasticum, quo irregularitas feratur ob delictum aut actum internum; imò nec esse potest, quia actus internus non subiacer

iacet iudicio Ecclesiæ: imò, vt aduertunt Suarez & Ægidius, non oritur nisi ex delicto exteriori consummato, v. g. irregularitas quæ oritur ex delicto homicidij, nõ incurritur ob vulnerationem, quamuis sufficientem ad mortem, nisi re ipsa eueniat mors & quousque eueniat, quia vsque ad illam, quamuis miraculosè impediatur, non est verè homicidium, ob quod tantùm hæc irregularitas fertur.

Ad rationem ergo aduersariorum respondeamus, Si tale priuilegium fuit concessum, nomine irregularitatis mentalis tantùm intelligi omnino occultam, id est ortam ex defectu aut ex delicto omnino occulto.

Secundò est difficultas, An irregularitas quæ oritur ex delicto, incurritur ob delictum exterius, quando est adedò occultum vt probari non possit.

Glossa in cap. vlt. de Temporibus ordinat. & Castro lib. 1. de Lege pænali, cap. vlt. partem negatiuam tuentur; quia in dicto cap. vlt. de Temporibus ordinat. dicitur, periuros, adulteros, & falsos testes posse Sacris initiari, & eis fungi, quamdiu crimen manet occultum.

Nauarrus verò cap. 27. num. 294. Suarez & Ægidius vbi supra, & communiter Doctores partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia id supponitur in Tridentino sess. 24. cap. 6. de Reformatione, dum concedit Episcopis facultatem dispensandi in irregularitatibus progenientibus ex delicto occulto, excepta ea quæ prouenit ex homicidio voluntario, quod etiam ratione constat, quia ex vna parte delictum exterius, quamuis occultum, & non probabile in iudicio, defectu testium, quantum est ex se, subiacer iudicio Ecclesiæ: & vt irregularitas infligatur, nõ est necessaria probatio, quia iure ipso fertur & infligitur: & ex altera parte irregularitates, quæ feruntur ob delictum absolute, feruntur ob delictum quod absolute est tale, quamuis sit occultum, & in iudicio probati non possit.

In dicto autem cap. vlt. pro aduersarijs adducto tantùm est sermo de irregularitate lata ob infamiam annexam dictis criminibus (non ob ipsa delicta secundum se) quæ non est in delictis occultis.

Tertiò est difficultas, An irregularitas quæ oritur ex delicto, incurritur ob delictum tantùm veniale.

8 Supponimus, de facto nullam esse latam irregularitatem ob delictum ex suo obiecto & materia veniale.

Est ergo difficultas, An, quæ lata est ob delictum ex obiecto mortale (vt ob homicidium) quando ex defectu perfectæ deliberationis, aut aliter excusatur à culpa mortali, & tantùm remanet veniale, incurritur ob illud.

Caietanus 2. 2. quæst. 64. art. 8. Armilla v. Irregularitas. num. 14. Couarruias & Corduba partem affirmatiuam tuentur, quia excommunicatio minor, quæ non tantùm priuat susceptione Ordinum, sed etiam aliorum Sacramentorum, incurritur ob peccatum tantùm veniale, ergo etiam irregularitas, quæ tantùm priuat susceptione Ordinum & eorum exercitio.

Nauarrus cap. 27. num. 252. Suarez & Ægidius vbi supra, & Vasquez 1. 2. disp. 158. cap. 5. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia irregularitas

est quoddam grauissimum malum, vtpote priuans magno bono, & in perpetuum, absque spe restitutionis; ergo non est censenda ferri, nisi aut ob grauem defectum, aut grauem culpam, quod etiam, vt contra nonnullos aduertunt Suarez & Ægidius, est verum quando fertur à Papa.

Ad rationem verò aduersariorum respondeamus, quòd quamuis excommunicatio minor priuet maiori bono quàm irregularitas, non tamen est graue malum sicut est irregularitas; quia facilimè tollitur, & quando excommunicatus vult, non verò irregularitas.

DIFFICULTAS III.

Vtrum in dubio Iuris Irregularitatis censendus sit quis irregularis.

9 Quid quærimus est, An qui dubius est an Iure sit alicui delicto quod commisit, aut defectui quem habet, annexa irregularitas, censendus sit irregularis.

Certum est, ob nullum delictum aut defectum cui in Iure non sit expressè annexa irregularitas, incurri irregularitatem, vt dicitur in cap. Is qui. 18. de Sententia excommunicat. in 6. est enim rationi consonum, vt pænalitas Iure lata pro vno casu, non extendatur ad alium ob aliquam similitudinem: odia enim sunt restringenda.

Est tamen difficultas, An quando est dubium, & purum, absque probabili iudicio, an alicui delicto aut defectui sit Iure expressè annexa irregularitas, qui sic est dubius, censeri debeat irregularis, & se gerere vt talem. Addidimus, quando est dubium, & purum, absque probabili iudicio, quia quando probabiliter seu prudenter iudicatur non esse annexam irregularitatem, quamuis etiam sit probabile iudicium pro opposita parte, potest quis se gerere vt non irregularem, iuxta communem & generalem doctrinam in Tractatu de Conscientia.

Circa hanc ergo difficultatem conueniunt Doctores, in dicto puro dubio ante factam prudentem diligentiam ad illud superandum, cum qui sic est dubius, teneri se gerere, vt irregularem ad eum effectum, vt abstinere ab omni eo quod irregularitate prohibitum est: quia ante eam diligentiam temerè se exponet periculo faciendi contra prohibitionem irregularitatis.

Punctum ergo difficultatis in eo est, An si post factam prudentem diligentiam maneat purum dubium (quod rarò eueniet) teneatur quis se gerere vt irregularem, ad dictum effectum.

Suarez disp. 40. sect. 5. Auila disp. 2. dub. 5. & Ægidius disp. 18. docent non teneri, quia in dubio melior est conditio possidentis, vt desumitur ex regula Iuris 65. in 6. ille autem possidet libertatem ab irregularitate, ergo non est censendus irregularis.

Burgasius de Irregularitate par. 1. quæst. 3. & Vasquez 1. 2. disp. 65. c. 3. docent teneri se gerere vt irregularem, & meritò: quia non se gerendo vt irregularem, temerè se exponit periculo faciendi contra prohibitionem irregularitatis.

Vnde, quidquid dicat Suarez, multò meliùs renebitur se gerere vt irregularem, quando nondum est facta diligentia absolute & simpliciter prudens, quamuis facta sit quæ pro temporis &

7
Glossa.
Castro.

Nauarrus.
Suarez.
Ægidius.

10

11

Suarez.
Auila.
Ægidius.

loci opportunitate fieri potest, quando se offert necessitas aliqua exercendi Ordines sacros, quia in hoc casu magis temerè & minùs cautè se exponit periculo faciendi contra irregularitatè, quam in priori casu dicto. Et eodem modo censendus est à Iudice irregularis ad dictum effectum, nempe ut non permittat eum aliquid efficere contra irregularitatem, quamvis non ad effectum infligendi illi pœnam aliam Iure assignatam, quæ non sit prohibitio, ut dicemus Difficultate sequenti in dubio facti.

Ad rationem autem aduersariorum respondemus, eam regulam Iuris, *In dubio melior est conditio possidentis*, tantùm habere locum in materia iustitiæ, non in materijs aliarum virtutum: quia in dubio ad quem pertineat dominium alicuius rei, possessio est titulus faciens ius possidentis ita melius & potius quàm alterius, ut hic alter nequeat rationabiliter conqueri, quòd possidens in dubio dominij rei eam retineat, ob quod non se exponit temerè & absque ratione periculo retinendi rem illam, quamvis fortè sit alterius; respectu verò libertatis ab irregularitate, & à quocumque alio Iure & præcepto, non est verè dominium quod possit meliorari, nec verè possessio qua possit meliorari, ac proinde in dubio Iuris periculum faciendi contra tale Ius, est temerarium & absque ratione.

DIFFICULTAS IV.

Vtrum in dubio facti, cui annexa est Irregularitas, censendus sit quis irregularis.

Quod quærimus est, An qui purè absque probabili iudicio dubius est an commiserit crimen, aut habeat defectum cui expressè est annexa irregularitas, censeri debeat irregularis.

Conueniunt Doctores, in dicto puro dubio ante factam prudentem diligentiam ad illud superandum, eum, qui sic est dubius, teneri se gerere ut irregularem, ad eum effectum, ut abstinere ab omni eo quod irregularitate prohibetur: quia ante eam diligentiam temerè se exponit periculo faciendi contra prohibitionem irregularitatis.

Est ergo difficultas, An si post factam prudentem diligentiam maneat dictum purum dubium (quod non rarè euenit) sic dubius censendus sit irregularis ad dictum effectum.

Circa quam conueniunt Doctores, eum, qui sic est dubius, etiam post factam prudentem diligentiam an commiserit homicidium, censendum esse irregularem, ad dictum effectum. Quod exprimitur in cap. *Ad audientiam*. 12. & in cap. *Significasti*. 18. de Homicidio. Et id non solum est verum in foro interiori conscientiæ & quoad Deum, in quo Doctores conueniunt, sed etiam in foro exteriori, ut contra Panormitanum, Siluestrum, & Arrillam docent Couarruias in Clementina *Si furiosus*. num. 3. de Homicidio, Toletus lib. 1. cap. 51. Suarez disp. 40. sect. 5. Ægidius disp. 18. dub. 2. Vasquez 1. 2. disp. 66. cap. 1. & communiter recentiores: quia in dictis duobus capp. etiam est sermo quoad forum exterius, præsertim in cap. *Ad audientiam*, ut deducitur ex illis verbis, *Ad audientiam Apostolatus nostri peruenit*, id est, ad nostrum tribunal exterius. Et sanè forum ex-

terius seu iudiciale discrepare non debet ab interiori conscientiæ, nisi quando exterius fundatur in aliqua præsumptione: quia quando fundatur in rei veritate, ut in casu præfenti contingit, cognita veritate vtrumque forum consentire debet.

Dissentiunt tamen Doctores, An non solum in casu homicidij, sed etiam in omnibus alijs casibus in puro dubio facti, sic dubius censeri debeat irregularis ad dictum effectum.

Auila p. 7. disp. 2. dub. 5. Suarez & Ægidius vbi supra docent, sic dubium non esse censendum irregularem in alijs casibus (excepto homicidij, ob peculiarem dispositionem dictorum duorum capp.) quia in dubio facti generaliter melior est conditio possidentis suam libertatem ab irregularitate.

Vasquez vbi supra, & plures alij docent, sic dubium censendum esse irregularem ad dictum effectum, etiam in omnibus alijs casibus, & meritò: aliàs sic dubius temerè se exponit periculo faciendi contra prohibitionem irregularitatis. Et id efficaciter deducitur ex dictis duobus capitulis, quia in eis generaliter traditur doctrina pro omni puro dubio facti: quia in eis non traditur ratio aliqua peculiaris & propria dubij homicidij, sed generalis omnibus dubijs (excepto dubio in materia iustitiæ, ob peculiarem rationem traditam Difficultate præcedenti) quia in eis capitulis non dicitur, in dubio homicidij abstinendum esse à ministerio altaris, quia in eo dubio, sed quia in dubijs tutiorem semitam debeamus eligere. Vbi expendendum est, quod dicitur *debeamus*, quo denotatur, tunc non imponi à Pontifice peculiarem aliquam obligationem pro casu homicidij, sed obligationem generaliter in dubio cuiuscumque facti, aliunde prouenire, ex lege videlicet, aut ex præcepto, cuius transgressioni dubius se temerè exponit.

Addimus ad dictum effectum, nempe ut se abstinere ab omni eo quod irregularitate prohibetur: quia solum quantum ad hunc effectum id probat ratio facta, ne scilicet exponatur temerè periculo faciendi contra prohibitionem, ac proinde peccandi, & solum quantum ad hunc est sermo in dictis duobus capitulis.

Id verò quod diximus, non solum est verum in foro interiori conscientiæ, in quo conueniunt Panormitanus, Siluester, & alij, quòd scilicet sic dubius teneatur se gerere pro irregulari ad dictum effectum, sed etiam (quidquid prædicti dicant) in foro exteriori, quòd scilicet ut talis iudicandus sit à Iudice ad dictum effectum, non verò ad effectum condemnandi illum priuatione beneficij, & alijs puris pœnis, quæ non sunt prohibitio irregularitatis; quia eis puris pœnis nemo potest integrè condemnari in dubio. Et de eis procedit Regula 11. Iuris, in 6. *Cum iura partium sunt obscura, reo sanandum est potius quam auctori*, quia contra rationem est, quòd pœna taxata pro aliquo delicto certo, infligatur pro delicto dubio, quia sufficit alia minor tanta aut tanta pro qualitate dubij.

DIFFICULTAS V.

Quos effectus habeat Irregularitas.

Conueniunt Doctores, ei, qui absolutè est irregularis, prohibitum esse Ordines Ecclesiasticos suscipere, & eos susceptos exercere, ut dedu-

12

13

14

15
Toletus.
Suarez.
Ægidius.
Vasquez.

Auila.
Suarez.
Ægidius.

Vasquez.

16

17
Panormit.
Siluester.

18

deducitur ex cap. *Significasti*. 16. de Homicidio, & constat ex definitione irregularitatis tradita Difficultate 1. validè tamen Ordines suscipere, quia Ecclesia, à qua irregularitas instituta est, nequit impedire valorem Sacramentorum, si adhibeantur omnia à Christo requisita. Et quamuis impedire posset valorem primæ tonsuræ, utpote ab ipsa institutæ, de factò tamen eam non irritat; quia credi non potest, Ecclesiam incapacitate ad primam tonsuram, quæ est principium & quasi dispositio ad Ordines, eum, què ad ipsos Ordines incapacitate nò potest. Validè item vti Ordinibus susceptis, excepta potestate Sacerdotali ad absolvendum à peccatis, quia valor ipsius vsus Ordinis, excepto dictò Ordine, tantum pendet à potestate ipsius Ordinis collata per ordinationem, & non ab Ecclesia. Excepimus tamen potestatem Sacerdotalem ad absolvendum à peccatis, quia contra *Ægidium* disp. 18. dub. 1. & contra alios existimamus, absolutionem à peccatis factam ab irregulari, esse nullam, quia irregularitate impeditur quis ab vsu Ordinum quantum potest ab Ecclesia impediri: Ecclesia autem potest absolutionem à peccatis irritare; quia quamuis sit vsus potestatis seu iurisdictionis Ordinis, pendet tamen ab Ecclesia quoad applicationem subditorum; quia ex vi Ordinis nullus est determinatus; absolutio autem in non subditum est nulla.

Quia tamen irregularitate non nisi susceptio Ordinum & horum vsus prohibetur, ideò irregularis potest suscipere quodcumque aliud Sacramentum etià Pœnitentiæ, & exercere quemcumque actum, siue iurisdictionis siue non iurisdictionis, qui non sit vsus Ordinum. Vnde irregularis potest exercere quemcumque actum, qui potest exerceri ab initiato prima tonsura, ut sunt, absolnere à censuris, dispensare in votis, concedere licentiam audiendi confessiones, concedere indulgentias, assistere matrimonio, & alia quæ non sunt vsus Ordinis ex officio facta, quamuis supponant primam tonsuram.

Est tamen difficultas, An irregularitas priuet beneficio Ecclesiastico. Conueniunt Doctores, illicitum esse, conferre beneficium irregulari ex homicidio iniusto ex industria factò; quia id prohibuit Tridentinum sess. 14. cap. 7. de Reformatione, & cuiuscumque absolutè irregulari, ut deducitur ex c. 2. de Clericis pugnantibus in duello.

Dissentiunt, An irregularis sit incapax recipiendi beneficium, ita ut collatio ipsi facta sit nulla.

Nauarrus. *Couarru.* *Henric.* *Nauarrus* c. 27. num. 149. *Couarruuius* 1. part. §. 7. *Henriquez* lib. 14. cap. 2. & communiter Doctores partem affirmatiuam tuerentur, quia deduci videtur ex cap. *Cum bona*. 8. de Etate & qualitate & ordine perficiendorum, & ex dictò cap. 2. de Clericis pugnantibus, & ex cap. 7. & ex vlt. de Clerico excommunicato.

Suarez. *Ægidius.* *Siluester* v. *Excommunicatio*. 4. num. 4. *Felinus* in cap. *Inquisitionis*. de Accusationibus, num. 6. & *Nicolaus Plonius* partem negatiuam tradunt, & non absque probabilitate, ut fatentur *Suarez* disp. 4. sect. 2. & *Ægidius* disp. 18. num. 6. quia ex nullo Iure dicta incapacitas deducitur, quia in dictò cap. *Cum bona*. tantum est sermo de absolute suspensis, & perseverantibus per triennium in suspensione, imò ex eo non constat tales suspensos esse inhabiles, sed tantum esse expoliandos beneficijs antea à possessis, & tunc acquisitis; & in c. 7. de

Clerico excommunicato, tantum est sermo de excommunicatis; ex cap. verò vltimo eodem titulo, & ex cap. 2. de Clericis pugnantibus, ad summum deducitur, beneficium illicitè conferri irregulari, & collationem esse irritandam.

Vnde irregularis multò minùs est priuatus beneficijs ante irregularitatem obtentis, in quo Doctores conueniunt; quia hæc priuatio ex nullo Iure deducitur: imò ex cap. *Clericis*. 5. Ne Clerici vel Monachi, deducitur, Clericum ob irregularitatem ex mutilatione membrorum prouentem, non esse ipso facto priuatum, sed priuandum, & consequenter multò minùs ob irregularitatem ex alijs causis. Vnde beneficiarius irregularis licitè retinet beneficium, quousque à Iudice priuetur, dum possit per se aut per alterum exercere officium beneficio annexum.

De alijs verò peculiaribus effectibus aliquarum irregularitatum dicemus, quando per eas sigillatim discurremus.

DIFFICULTAS VI.

A quo feratur Irregularitas.

Conueniunt communiter Doctores, nullam esse latam seu impositam irregularitatem nisi à Iure humano Ecclesiastico; quod satis indicatur in cap. *Is qui*. 18. de Sententia excommunic. in 6. dum dicitur, nullam incurri irregularitatem, nisi sit expressa in Iure. Et sanè nulla est lata Iure naturali, ut patet: nec Iure diuino; quia non veteri, quia Ius diuinum vetus carimoniale, quo nonnullæ erant irregularitates, morte Christi cessauit; nec nouo gratiæ, quia de eo nullatenus constat.

Irregularitas ergo solo Iure humano Ecclesiastico fertur, & non nisi Papali; quia à nullo Episcopo inferiore legitur Iure lata. Imò eam Iure ferre, reseruatam est Papæ, ut perpetuus Ecclesiæ vsus ostendit, & satis congruenter; quia irregularitas est grauissimum malum, & perpetuum, & ex sui institutione ob solam indecentiam ferenda, non in pœnam; ac proinde fuit maximè conueniens, ut Iure, quo solo executioni mandatur, à solo Papa feratur.

Est tamen difficultas, An irregularitas ferri & imponi possit per sententiam à Iudice Papa inferiore.

Scotus. *Gabriel.* *Scotus* in 4. dist. 25. quæst. 1. & *Gabriel* lect. 9. in can. lit. D. partem affirmatiuam tuerentur, quia ex vna parte Iudices non sunt Iure aliquo impediti ad sic ferendam irregularitatem, & ex altera irregularitas non est malum adeò graue, ut excedat meritum cuiuscumque delicti.

Sotus. *Suarez.* *Auila.* *Sotus* verò in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. *Suarez* disp. 40. sect. 4. *Auila* par. 7. disp. 1. in fine, & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, quod vsus Ecclesiæ ostendit; quia numquam legitur lata sententia, quæ à Iudice inferiore imponatur irregularitas, & satis congruenter; quia irregularitas non est instituta ut pœna ad puniendù delicta, sed ut impedimentum, ad euitandam indecentiam; ad Iudices autem inferiores per sententiam non tam pertinet indecentias vitare, quàm punire delicta. Iudices ergo Papa inferiores, etiam Episcopi, ad ferendam irregularitatem tam per sententiam quàm per Ius, impediti sunt Iure Papali non scripto, sed viua voce aut aliter tradito.

DIFFICULTAS VII.

Qui possint Irregularitatem contrahere.

25 **C**onueniunt Primò Doctores, inhabilem ad validè suscipiendum Ordinem, vt feminam, & quamcumque personam non baptizatam, non posse irregularitatem contrahere; quia irregularitas est quædam priuatio prohibitiua susceptionis Ordinum & exercitij susceptorum: qui autem incapax est Ordinum, nequit priuari susceptione nec exercitio eorum; quia priuatio supponit subiectum capax formæ cuius est priuatio: irregularitas verò est, qua quis est extra regulam in qua esse poterat.

Conueniunt Secundò, omnem habilem ad validè suscipiendum Ordinem, etiam Episcopum (excepto Papa) posse irregularitatem contrahere, quia ex vna parte est capax prohibitiuæ priuationis susceptionis Ordinis, & exercitij Ordinis suscepti; & ex altera parte quicumque, excepto Papa, est omnino subiectus Iuri Pontificio, quo irregularitas fertur. Excepimus Pontificem, quia quamuis sit subiectus Iuri suo quoad vim directiuam, non tamen quoad vim coactiuam, nec quasi coactiuam; irregularitas autem, quamuis sit prohibitio, quia tamen non est pura, sed pœnalitas quædam, & malum quoddam, pertinet ad vim coactiuam.

26 **E**st tamen difficultas, An Episcopi comprehendantur Iure generali quo fertur irregularitas.

Maiolus. Maiolus lib. 4. de Irregularitate, cap. 1. num. 7. negat eos comprehendere, quia in c. *Quia periculosum*. 4. de Sententia excommunicationis, in 6. decernitur, Episcopos non teneri Iure generali ferente suspensionem aut interdictum.

Suarez. Suarez verò disp. 4. sect. 7. affirmat, & meritò: quia nullo Iure excipiuntur ab incurrendo irregularitatem, imò nec ab incurrendo excommunicationem, quamuis Iure dicti cap. excipiuntur ab incurrendo suspensionem & interdictum, quæ Iure generali feruntur, quæ sunt distincta ab irregularitate & ab excommunicatione.

DIFFICULTAS VIII.

Quæ excusent delinquentem ab Irregularitate lata ob delictum.

27 **S**upponimus, ea omnia quæ excusant opus delicti à culpa mortali, excusare delinquentem ab irregularitate ob illud delictum lata. Ita Auila disp. 1. dub. 7. & Egidius disp. 18. dub. 4. quia irregularitas quæ fertur ob delictum, non incurritur nisi ob delictum mortale. Vnde ignorantia inuincibilis, & defectus plena aduertentiæ & considerationis, siue Iuris ob cuius violationem fertur irregularitas, siue facti quo dictum Ius violatur, excusant ab irregularitate, quia excusant à culpa mortali: & etiam metus mortis, aut infamiae, aut aliis nocuenti grauis, excusat ab irregularitate

annexa operi prohibito Iure tantum humano; quia tunc metus cuiuscumque nocuenti grauis excusat opus à culpa, saltem à mortali.

Est tamen difficultas, An quis incurrat irregularitatem latam ob opus etiam Iure naturali prohibitum, vt ob homicidium, quando inuincibiliter ignorat, tale opus esse Iure humano Ecclesiastico prohibitum.

Nauius. *Sancius.* *Egidius.* Nauarrus cap. 27. num. 16. Sancius l. 9. disp. 3. 2. & Egidius num. 29. docent, eum, qui delinquit, ignorans inuincibiliter id esse contra Ius Ecclesiasticum, non incurere irregularitatem; quia irregularitas lata ob delictum, tantum fertur ob contumaciam inobedientiæ Ecclesiæ; qui autem ignorat inuincibiliter delictum esse ab Ecclesia prohibitum, non est Ecclesiæ inobediens seu contumax: imò addunt, non incurere irregularitatem qui ignorat inuincibiliter eam esse delicto annexam, quamuis sciat delictum Iure Ecclesiastico prohibitum.

Et ob rationem dictam, si efficax est, non incurret irregularitatem, qui non considerat seu aduertit actu, delictum esse contra Ius Ecclesiasticum, etiam si habitualiter sciat, imò & qui non considerat ei delicto esse annexam irregularitatem, quod Egidius tenetur admittere, iuxta illud quod docent disp. 13. num. 93.

Sorus. *Vasquez.* *Suarez.* Sotus verò in 4. dist. 22. art. 2. Vasquez de Excommunicatione dub. 16. & Suarez disp. 4. sect. 5. docent, eum qui committit delictum etiam Iure naturali prohibitum (vt homicidium) cui est annexa irregularitas, eam incurere, quamuis ignoret delictum esse Iure Ecclesiastico prohibitum, & meritò: quia homicidium v.g. & quodcumque aliud delictum factum contra Ius naturale, etiam cum omnimoda ignorantia prohibitionis Ecclesiasticæ, ob quod lata est irregularitas, est simpliciter tale delictum, v.g. homicidium, aut aliud: & quamuis in eo delicto non sit contumacia in Ecclesiam, remanet in eo sufficiens indecentia ad suscipiendos Ordines, & ad exercendos iam susceptos, ob quam euitandam fertur irregularitas: imò in eo remanet sufficiens culpa, vt ea pœnalitas ei infligatur, quamuis irregularitas infligeretur vt pœna; ergo absque fundamento prærequiritur notitia prohibitionis Ecclesiasticæ ad incurrendam irregularitatem latam ob delictum alio Iure prohibitum.

Addunt prædicti, multò minùs præquiri scientiam seu notitiam annexionis ipsius irregularitatis ad eam incurrendam, & meritò; quia de ratione pœnæ aut quali pœnæ non est, quòd sit voluntaria. Quòd autem delictum absque notitia irregularitatis factum, habeat minorem contumaciam seu inobedientiam respectu Ecclesiæ, parum refert; quia absque ea notitia sufficientem habet contumaciam & indecentiam; est tamen peculiare excommunicationi, & alijs pœnis latis per statuta Ordinariorum, quòd probabiliter ignorat non incurrantur, quia id est peculiariter dispositum in cap. *Vt animatum*. 2. de Constitutionibus, in 6.

DISPUTATIO II.

De Irregularitate in particulari.

DIFFICULTAS I.

De Irregularitate proueniente ex delicto illicitæ susceptionis Sacramentorum.



CONVENIUNT Doctores, cum, qui scienter baptizatur bis, & qui alium rebaptizat, & qui rebaptizanti ministrat, esse irregulares. De eo qui bis baptizatus est, constat ex can. *Eos quos*. de Consecratione, dist. 4. De ministrante rebaptizanti constat ex cap. *Ex literarum*. 2. de Apostatis, ubi etiam expressum censetur, ipsum rebaptizantem fieri irregularem eo ipso, quod ei ministrans ad eum actum sit irregularis, quia ei cooperatur. Irregularitas tamen hæc quoad ministrantem rebaptizanti, tantum est ut nequeat Ordines suscipere, non vero ut nequeat iam susceptos exercere, ut constat ex dicto c. *Ex literarum*. Et idem est de rebaptizante, quia eodem iure fit irregularis quo minister, sed eam non incurrit minister, quando crimen non est publicum, ut patet ex contextu dicti c. Idemque esse de rebaptizante contra communem sententiam Doctorum, docet Panormitanus in dictum c. quod etiam sentiunt, & non absque ratione, quamuis id non audeant exprimere, Suarez Tractatu de Baptismo disp. 31. sect. 6. dub. 3. Egidius n. 36. & Fillucius; quia uterque ex eodem textu & iure fit irregularis. Si ergo minister non fit nisi quando crimen est publicum, nec rebaptizans fiet. Qui vero rebaptizat sub conditione, *si non es baptizatus*, & qui absolute rebaptizat, sed absque intentione, non fit irregularis, quia neuter rebaptizat: & idem est de eo qui sic rebaptizatur, & de eo qui dictis rebaptismis ministrat.

Conueniunt Secundò, baptizatum ab hæreticis, & etiam rebaptizatum ab eis, esse irregulares, ut constat ex can. *Qui in qualibet*. 1. quest. 7. qui, sicut & alij prædicti, ab irregularitate excusantur ob ignorantiam probabilem, tam facti cui est annexa irregularitas, quam prohibitionis ipsius facti, & ob necessitatem, & ob quamcumque aliam causam, ob quam excusantur à culpa mortali, ut diximus de omni irregularitate lata ob delictum, Disputat. 1. Difficult. VIIII.

Addimus, adultos baptizatos in ægritudine ob periculum mortis non posse Sacerdotes ordinari, ex can. vnico dist. 5. (nisi postea fides eorum bona vitâ probetur, aut nisi sit Clericorum inopia) quæ irregularitas non incurritur ob delictum dilationis Baptismi, sed ob defectum probatæ fidei, ut deducitur ex contextu.

Ob iterationem Confirmationis & Ordinis non incurritur irregularitas, ut contra Antonium docent Auila par. 7. disp. 7. dub. 5. Couarruias & Henriquez, quia id nullo iure decernitur, & multò minus ob iterationem consecrationis & aliorum Sacramentorum.

Qui Ordines furtiue suscepit, obtrudendo se Episcopo pro altero, significando se esse alterum, ut qui curat alterum pro se examinari, & postea

ordinatur, quasi sit qui examinatus est, prohibetur ad alium Ordinem promoueri, in cap. 1. de eo qui Ordinem furtiue suscipit: dispensatio tamen illius Episcopo remittitur, nisi quando fuit sub pœna excommunicationis prohibitus sic accedere; quia tunc cum eo nisi iam facto Religioso & post vitam aliquamdiu laudabiliter actam, nequit Episcopus dispensare, ut constat ex dicto cap.

Ille quoque, qui post matrimonium contractum, quamuis non consummatum, vxore inuita sacros Ordines suscipit, est irregularis, ut constat ex Extrauag. *Antiqua concertationi*. cum quo poterit Episcopus dispensare, si postea Religionem approbatam profiteatur, ut ex eadem Extrauagante constat.

Variæ aliæ irregularitates, quæ à nonnullis afferuntur ob illicitam Ordinis & aliorum Sacramentorum susceptionem, non sunt admittendæ, quia non satis exprimuntur in iure.

DIFFICULTAS II.

De Irregularitate ex illicito vsu Ordinum.

CONVENIUNT Primò Doctores, Clericum exercentem Ordinem quem non habet, esse prohibitum promoueri ad alium Ordinem, & etiam per biennium aut triennium pro arbitrio Episcopi esse prohibitum exercere Ordinem dignissimum quem habuerit, ut constat ex cap. 1. & 2. de Clerico non ordinato.

Est tamen difficultas, An laicus exercens actum Ordinis fiat irregularis.

Angelus v. *Irregularitas*. 1. num. 38. Sayrus c. 10. num. 6. Henriquez cap. 6. num. 1. & Bonacina disp. 7. quest. 3. par. 6. num. 1. negant: quia titulus dictis duobus capp. affixus loquitur de Clericis vsurpantibus Ordinem quo carent.

Auila vero disp. 9. sect. 2. dub. 13. & Egidius *Auila* disp. 18. dub. 4. affirmant, & merito: quia dicta *Egidius* iura absque limitatione loquuntur de vsurpante Ordinem quem non habet, utulus autem ipsis affixus est post ipsa iura lata, & non à ferente illa.

Ut tamen hæc irregularitas incurrat, siue à Clerico siue à laico, requiritur quod Ordinem, quem vsurpat, exerceat serio, ut aduertunt Auila & Egidius, & quod exerceat illum ut ordinatus, seu solemniter, id est, eo modo quo nequeat à non ordinato exerceri. Vnde laici, qui exercent Ordines minores, quocumque modo eos exerceant, non fiunt irregulares, quia actus eorum Ordinum iam non censentur proprii eorum, nec qui in Missa canit Epistolam sine manipulo, quamuis cum dalmatica: nec qui canit Euangelium absque stola, quamuis cum dalmatica & manipulo: & addit Auila, canentem prædicta cum omnibus requisitis, quamuis peccet, non fieri irregularem, si id non efficiat animo exercendi cum Ordinem, sed supplendi defectum ordinati: & qui baptizat non solemniter, quamuis sit laicus, & extra necessitatem, non fit irregularis, quia Baptismus priuatus non est actus ordinati ut ordinati. Tamen qui non

1

Panormit.

Suarez.
Egidius.
Fillucius.

2

3

Auila.
Couarru.
Henriq.

4

5

Auila. Egidius. Sacerdos absoluit Sacramentaliter, fit irregularis, vt contra Siluestrum & Ledesnam docent Auila & Egidius, quia talis absolutio est actus Ordinis. Qui verò fingens se Parochum, assistit matrimonio, non fit irregularis, quia non exercet actum Ordinis, sed testis qualificati.

6 Conueniunt Secundò Doctores, eum qui excommunicatione maiori, aut suspensione, aut interdictione ligatus exercet suprà dicto modo aliquem actum Ordinis sacri, fieri irregularem, vt constat ex cap. 1. de Sententia & re iudicata, & ex cap. *Is qui.* 18. & ex cap. *Is cui.* 20. de Sententia excommunicationis, in 6. non verò eum qui exercet actum minorum Ordinum, quocumque modo exerceat, vt contra Nauarum & Siluestrum docent Antoninus, Auila & Egidius, ob rationem supràdictam, quia ex consuetudine deserunt esse actus proprii eorum Ordinum: nec eum qui irregularitate impeditus exercet actum cuiuscumque Ordinis.

Antonin. Auila. Egidius.

Varia alia irregularitates afferuntur pro censura ligatis, & specialiter pro Ecclesiastico excommunicato, qui efficit vt diuina officia coram ipso fiant, sed absque Iure expresso aut efficaci, vt

Egidius.

Egidius aduertit num. 49.

DIFFICULTAS III.

De Irregularitate ex heresi.

7 Conueniunt Doctores, hæreticos etiam post conuersionem non posse ad ullos Ordines promoueri, vt constat ex can. *Saluberrimum.* 1. quæst. 7. & esse inhabiles ad beneficia & officia publica, vt constat ex cap. 2. & ex 15. de Hæreticis, in 6. Nomine autem officiorum publicorum non intelligitur Ordo (quamuis verè sit officium & publicum) tum quia baptizatus non potest fieri inhabilis ad Ordinem, & eius ordinatio nequit esse irrita ab Ecclesia, vt in dictis duobus capp. de Hæreticis supponitur futura collatio beneficii & officij publici; tum etiã quia priùs dicitur illos esse inhabiles ad beneficia, quàm ad officia publica; etsi nomine officiorum etiã intelligeretur Ordo, priùs dicerentur inhabiles ad officia quàm ad beneficia, sicut collatio Ordinis præsupponitur ad collationem beneficii. Et id sensit Sayrus lib. 6. cap. 10. & etiam ille, qui dicto cap. 15. affixit titulum, dum pro verbo *ad officia publica*, posuit *ad officium seculare*. Et eodem modo dicuntur inhabiles ad beneficia & ad officia publica receptores hæreticorum, & eorum fautores in his quæ pertinent ad hæresim, & descendentes hæreticorum, & receptorum, & fautorum, vsque ad secundam generationem inclusiuè, vt dicitur in dicto cap. 2.

Sayrus.

8 Hæc tamen inhabilitas in cap. 15. limitatur quoad descendentes ex prædictis per lineam femineam ad primum tantum gradum, & etiam limitatur quoad descendentes ex prædictis probatis fuisse tales, & non reconciliatis Ecclesie ante mortem, aut non emendatis, ita vt si isti non fuerunt iuridicè probati hæretici, aut si fuerunt, mortui tamen sunt Catholici, aut emendati, eorum descendentes non fiunt inhabiles ad prædicta. Quod est verum, vt contra Auilam dub. 3. docent Henriquez cap. 5. & Egidius dub. 7. quamuis prædicti moriantur relaxati brachio seculari; quia textus absolute loquitur, & absolute excipit descenden-

Henriq. Egidius.

tes reconciliatorum. Nec fiunt inhabiles descendentes prædictorum morientium absque emendatione, si nati fuerunt ex eis quando erant Catholici, & non fautores, nec receptores, vt contra nonnullos aduertit Sayrus lib. 7. cap. 10.

Et quamuis Doctores communiter doceant, descendentes hæreticorum non reconciliatorum esse prohibitos ordinari ex dictis capit. 2. & 15. ex eis tamen difficilè deducitur, vt aduertit Sayrus lib. 6. cap. 10. quia in eis tantum dicitur inhabiles ad beneficia & ad officia publica, quorum nomine diximus non comprehendere Ordinem. Et ob eandem rationem difficile existimamus, fautores & receptores hæreticorum, & eorum descendentes esse prohibitos ordinari; quia si ex aliquo Iure, maxime ex Iure dictorum capp. in eis tamen tantum dicuntur inhabiles ad beneficia & ad officia publica.

Sayrus.

Bulla autem Pauli IV. relata à Nauarro lib. 5. Consiliorum, tit. de Iudæis & Sarracenis, conf. 1. in qua descendentes ex Iudæis vel ex hæreticis vsq; ad quartam generationem prohibentur sacris Ordinibus initiari, & Bulla Gregorij XIII. qua id extendit ad descendentes ex Sarracenis, non sunt in vsu, vt aduertit Auila disp. 4. dub. 3.

Nauarrus.

Clerici tamen conuersi ab heresi non possunt ad superiorem Ordinem promoueri, vt patet ex dicto can. *Saluberrimum.* possunt tamen absque dispensatione aliqua suis Ordinibus uti (quidquid nonnulli dicant) vt ex eodem can. deducitur.

10

DIFFICULTAS IV.

De Irregularitate ex delictis infamibus.

Conueniunt Primò Doctores, per crimina, quibus Iure Canonico, imò & civili (cui non resistit Canonicum) annexa est ipso facto infamia, vt sunt crimen læsæ Maiestatis, vsuræ, duelli, & persecutionis hostilis Cardinalium, incurri irregularitatem, quia talibus criminibus delinquentes vocantur infames in Iure: infames autem prohibentur ad Ordines promoueri, can. *Infames.* 6. quæst. 1. & etiam incurri similem irregularitatem per crimina enormia, vt per adulterium, furtum, sacrilegium, & plura alia, de quibus partim generaliter, partim specialiter fit mentio in dicto can. & in cap. vltimo de Temporibus ordinat. quia sic criminosi etiam fiunt infames, non tam Iure quàm facto. Imò, vt contra nonnullos docent Suarez disp. 48. & Filiucius Tract. 9. cap. 8. quæstio 9. etiam incurritur ob quodcumque peccatum mortale, quamuis non enorme, quia per quodcumque fit quis infamis, vt constat ex can. *Illi qui.* 6. quæst. 1.

Suarez. Filiucius.

Ad incurrendam autem dictam irregularitatem per dicta crimina, quibus Iure non est ipso facto imposita infamia, requiritur, quòd sint notoria, siue confessione rei in iudicio, siue sententia declaratoria irreuocabili, siue notorietate facti, quando scilicet crimen ita evidens fuit maiori parti vicinæ, aut Collegij (in quo Collegio, aut in qua vicinia ad minus habitant decem) vt nulla possit tergiversatione celari, vt deducitur ex dicto cap. vltimo de Temporibus ordinat. dum excipitur homicidium, vt ex eo, quamuis occulto, oritur irregularitas (& merito excipitur, quia ex eo etiam ratione sui, seclusa infamia, oritur irregularitas.)

Requi-

12

Requiritur autem dicta notorietas, vt ex eis oriatur irregularitas, quamuis absq; ea notorietate, quando sunt publica, infamant, quia id fuit expediens ad excusandas lites, & scrupulos: imò dicta notorietas requiritur communiter à Doctores contra Suarez & Filiucium, ad incurrendam dictam irregularitatem per ea crimina quibus Iure imposita est ipso facto infamia, & satis congruenter; quia etiam ipsa infamia communem requirit opinionem, imò Ius ipsum indicatum in dicto cap. vlt. pro his criminibus non est contentum eorum publicitate, sed requirit dictam notorietatem, ob eandem rationem.

13 Excipimus tamen ea crimina, quibus ratione sui, seclusa infamia, est annexa irregularitas, quia ob hæc, quamuis occulta, incurritur irregularitas; quia imponitur ob talia peccata absolute & secundum se, & sunt talia absolute & secundum se, quamuis sint occulta, qualia sunt homicidium iniustum, rebaptizatio, & ministratio Sacramentorum, quando ministrans est aliquâ censurâ ligatus. Crimen tamen hæresis, quamuis non solum ratione infamiae, sed etiam ratione sui habeat annexam irregularitatem & inhabilitatem, eam non inducit, si non sit publicum; quia ita disponitur Iure speciali, indicato in supradicto can. *Saluberrimum*. & in supradictis c. 2. & 15. de Hæreticis, in 6. vt contra non paucos aduertunt Henriquez cap. 8. & Auila disp. 4. dub. 2. imò Sayrus lib. 7. cap. 11. ad id requirit in hæresi prædictam notorietatem.

Henriq.
Auila.

Conueniunt Secundò Doctores, etiam incurri dictam irregularitatem ob infamiam inflictam à Iudice per sententiam, & etiam ob infamiam ex publica punitione corporali, vt ex publica verberatione, & ob infamiam ex officio, aut ex quacumque alia causa prouenientem, vt constat ex dicto cap. *Infames*.

14 Est tamen discrimen inter irregularitatem incursum ob crimina, quibus Iure ipso annexa est infamia ipso facto, & prouenientem ex sententia & ex publica punitione corporali, & ex officio ex vna parte, & inter irregularitatem ob infamiam prouenientem ex delicto enormi, & (secundum nostram sententiam) ex quocumque peccato mortali, quibus Iure ipso non est annexa infamia ipso facto, quamuis criminofus ob illa, quando sunt publica, infametur, quamuis infamia insufficiente ad dictam irregularitatem, quando non sunt dicto modo notoria, quòd prior irregularitas non cessat, nisi dispensatione superioris, aut ablatione infamiae facta à Principe, siue sæculari siue Ecclesiastico, pro qualitate infamiae; quia ea irregularitas prouenit ex infamia, quæ quia lata est ob crimen semel factum, aut officium semel exercitum, aut ob punitionem publicam semel inflictam, semper ex se perseverat, & consequenter etiam irregularitas ob illam incurfa: posterior verò irregularitas cessat pœnitentia, siue mutatione vitæ publicè nota, vt ex dicto cap. vltimo deducitur, quia ea vitæ mutatione cessat infamia ob quam irregularitas fuit incurfa & conseruabatur, quia solum proueniebat ex ipsis delictis, quatenus scēdabant delinquentem, quod deletur mutatione vitæ publicè nota.

15

DIFFICULTAS V.

De Irregularitate ex homicidio iniusto, aut ex iniusta mutilatione ex proposito factis.

Conueniunt Primò Doctores, eum, qui ex proposito occidit hominem, aut eum mutilat, id est membrum aliquod illius abscindit, esse irregularem, vt constat ex tit. de Homicidio, in 6. & in Decretalibus.

Dicitur autem quis ex proposito & non à casu 16
occidere aut mutilare, vt optimè Vasquez 1. 2. Vasquez.
d. 100. num. 39. & communiter Doctores aduertunt, quando quis directè intendit homicidium aut mutilationem in ipsis, aut in causa cum qua homicidium aut mutilatio inseparabiliter coniungitur, vt quando quis alicui propinat venenum, aut apponit aliam causam proximam sufficientem morti aut mutilationi, præuidens aut suspicans mortem inde aut mutilationem euenturam, quia iste moraliter æquiualeat intendenti ex proposito, seu directè mortem aut mutilationem.

Et non solum qui occidit aut mutilat est irregularis, quando id facit solus, sed etiam quando cooperatur cum altero ad id, quia etiam est verè homicida aut mutilator: ac proinde, quando duo ita percusserunt aliquem, vt vtriusque percussione fuerit occisus aut mutilatus, vterque est irregularis, quamuis neutrius percussio seorsim esset sufficiens; quia tunc vterque est verè homicida. Si tamen alter ita percussit, siue leuiter siue lethaliter, vt percussio ab eo facta non adiuuerit ad mortem aut mutilationem aliunde prouenientem, nec vt citius contingat, non est irregularis. si tamen adiuuit vt citius contingat, quamuis percussio fuerit leuis, est irregularis, si id præuidit aut suspicatus est; quia tunc verè influit in mortem aut mutilationem; qui autem cooperatur ad mortem, percutiendo saltem vt citius contingat, est irregularis ex homicidio ex proposito, si id directè intendit, & etiam qui cooperatur ad mortem, auxiliando ad eam ex intentione, siue auxilietur tenendo instrumentum, siue illud præbendo occidendi.

17

Ita tamen ob homicidium aut ob mutilationem incurritur irregularitas, vt ad eam incurrendam non sufficiat voluntas efficax occidendi aut mutilandi, non secuto effectu, in quo Doctores conueniunt; nec sufficiat ex animo occidendi aut mutilandi apponere medium, adhuc vulnerationem, vt contra Maiolum, & alios paucos docent communiter Doctores, quia id non est occidere aut mutilare, ob quod tantum lata est irregularitas. Vnde, vt optimè Egidius disp. 18. num. 60. ille, qui aliquem lethaliter vulnerauit, non est irregularis, quando sic vulneratus aliàs tormēto aut aliter disceptus ita subito occiditur, vt ratione prioris vulneris non moriatur citius: & ita requiritur homicidium ad irregularitatem, vt non sufficiat destructio aut abortus procuratus fœtus nondum animati; & ita ad irregularitatem requiritur mutilatio, seu membri abscissio, vt non sufficiat efficere membrum omnino inutile. Dicitur autem membrum, vt contra Caietanum & Sotum docent Nauarrus cap. 27. num. 206. Couarruias in Clementina, & furiosus. part. 3. §. 8. Egidius

Egidius.

18

Nauarrus.
Couarruias.
Egidius.

disp. 18. dub. 8. & communiter Doctores, non quælibet pars, quamvis specialem habeat operationem cum membro principali, vt habet digitus, & auricula, & nasus, sed tantum illa pars, quæ ratione sui habet distinctum officium in corpore, vt manus, pes, oculus, vt indicat Apostolus 1. ad Cor. 12. dum de membris ait: *Omnia autem non eundem actum habent.* quia his verbis supponit, membrum esse, quod in corpore habet distinctum officium. Et id etiam supponitur in Iure, dum in cap. 2. de Clerico ægrotante, Clericus, cui dimidia palma abscissa erat cum duobus digitis, dicitur debilitatus, & habere membrum deformatum; quia his verbis indicatur digitos non esse membra, cum dicatur habere membrum deformatum, & non dicatur amisisse membra, & mutilatus, quod dicitur de eo qui amiserat manum in cap. *Exposuisti.* 6. de Corpore vitiat. Vnde qui abscindit digitum alterius, aut alterum castrat, non est irregularis, quia non est mutilator membri: nihilominus, qui sibi abscindit digitum, imò & partem notabilem digiti, & qui se ipsum castrat, aut se castrare permittit, est irregularis, ex peculiari dispositione Iuris in can. 5. & 11. dist. 55.

19

Qui autem percutit, aut aliam apponit causam occisioni aut mutilationem, præuidens aut suspicans mortem aut mutilationem, fit irregularis effectu secuto, quamvis ante effectum pœniteat facti, & conetur effectum impedire, quia verè est iniustus homicida aut mutilator.

DIFFICULTAS VI.

De Irregularitate ex mandato, aut ex consilio, aut ex incitatione ad homicidium iniustum, vel mutilationem iniustam.

20

Conueniunt Doctores, eum, qui mandando, aut consulendo, aut incitando, aut sua præsentia vel aliter animando, concurrat ad iniustum homicidium aut mutilationem iniustam, effectu secuto esse irregularem, vt constat ex can. *Si quis viduam.* dist. 50. & ex cap. *Sicut dignum.* 6. de Homicidio, & ex alijs Iuribus, quia verè & posituè est reus homicidij, aut mutilationis, quoad substantiam. Id tamen non est verum (quidquid nonnulli dicant) quando absque mandato, aut consilio, aut incitatione, aut animatione aliàs erat faciendum quoad substantiam: quamvis aliquo ex his quatuor modis animus delinquentis fuerit auctus ad id faciendum, aut inductus ad id faciendum citius vel crudelius; quia tunc dicto modo cooperans, quamvis sit cauta distincti numero actus, non influit in homicidium aut in mutilationem quoad substantiam, sed tantum quoad modum. Vnde quando multi simul aggrediuntur aliquem, si occidatur, omnes sunt irregulares, quamvis vnus tantum percutiat, quia reliqui sua aggressionem animando & defendendo percutientem, eum adiunarunt. quod est verum, quidquid dicat Sayrus lib. 7. cap. 4. num. 13. non tantum quando præmissò consilio, sed etiam quando subito aggrediuntur, si percutiens aliorum aggressionem fuit animatus aut defensus: ac proinde in bello iniusto omnes milites, quamvis sint plura millia, & etiam omnes custodientes sarcinas, fiunt irregulares, quamvis vnus tantum occidat aut mutilat, quia

21

quilibet assistentiâ aliorum animatur, & custodiâ adiuuatur. Non ergo placet Ægidius num. 98. qui, quando sunt plura millia, id tantum limitat ad quinquaginta, vel ad centum ex circumstantibus occidentem aut mutilantem.

Ille autem qui suadet absque auxilio & cooperatione mutilationem ei qui intendebat occidere, vt non occidat, non est irregularis, adhuc secuto effectu, vt aduertunt communiter Doctores, quia tunc non peccat. Et idem est, quando suadet mitiorem occisionem ei qui crudeliorem intendebat patrare.

Addimus contra Nauarrum cap. 27. num. 233. & contra Ægidium disp. 18. & contra plures alios, vt optimè Vasquez 1. 2. disp. 100. n. 45. & Henriquez c. 16. mandantem, aut consulentem aliquem vt occidat alterum (& idem est de mutilatione) non esse irregularem, adhuc ex homicidio casuali, etiam si mandatarius, aut consultarius, seu consilium accipiens, occidatur ab altero quem inuadit, quia in Iure non est lata irregularitas, nisi ob mandatum aut consilium, quo quis mandat aut consulit aliquem, vt vel se ipsum vel alterum occidat, secuto effectu. In præsentem autem casum mandans aut consulens non mandat nec consulit inuadentem occisionem ipsius, sed alterius, sicut nec mandatarius aut consultarius se ipsum occidit (quamvis constituatur in occasione & periculo vt occidatur ab altero, & ob id peccet contra fortitudinem, quando id umet prudenter) quia verè non apponit causam ex se ordinatam ad homicidium, & independentem à voluntate aliena, quod erat necessarium vt diceretur se ipsum occidere.

22
Nauarrus.
Vasquez.
Henriq.

Obseruandum est, vt aduertit Ægidius disp. 14. num. 180. mandantem, & etiam consulentem, qui ita efficaciter reuocat mandatum aut consilium, vt mandatarius aut consultarius iam non moueatur mandato aut consilio, non incurrere irregularitatem ob homicidium aut mutilationem, factam à mandatario aut à consultario, quamvis mandatarius aut consultarius id perpetret, motus vel quia iam id semel decreuit, vel alio nouo motiuo; quia tunc mandatum aut consilium non influit in delictum (quamvis fuerit aliqua occasio, quando fit, quia semel decretum fuit) quia tunc delictum non procedit ex voluntate illa, cuius ipse mandans aut consulens fuit causa; tunc autem mandans reuocat efficaciter mandatum supradictò modo, nempe vt exinde non moueatur, quando mandatario seriò notificat reuocationem; quia in mandato agitur res mandantis, & in eius gratiam, & vt ei placeatur; ac proinde cognitâ oppositâ voluntate mandantis, eius mandatum delinit esse & mouere. Consulens verò regulariter (quamvis non semper) reuocat efficaciter consilium supradictò modo, quando sufficienter impugnat rationes, quibus persuasit, aut oppositum simpliciter, vel rationibus suadendo, si simpliciter consilio absque ratione persuasit. Quod si mandans aut consulens nequeat efficaciter reuocare mandatum aut consilium, erit irregularis, effectu secuto, & ante executionem effectus tenebitur ex iustitia ad cauendum effectum, nempe mortem aut mutilationem, siue monendo eum cui imminet periculum, siue aliter, vt fugiat damnum quod ipsi imminet.

Ægidius.

23

24

DIFFICULTAS VII.

Vtrum ob ratihibitionem homicidij (& idem est de mutilatione) incurratur Irregularitas.

25 **P**rocedit hæc difficultas de ratihibitione homicidij facti nomine ratihabentis, seu in gratiam illius, quia aliter certum est non incurri.

Nauarrus. Nauarrus cap. 27. num. 233. quem non pauci sequuntur, partem affirmatiuam tuetur; quia dicta ratihibitio retrahitur, & æquiparatur mandato, vt constat ex Reg. 10. Iuris, in 6. sed ob mandatum homicidij incurritur irregularitas, ergo etiam ob dictam ratihibitionem.

Couarruias. Couarruias verò 2. part. §. 1. num. 4. (quem sequuntur Henriquez lib. 14. cap. 16. & Egidius disp. 18. num. 72.) partem negatiuam tradit, & meritò: quia ratum habens homicidium non est causa illius, cum supponat illud iam factum; irregularitas autem hæc tantum est contra eos qui sunt causa homicidij.

26 **Q**uod autem in dicta Regula 10. dicitur, ratihibitionem retrahi, & mandato comparari, est verum quoad culpam; & idem etiam potest ei comparari quoad pœnam, si superior velit, vt verè voluit respectu percussione Clerici factæ in gratiam ratihabentis, quoad pœnam excommunicationis, in cap. *Cum quis.* 23. de Sententia excommunicationis, in 6. quoad pœnam verò irregularitatis non est ita præscriptum in Iure.

DIFFICULTAS VIII.

De Irregularitate ex homicidio, aut ex mutilatione iniusta à casu factis.

27 **I**lle dicitur à casu & præter intentionem occidere aut mutilare (quamuis voluntariè) quando id non intendit directè, nec vult causam cum qua inseparabiliter coniungitur, sed quando vult causam ex qua euenit mors aut mutilatio contingenter & separabiliter, & non appositam ex intentione mortis aut mutilationis.

Conueniunt Doctores, ob homicidium casuale (& idem est de mutilatione) quando est voluntarium (id est, quando est præuisum in causa, saltem ex suspitione, & non fuit adhibita prudens diligentia) incurri irregularitatem, vt constat ex cap. ultimo de Homicidio, in 6. & ex alijs capitulis de Homicidio, in Decretalibus, quamuis occidens aliàs det operam rei licitæ; & non incurri irregularitatem, quando occidens habuit ignorantiam aut inaduertentiam inuincibilem, aut probabilem, & homicidium fit dando operam rei aliàs licitæ, vt constat ex cap. *Dilectus.* & ex cap. *Significasti.* 16. & ex cap. *Ioannes.* 23. de Homicidio.

Est tamen difficultas Primò, An incurratur irregularitas ob homicidium factum omnino à casu, seu omnino ignoranter, saltem probabiliter;

quando factum fuit dando operam rei aliàs illicitæ, vt illicitæ venationi.

Caietanus 2. 2. q. 64. art. 9. Siluester v. *Homicidium.* 2. num. 2. quos non pauci Iuristæ sequuntur, partem affirmatiuam tuentur; quia in dictis capp. *Dilectus.* & *Ioannes.* dicitur, ob quædam homicidia omnino casualia, de quibus in eis fit mentio, non fuisse incursum irregularitatem, cum non fuerint facta dando operam rei illicitæ; ergo à contrario sensu, si fuissent facta dando operam rei illicitæ, incursum esset irregularitas, quod Nauarrus cap. 27. num. 237. limitat, vt sit verum, quando fit homicidium omnino à casu, dando operam rei illicitæ ex se tendenti ad homicidium, vt dando operam iniustæ verberationi, aut alij percussioni iniustæ, vt deducitur ex cap. ult. de Homicidio, in 6.

Henriquez verò lib. 14. cap. 15. & Egidius num. 80. partem negatiuam tradunt, quam inueniat Vasquez 1. 2. disp. 100. num. 39. & disp. 124. cap. 2. & meritò: quia, vt dicitur in cap. *Is qui.* 18. de Sententia excommunicationis, in 6. irregularitas non incurritur, nisi in casibus Iure expressis, in nullo autem Iure expressum est, homicidium esse irregularem ob homicidium omnino casuale, quamuis factum dando operam rei illicitæ, etiam ex se tendenti ad homicidium, quia in duobus dictis capp. *Dilectus.* & *Ioannes.* adductis ab aduersarijs, tantum definitur, non esse irregularem ob homicidium omnino casuale factum, non dando operam rei illicitæ.

Addendo autem Pontifex dando operam rei illicitæ, non supponit à contrario sensu, ob homicidium omnino casuale factum, dando operam rei illicitæ, incurri irregularitatem; tum quia id non addit absque causa, sed ob duas, nempe & quia in casibus sibi propositis ita contigit, & supponebatur; & quia, iuxta doctrinam omnium, certum erat, tunc homicidium non imputari ad culpam: tum etiam, quia argumentum à contrario numquam est efficax, præsertim in materia odiosa, quæ potius est restringenda quam amplianda, & maximè in materia irregularitatis, quam constat non incurri nisi in casibus Iure expressis. Et in cap. illo ultimo, adducto à Nauarro pro sua limitatione, in quo est sermo de homicidio causato ex verberatione ex se tendente ad homicidium, non est sermo de homicidio omnino casuali, sed formidato, seu suspicato, quia est sermo de homicidio secuto ex verberatione, quam quidam mandauit fieri, & ex qua timuit posse sequi homicidium verberato; quia verberantibus præcepit vt ita eum verberarent, vt non occiderent. Illis ergo verbis dicti cap. *Inde debuit cogitare posse homicidium euenire,* non significatur, id non aduertisse seu cogitasse, aut timuisse, cum præcepit verberantibus vt non occiderent, sed non ita practicè & efficaciter cogitasse, vt curaret de præcauendo periculo homicidij, quod timuit posse euenire.

Ratio autem, ob quam ob homicidium omnino casuale, cuius scilicet nulla præcessit suspicio aut dubitatio, vt euenire potest, quamuis factum dando operam rei illicitæ, adhuc tendenti ex se ad homicidium, non incurratur irregularitas, est, quia ob homicidium, quod aliquo modo saltem indirectè non est voluntarium seu liberum, non incurritur irregularitas: homicidium

28

Caietanus.
Siluester.

29

30

31

dium autem omnino casuale, cuius nulla præcessit suspicio nec dubitatio, ut euenire potest, quamuis ortum ex actu illicito, adhuc ex se tendente in illud, nullo modo est voluntarium, cum nullo modo sit præcognitum nec in se, nec in sua causa, cognita saltem suspiciosè ut causa.

Nauarrus.

Id verò quod addit Nauarrus cap. 27. num. 223. nempe eum, qui percussit aliquem non letaliter, fieri irregularem, si mors sequatur, quamuis ex malo regimine infirmi, aut ex imperitia Chirurgi, falsum est, ut aduertunt Suarez disp. 45. sect. 6. & Egidius num. 86. quia quamuis percussio illa sit occasio, ut ex intemperantia, aut ex labore percussit, aut ex vento, corrumpentibus vulnus, aut ex medicamine nociuo applicato, percussus moriatur; est tamen occasio adeò remota, ut ob eam non dicatur percussus occidisse, nec proximè iuuasse ad mortem, sed tantum dicatur dedisse occasionem remotam, & ex ea mortem fuisse originatam. Nihilominus qui vulnus non letale infligit alicui, dicitur occidisse partialiter, seu iuuasse ad mortem, quando aliud ex se non letale ab alio inflictum superuenit, & ex utroque vulneratus moritur: imò quando superueniens est ex se letale, si primum iuuauit ad citius moriendum; & ideò uterque est irregularis, si uterque quando vulnerauit, timuit posse inde mortem euenire.

Suarez.
Egidius.32
Sayrus.
Amla.

Id tamen quod addunt Sayrus lib. 7. cap. 4. & Auila disp. 6. sect. 3. dub. 2. nempe eum esse irregularem, qui præbet arma sciens, aut timens esse ad iniuste occidendum, quamuis verum existimemus, quando ea præbet ex intentione homicidij, quia tunc verè dicitur occidere iuuando ad illud, imò id pertinet ad homicidium ex proposito, quia assumit medium utile ad occisionem ex intentione occisionis; id tamen difficile existimamus, quando ea præbet absque intentione homicidij: quia tunc non dicitur occidere, nec ad id iuuare, quia tunc tantum tribuit arma quibus occidens possit benè & malè uti absque intentione mali vsus, quod non pertinet ad homicidium absque dicta intentione; quia ita est utile ad homicidium, ut etiam sit utile ad alia bona; & ad summum id tantum est peccatum scandali passiuum, & contra iustitiam secundariè, & non obligans ad restitutionem damni.

DIFFICULTAS IX.

Vtrum ob permissionem homicidij (et idem est de mutilatione) incurratur Irregularitas.

33

Conueniunt Doctores, non esse irregularem eum, qui permittit seu non impedit homicidium, quando non tenetur impedire, vel quia non potest impedire, aut quia, si potest, non potest absque graui incommodo, vel aliter. Est ergo difficultas, An sit irregularis, quando impedire tenetur, quia potest, & absque graui incommodo, & absque alio titulo excusante.

Non desunt, qui generaliter affirmant, eum esse irregularem, quamuis permittat, seu non impediat absque dolo (id est, absque desiderio homicidij) quia tunc permittenti seu non impediendi homicidium est voluntarium. Id tamen limitant Co-

CONARR.

uarruias 2. par. §. 1. num. 2. & Angelus v. *Homicidium*. 1. num. 17. ut tantum sit verum, quando non impedit ex dolo; Auila verò disp. 6. sect. 2. dub. 7. id limitat, ut tantum sit verum, quando non impediens tenetur ex iustitia.

Antoninus verò 3. par. titul. 28. cap. 2. Tabiena v. *Irregularitas*. 1. §. 2. & Valquez in manuscripto, generaliter docent, non impediens homicidium iniustum, non esse irregularem, etiam si tenetur ex iustitia, & quamuis ex dolo non impediatur, & merito: quia etiam si iste non impediens influat moraliter & voluntariè in homicidium, & sit causa moralis seu voluntaria homicidij, quod non impedit; non tamen est causa positiua positiuè influens, nec opere aliquo, nec auxilio, nec consilio: in Iure autem non fertur irregularitas, nisi contra verè & positiuè, homicidas saltem, consilio aut animatione, non contra non impediens homicidium. Quod etiam est verum, quamuis occidens id efficiat ad vindicandam iniuriam illatam non impediens, quamuis non contradicenti verbis ei qui occidit; quia etiam tunc permittens seu non impediens non influit positiuè.

34
Antonin.
Tabiena.
Valquez.

DIFFICULTAS X.

Vtrum ob homicidium necessarium, seu in defensionem factum, incurratur Irregularitas.

Post Clementinam *Si furiosus*. de Homicidio, conueniunt Doctores, eum, qui se inuadentem occidit pro defensione propriæ vitæ cum moderamine inculpata tutelæ (id est, quando occidere inuadentem est necessarium ad defensionem propriæ vitæ) non esse irregularem, ut constat ex d. Clementina, quia tunc licitè occidit: quod est verum, etiam si inuadens sit furiosus & mente captus, quia etiam tunc licitè occidit. In Tridentino verò sess. 14. cap. 7. de Reformatione, ubi supponitur, ob homicidium factum in defensionem propriæ vitæ, incurratur irregularitatem, tantum est sermo de homicidio in defensionem ad ipsam non necessario, ac proinde grauius culpabili.

35

Trident.

Prædictam doctrinam veram existimamus, quamuis occidens dederit occasionem alteri ut ipsum inuadat, ut adulterando cum vxore inuadentis, aut ei dicendo verbum contumeliosum, ut contra Nauarrum lib. 5. Consiliorum, consilio 33. & contra alios docent Sotus 5. de Iustitia, quest. 1. art. 5. & Auila disp. 5. sect. 3. dub. 1. quia etiam tunc occidens licitè occidit, si nequit aliter se defendere: ob homicidium autem licitè à priuata persona factum non incurratur irregularitas, ut optimè aduertit Couarruias parte 3. §. vnico, & Suarez ubi supra, & significatur in Iure, ut Suarez expendit.

36

Sotus.
Auila.CONARR.
Suarez.

Quam doctrinam etiam veram existimamus, quamuis homicidium tantum fiat in defensionem propriorum bonorum temporalium, siue honoris, siue diuitiarum magni momenti, aut vitæ innocentis, ut contra Auilam dub. 4. & contra Nauarrum docent Suarez disp. 46. sect. 2. & 3. & Egidius disp. 18. dub. 9. quia licitè fit.

Suarez.
Egidius.

Quòd

37

Quòd si ob homicidium factum in defensionem priorum bonorù magni momenti, non incurritur irregularitas, quia licitum est; multò minùs incurretur, quando sit ne occidens mutiletur, aut aliter grauter vulneretur, quia tunc non minùs licitè sit. In dicta verò Clementina tantùm declaratur esse immune ab irregularitate homicidium factum in defensionem propriæ vitæ, quia id esse licitum, erat certum apud omnes.

Obseruandum est, vt benè Suarez & Ægidius, occidentem, qui non potuit euitare occisionem inuadentis iniustè, nisi fugiendo magno cum dedecore (vt solet esse sæcularibus non Ecclesiasticis, præsertim Nobilibus) non esse irregularem; quia tunc non tenetur cum tanto detrimento proprio vitare mortem iniustè inuadentis, nisi quando inuafus dedit causam grauem inuafioni, vt quando adulterio aut verbis contumeliæ incitauit iniuriatum ad inuafionem.

DIFFICULTAS XI.

De Irregularitate ex defectu lenitatis in Iudice, & in eius Officialibus.

38

Conueniunt Doctores, Iudicem proferentem sententiam sanguinis (id est mortis, aut mutilationis) & omnes ministros iustitiæ ad eam publica auctoritate cooperantes, vt accusatorem, testem; Aduocatatum accusatoris, & eius Procuratorem, & Tabellionem, fieri irregulares sententiæ executioni mandatâ, vt supponitur in can. 1. dist. 51. & in cap. 3. Ne Clerici vel Monachi, in 6. & in cap. 2. de Homicidio, in 6. quod etiam ex vsu & praxi communi constat: & etiam omnes alios ministros ad executionem sententiæ physicè concurrentes, vt sunt lictores, & focum struentes ad comburendos viuos, vt deducitur ex dicto canone, & constat ex communi praxi & vsu.

39

Illi tamen qui vendunt aut donant ligna ad viuos comburendos, & gladios, & funes, & alia instrumenta ad interficiendos delinquentes, non sunt irregulares, nec qui furcam erigunt, vt aduertit Ægidius num. 92. nec famuli qui à Notario dictata scribunt; quia nullus ex prædictis concurrat ad prædicta iniustè, neque vt minister iustitiæ. Quod etiam verum existimat de eo, qui donat aut vendit arma militi eunti ad bellum. Et idem docet Sayrus lib. 6. cap. 16. de famulo, qui attulit equum ministro iustitiæ, associaturo reum ad locum mortis; quia scilicet neuter ex dictis concurrat iniustè, neque vt minister publicus, seu iustitiæ. Et ob eandem rationem, qui siue voce, siue punitione, siue percussione instigat iumentum quo interficiendus vehitur, non sit irregularis, quamuis ex eo mors acceleretur, vt aduertit Henriquez lib. 14. cap. 12. num. 7. & quamuis id ex plena aduertentia efficiat, quia tunc non concurrat ad accelerationem vt minister publicus iustitiæ; sed vt priuata persona, & non iniustè; irregularitas autem ex homicidio non incurritur ob concursum ad illud, nisi aut factum à ministro publico, quamuis iustè, aut factum à persona priuata iniustè. Et ob eandem rationem de Confessario, & de quocumque alio consulente penitentem, Iudicem, & quemlibet alium Officialem publicum, etiam executorem, vt concurrant, & cirò, ad interfectionem delinquentis, dicendum est non

Ægidius.

Sayrus.

Henriq.

40

esse irregularem, etiam si Confessarius neget illis absolutionem, quia non concurrunt quando tenentur; & multò minùs fieri irregularem Prædicatorem exhortantem Iudices vt puniant delinquentes. Idem quoque dicendum est de quolibet alio idem consulente, non vt assessore, & de quocumque alio priuatim non iuridicè petente à Iudice vt occidat aliquem delinquentem: quòd mihi interroganti respondit Vasquez. In dicto enim can. 1. & in alijs locis, in quibus fit mentio dictæ irregularitatis, tantùm est sermo de Iudicibus & alijs Officialibus concurrentibus ad occisionem aut mutilationem, vt publicis personis, & ministris iustitiæ.

Vasquez.

Ægidius.

Auila.

41

Id verò quod addit Ægidius num. 96. nempe testem præcepto Iudicis obligatum, aut graui metu coactum ad testificandum, non fieri irregularem, falsum est, vt optimè Auila disp. 5. sect. 2. dub. 12. quia absque fundamento sufficiente excipitur testis ab irregularitate in eis casibus, & etiam in alijs, in quibus Iure naturali tenetur (quidquid in his dicat Auila) quia quamuis in omnibus prædictis casibus non reperiatur in teste defectus lenitatis formaliter, quia id efficit obligatus aut coactus, reperitur tamen defectus lenitatis materialiter, & indecentia, ob rigorem per se & ex obiecto repertum in cooperatione ad mortem, intuitu cuius indecentiæ lata est dicta irregularitas: sicut etiam fieret irregularis Iudex sua sententia interficiens, aut mutilans, quamuis obligatus & coactus assumeret officium, & ferret sententiam.

Nihilominùs accusator excusatur ab irregularitate, quando accusat ob læsionem factam in propria persona, aut in proprijs bonis, si ante sententiam protestetur, se non accusare ad vindictam, vt deducitur ex dicto cap. 2. de Homicidio, in 6. Et idem est, vt aduertit Ægidius, quando accusat ob læsionem factam eis qui sunt ipsi commissi, aut ei sunt ita propinqui, vt eorum iniuria ad ipsum pertinere censetur, quales sunt parentes, filij, & fratres: quod etiam est verum, quamuis protestans in eo mentiatur, & verè velit vindictam & interfectionem accusati, quia in Iure ad excusationem tantùm requiritur protestatio, quæ non excusat in teste, nec in alijs Officialibus, quia in Iure id tantùm decernitur pro accusatore.

Ægidius.

42

Clericus tamen habens iurisdictionem temporalem, non sit irregularis ex eo quòd constituat Iudicem pro causis seu criminibus capitalibus, siue in genere pro omnibus, siue in particulari pro aliquo, adhuc in indiuiduo, quamuis sequatur mors, vt constat ex dicto c. 3. Et idem est, & multò veriùs, de Principe laico: quia Clerici quoad hoc non sunt magis exempti quàm laici. Nec fiunt irregulares Ecclesiastici, qui aliquem degradatum, aut hæreseos condemnatum, tradunt brachio sæculari, vt deducitur ex cap. Nonimus. 27. de Verborum significatione, ac proinde eorum Officiales multò minùs fiunt irregulares, quia multò minùs cooperantur quàm ipsi Iudices tradentes.

43

Obseruandum est, quòd quamuis Iudex iustè mutilans fiat irregularis, non tamen Medicus aut Chirurgus, quamuis iuxta artem mutilet, & quamuis ex eo, aut ex alia curatione, præter intentionem eueniat mors, quamuis sit Clericus; quia irregularitas lata est pro Iudicibus, non pro Medicis aut Chirurgis, quamuis Clericis, etiam si Clericis

in

in sacris constitutis prohibitum sit artem chirurgiæ exercere adurendo vel incidendo, in cap. *Sententiam sanguinis*. 9. Ne Clerici vel Monachi. Medicus tamen aut Chirurgus fiet irregularis ex delicto, si culpabiliter culpa mortali ex imperitia, aut ex negligētia occidat positivè, aut mutilet.

DIFFICULTAS XII.

De Irregularitate ex defectu lenitatis in milite.

44 **C**onveniunt Doctores, eos, qui in bello iusto offensivo propria manu occidunt, aut mutilant, esse irregulares, vt supponitur in cap. *Petitio*. 20. de Homicidio; non verò eos qui propria manu id non efficiunt, quamvis pugnent, & sint Clerici, vt supponitur in eodem cap. etiam si Clericis prohibitum sit pugnare, vt constat ex 23. quæst. 8. can. 6. non tamen est illis prohibitum exhortari milites ad pugnandum, ob quod, etiam securo effectu mortis, non fiunt irregulares, vt supponitur in dicto cap. *Petitio*. quia id tantum est animare & exhortari milites, qui sunt publici ministri ad exequendam vindictam, quod non est cooperari vt ministrum publicum, nec illicite cooperari vt personam priuatam.

Addimus, in bello offensivo; quia in bello merè defensivo patriæ, ob interfectionem, adhuc factam à Clericis, propria manu, non incurritur irregularitas: imò in eo bello non est prohibitum Clericis pugnare, nec occidere, vt deducitur ex c. 2. de Immunitate Ecclesiarum.

45 Addimus etiam, in bello iusto; quia in iniusto omnes pugnantes, aut animantes, aut exhortantes ad pugnam, quamvis non interficiant propria manu, sunt irregulares, si ex suo delicto sequatur mors aut mutilatio in aduersarijs, quia verè cooperantur ad iniustum homicidium aut mutilationem. Et ob eandem rationem sunt irregulares, qui conducunt milites ad tale bellum, quidquid dicat Villadiego; & etiam qui custodiunt carcenas, quia sic custodiendo expediunt milites qui interficiunt; non verò qui assistunt ob aliquam honestam causam, videlicet vt pacem componant, vel vt cures infirmos, etiam si ex eo per accidens animus militum augeatur.

DIFFICULTAS XIII.

De Irregularitate ex defectu Sacramenti.

Bigamia est nuptiarum seu matrimonij duplicatio, quæ dicitur defectus Sacramenti; quia bigamus non perfecte repræsentat Christum qui est vir vnus tantum Ecclesiæ. Est autem triplex bigamia, alia vera, alia interpretatiua, & alia similitudinaria; & ob quamlibet ex eis incurritur irregularitas, vt constabit ex dicendis.

Vera ergo bigamia contingit, quando quis validè contraxit matrimonium cum duabus; & hanc bigamiam inducere irregularitatem, constat ex toto tit. de Bigamis.

46 Bigamia verò interpretatiua (quæ dicitur interpretatiua, quia Iure ipso censetur defectus in matrimonio sufficiens ad inducendam irregularitatem) contingit Primò, quando quis contrahit

cum prius cognita carnaliter ab altero, vt constat ex can. *Curandum*. dist. 34. vbi prædictus dicitur irregularis. Secundò contingit, quando Clericus cognoscit vxorem suam, postquam ipsa commisit adulterium, vt constat ex can. *Si cuius vxorem*. & ex can. *Si laici vxor*. dist. 34. vbi decernitur irregularis, & etiam laicus cuius vxor deprehensa fuit in adulterio, aut fuit euidenter probata adultera. Tertio contingit, quando quis verum & validum contraxit matrimonium, & postea constitutus in sacris contrahit secundum matrimonium, quamuis inualidè, vt constat ex cap. *Nuper*. 4. de Bigamis, vbi decernitur irregularis, nisi quando secundum matrimonium est nullum defectu consensus seu intentionis, vt deducitur ex ipso contextu: quam irregularitatem communiter Doctores extendunt etiam ad laicum, sed absq; expresso Iure, ob quod Ægidius num. 101. sentit, quamuis timidè, laicum inualidè contrahentem secundum matrimonium, non esse irregularem. Quarto contingit bigamia interpretatiua, quando constitutus in sacris contrahit matrimonium cum vidua, quamuis inualidè, vt constat ex cap. vltim. de Bigamis, vbi decernitur irregularis; quod non pauci extendunt ad matrimonium inualidum laici cum vidua, aut cum non vidua corrupta, immeritò tamen, vt aduertunt Henriquez lib. 12. c. 6. Auila disp. 8. & Ægidius dub. 11. quia id nullo Iure exprimitur de laico.

Bigamia similitudinaria (quæ non est vera, nec interpretatiua) contingit, quando quis post votum solemne castitatis contrahit matrimonium, quamuis cum virgine, vt constat ex can. *Quotquot*. 27. quæst. 1. vbi decernitur irregularis. Dicitur autem *similitudinaria*, quia assimilatur veræ, quæ contrahitur ob duplex matrimonium, quia per votum solemne castitatis quodammodo contrahitur matrimonium spirituale cum Deo; hæc autem bigamia & irregularitas tantum habet locum in Religioso, & non in seculari sacris initiato, vt contra Suarez disp. 49. sect. 6. & contra Ægidium aduertunt non pauci; tum quia in dicto can. *Quotquot*. vbi inducitur, tantum est sermo de Religiosis; tum etiam, quia aliàs superflue secularibus in sacris constitutis apposita esset irregularitas in dicto cap. *Nuper*. quando post vnum matrimonium validum ante ordinationem contractum, post ordinationem contrahunt aliud; quia primum matrimonium non esset necessarium ad irregularitatem, quia sufficeret contrahere post ordinationem; & etiam superflue apposita esset eis irregularitas in dicto cap. vltimo, quando post ordinationem contrahunt cum vidua; quia ad hanc irregularitatem ex bigamia similitudinaria sufficit contrahere cum virgine, vt patet in dicto can. *Quotquot*. Vterque tamen, tam secularis in sacris, quam Religiosus, qui matrimonium contrahit, incurrit excommunicationem latam ipso facto in Clementina vnica, de Consanguinit. & affinitate.

Observandum est, nullum fieri bigamum & irregularem, ex eo quod contrahat matrimonium, nisi consummetur: nec ex eo quod contrahat cum ea quæ fuit alteri nupta, nisi etiam fuerit cognita ab illo altero copula sufficiente ad consummationem, vt constat ex cap. *Debitum*. 5. de Bigamis, & ex alijs Iuribus in quibus fertur irregularitas: ad consummationem autem matrimonij requisita est intrmissio seminis intra matricem feminae.

Quia

47
Ægidius.Henriq.
Auila.
Ægidius.

48

49

Quia verò irregularitas hæc incurritur ex eo, quòd quis contrahat bis, aut contrahat semel cum corrupta ab altero, aut ex eo quòd cognouerit propriam vxorem post adulterium ab ipsa commissum; ideò ad dispensationem petendam non est necessarium explicare ter aut quater fuisse contractum, aut illud factum, vt aduertunt Auila & Egidius; & quia hæc irregularitas non est ex delicto, sed ex defectu, ideò non excusatur ab ea irregularitate, qui contrahit cum corrupta ab altero, nec qui propriam cognoscit post adulterium, quamuis ignoret corruptionem & adulterium, quidquid dicat Sà v. *Irregularitas ex bigamia.*

Auila.
Egidius.

Incurritur autem hæc irregularitas, quamuis causa bigamiæ sit ante Baptismum incepta, imò & completa, vt constat ex can. *Si quis viduam.* distinct. 34.

Oblèruandum est, irregularitatem secularis in sacris, & Religiosi contrahentium supradicto modo, non esse ex defectu, sed ex delicto, vt indicatur in dictis cap. *Nuper.* & vltim. de Bigamis, & ex se constat, & ideò ab ea poterunt excusari omnibus quibus actus, ob quem fertur, potest à mortali peccato excusari.

DIFFICULTAS XIV.

De Irregularitate ex defectu corporis.

50

Conueniunt Primò Doctores, eum, qui ad eò defectuosus est in corpore, aut est ad eò deformis, aut morbo ad eò fædo affectus, vt nequeat Ordines exercere, siue absolutè, siue sine periculo abutendi, siue sine scandalo, seu nota, siue sine horrore aliorum, esse irregularem ad suscipiendos Ordines, & post ordinationem ad eum vsum, ad quem est ineptus, vel quem nequit securè, vel sine nota, vel sine horrore exercere, ita constat ex titulo de Corpore vitiat, & ex titulo de Clerico agrotante, & ex distinctionibus 36. & 55.

Prædicto autem modo defectuosus est irregularis ad omnes Ordines suscipiendos, & non tantum ad eum ad cuius vsum est defectuosus, vt contra Egidium dub. 13. & contra Valentiam docent Toletus libro 1. cap. 63. & Auila disputatione 3. dub. 1. & deducitur ex can. *Illiteratos.* distinct. 36.

Toletus.
Auila.

51

Vnde carens pollice est prædicto modo irregularis, quia absolutè non potest celebrare; & qui habet digitos ad eò debiles, vt sine periculo nequeat Hostiam aut calicem eleuare; & qui caret oculo aliquo, aut naso, aut est nimis gibbosus, quia nequeunt absque graui nota ministrare: & ob eandem rationem qui caret visu sinistro, si nequit nisi turpiter ad Missale conuerti, & qui est nimis leprosus, quia iste nequit absque graui horrore ministrare.

Circa hermaphroditum conueniunt Doctores, eum, in quo præualet sexus femineus, esse irregularem, quia credi potest ex Christi institutione esse incapacem characteris, sicut feminam; quia non est simpliciter vir, sed tantum secundum quid; & idem creditur de eo in quo vterque sexus censetur aequalis; quia est vir

secundum quid, sicut & femina secundum quid. Est tamen difficultas, An is, in quo præualet sexus virilis, qui creditur capax characteris, sit irregularis.

Henriquez lib. 14. c. 8. & Auila disp. 3. dub. 5. docent esse irregularem, ob monstruositatem. Toletus verò vbi supra, & Turrecremata docent, non esse irregularem, & meritò, quia ex nullo Iure deducitur. Quòd autem sit monstruosus, non obstat; quia quamuis sit talis, & publicè notus, potest absque graui nota ministrare, sicut potest eunuchus à natura, & qui in pede habet sex digitos.

52
Henriquez.
Auila.
Toletus.
Turrecremata.

Conueniunt Secundò Doctores, priuatum testiculis & virilibus (quamuis ea non deferat secum) & quacumque alia parte corporis, adhuc membro, non esse irregularem, si aliàs defectus non impediatur vsum Ordinis, aut securitatem in eo, nec afferat notabilem deformitatem, vt constat ex cap. 3. 5. & 7. de Corpore vitiat, & ex aliis Iuribus.

Quòd est verum, vt aduertit Egidius nu. 108. licet quis patiatur eos defectus sua culpa à Iudice, aut à marito vxoris cum qua inuenitur, aut aliter; secus est quando quis virilia, aut testiculos, aut membrum sibi abscindit, aut propria sponte sibi abscindi permittit, vt constat ex canone vndecimo, distinct. 55. imò & qui partem notabilem digiti aut alicuius membri sibi abscindit, aut sibi abscindi permittit, vt contra Sotum 5. de Iustitia questione 2. artic. 1. docent communiter Doctores, & constat ex canonibus quinto & vndecimo, distinct. 55.

Egidius.

Conueniunt Tertio, eum, cui deficit ætas à Iure requisita, non posse ordinari, vt patet, nec posse Ordinem ante eam ætatem, quamuis bona fide susceptum, exercere, quia susceptio Ordinum in eà ætate prohibetur, vt exactè & decenter exercentur; ac proinde etiam exercitium prohibetur, & generaliter eo ipso quòd alicui ob aliquem defectum, aut crimen prohibitum est aliquem Ordinem aut aliquos suscipere, etiam est ei prohibitum eum Ordinem aut eos exercere (nisi quando in Iure oppositum significatur) quia Ordinis susceptio prohibetur ob ipsius Ordinis vsum seu exercitium.

53

DIFFICULTAS XV.

Utrum qui fuit à demone arreptus, aut in furiam incidit, sit irregularis.

Conueniunt Doctores, eum qui semel fuit à demone arreptus, aut in furiam incidit ex cerebri indispositione, numquam posse ordinari, etiam si liberetur, vt constat ex canonibus tertio, quarto, & quinto, distinct. 33. secus est de phrenetico aut furioso ex vi morbi, aut vulneris, aut ira, transeuntium, quia isti statim ac desinunt esse tales, nullatenus sunt irregulares, vt aduertit Auila disputat. 3. dub. 4. & Egidius dub. 13. imò nec qui morbo caduco laborat, quando præsentit accidens quo impeditur vsum Ordinis, quia tunc morbus iste non exponit periculo abutendi Ordine.

54

Quòd si quis post ordinationem à demone arripiatur, nequit ministrare, nisi sit omnino liber,

Auila.
Egidius.

& post vnum annum discretionem Episcopi inuentus sit liber, vt decernitur in can. 3. distinct. 33. Qui verò post ordinationem incidit in furiam ex cerebri indispositione, aut in morbum caducum, poterit ministrare, si possit absque periculo cadendi: imò quamuis sit aliquod periculum, si raro cadat, & non euomat spumas, poterit, adiuncto socio qui possit Missam perficere, si fortè post consecrationem inceptam corripiatur morbo.

DIFFICULTAS XVI.

Vtrum illegitimus sit irregularis.

Conueniunt Doctores, illegitimum esse irregularem, nisi fiat Religiosus, quia tunc potest ordinari, sed non promoueri ad Prælaturam, vt quoad omnia hæc constat ex cap. 1. de Filiis Presbyterorum. Quod verum est, vt contra Castro docent communiter Doctores, quamuis id sit occultum, vt deducitur ex c. *Nisi cum pridem*. 10. de Renuntiatione.

Dicitur autem illegitimus, qui procreatus est ex parentibus inter quos non erat matrimonium validum. Excipitur procreatus ex parentibus inter quos matrimonium fuit nullum ob aliquod impedimentum, quod fuit bona fide saltem vnius contractum, & in facie Ecclesiæ, qui est legitimus, vt constat ex cap. *Cum inter*. 2. & ex c. *Ex tenore*. 14. Qui filij sint legitimi: & qui natus fuit illegitimus, legitimitur, si subsequatur matrimonium inter eius parentes, inter quos non erat impedimentum dirimens quando concipiebatur, vt constat ex cap. *Tanta*. 6. Qui filij sint legitimi. Irregularitas hæc ex illegitimatione proueniens, dicitur irregularitas ex defectu natalium.

Est tamen difficultas, An in dubio, an quis sit illegitimus, censeretur debet irregularis.

Auila. *Egidius.* Auila disp. 3. dub. 10. & Egidius dub. 12. negant, quia in dubio nemo debet condemnari, nec a se, nec ab alio: imò addunt, filium publicè præsumptum legitimum non teneri credere matri dicenti esse illegitimum, nisi aliæ circumstantiæ id probent.

Vasquez. *Couarru.* *Toletus.* Vasquez verò 1. 2. disp. 66. nu. 48. Couarruias & Toletus lib. 1. cap. 52. affirmant, & meritò, ne se exponat periculo faciendi contra prohibitionem irregularitatis.

Quòd autem dicitur, neminem in dubio esse condemnandum, tantum est verum de pura condemnatione seu pœna, non verò de condemnatione seu pœna quæ est prohibitio, ob rationem dictam.

Vasquez. *Toletus.* Vnde expositi censendi sunt irregulares, vt contra dictos aduersarios, & contra alios docent Vasquez & Toletus.

DIFFICULTAS XVII.

Vtrum seruus seu mancipium sit irregularis.

Conueniunt Doctores, seruos seu mancipia non posse ordinari ante manumissionem, vt constat ex distinct. 54. & ex tit. de Seruis non ordinandis. Si tamen seruus ante manumissionem ordinetur domino sciente, & non contradicente, statim fit liber, vt constat ex can. *Si seruus*.

distinct. 54. Imò si ordinetur Diaconus aut Presbyter, quamuis domino inscio, fit liber, vt constat ex can. *Ex antiquis*. distinct. 54. quod in cap. *Miramur*. 7. de Seruis, etiam extenditur ad Subdiaconum. Episcopus tamen fraudis conscius tenetur duplum reddere domino, & Episcopo ad id tenetur qui Episcopum ad id induxerunt, si fraudis fuerint conscij, vt constat ex can. *Si seruus absente*. distinct. 54. Quòd si nullus præter ipsum seruum sit in culpa, si non sit Presbyter, tenentur vel substitutum conferre, vel iustum pretium; aliàs restituendus est domino in seruitutem: si verò Presbyter sit, priuandus est peculio; & si peculio careat, tenetur satisfacere in ministeriis sui officij, vt constat ex can. *Frequens*. & ex can. *Ex antiquis*. distinct. 54.

DIFFICULTAS XVIII.

Vtrum obligatus ad ratiocinia sit irregularis.

Conueniunt Doctores, obligatos ad ratiocinia non posse ordinari ante desertionem officij, & ante rationem redditam, vt constat ex c. vnico, de Obligatis ad ratiocinia, & ex can. 3. dist. 54. Dicuntur autem obligati ad ratiocinia, qui exercent officium publicum sæculare, vel administrationem publicam rerum sæcularium, vt Iudices, Tabelliones, depositarij publici, tutores, curatores, & procuratores, qui tenentur rationem reddere vel actionum quas fecerunt, vel rerum quas administrarunt, qui dicuntur Curiales, & sub hoc nomine prohibentur ordinari can. 2. & 3. distinctione 51.

Excipiunt Toletus libro 1. cap. 60. & plures alij, vt ordinari possit deserto officio ante rationem redditam, & qui exercuerunt administrationem circa personam priuatam, vt tutores, nisi eis obiiciatur coram Iudice fraus, seu dolus. Immeritò tamen eos excipiunt, vt aduertit Suarez disputatione 51. sect. 3. quia in dicto cap. vnico, vt ordinari possint, vtrumque requiritur indistinctè in quocumque officio, ex quo oritur obligatio reddendi rationem, vt patet ex ipso contextu in quo ponitur exemplum in tutore & in curatore.

Prædicti tamen post desertionem officij, & rationem redditam possunt ordinari ante solutionem debiti pecuniarij relictæ ex officio; quia solutio nullibi requiritur.

Addimus, officium sæculare, vel administrationem rerum sæcularium; quia Iudices & officiales Episcoporum, & administratores rerum Ecclesiasticarum, imò rerum piarum, quamuis sæcularium, vt sunt res personarum miserabilium, ordinari possunt, in quo Doctores conueniunt, & deducitur ex can. vltimo, distinct. 86. & ex can. 1. distinct. 88.

Vsu tamen receptum est, Consiliarios Regis in tribunalibus ad iudicandas causas ciuiles posse ad Ordines promoueri, & promotos idem officium exercere.

DIFFICULTAS XIX.

De Irregularitate ex defectu anime.

61 **C**onueniunt Primò Doctores, neophytos (id est recenter baptizatos in adulta ætate) non posse ordinari, vt deducitur ex can. 1. & 2. dist. 48. & ex can. *Neophytus*. distinct. 61. quod est verum etiam quoad Ordines minores, vt contra Toletum libro 1. cap. 64. & contra alios aduertunt Auila disputatione 4. dub. 4. Suarez & alij, & deducitur ex dicto can. *Neophytus*. Dicitur autem adultus recenter baptizatus (& consequenter neophytus) ille, post cuius conuersionem nondum sunt transacti decem anni; quia iste talis non potest dici conuersus ante multum tempus, sed recenter: potest tamen neophytus, adhuc neophytus, id est intra decem annos, ordinari, si post aliquod tempus sui Baptismi ita profecit in fide & in moribus, vt arbitrio Episcopi sit quasi veteranus Christianus, vt significat Toletus, & deducitur ex dicto can. *Neophytus*. Post decem verò annos à suo Baptismo desinit esse irregularis, sicut desinit esse neophytus.

Auila.
Suarez.

Toletus.

Conueniunt Secundò, illiteratos seu ignorantes non posse ordinari, vt constat ex can. *Illiteratos*. dist. 36. & ex cap. *Cum in cunctis*. 7. de Electione, & ex cap. vlt. de Tempore. ordinat. in 6. & consequenter semel ordinatos, quamuis bona fide, non posse Ordines exercere, quia prohibentur ordinari ob exercitium seu vsum Ordinum, quem illiterati non possunt decenter efficere. Quæ autem scientia ad primam tonsuram & ad quemlibet Ordinem prærequiritur, traditur in Tridentino sessione 23. cap. 4. & 13. & 14. de Reformatione.

62

Trident.

Conueniunt Tertio, ob pœnitentiam solemnem incurrit irregularitatem, vt constat ex can. *Placuit*. & ex c. *Quicumque*. dist. 50. & ex can. *Pœnitentes*. dist. 55. & ex can. *Infames*. causa 6. Quia tamen pœnitentia hæc iam non est in vsu, ideo irregularitas hæc iam non habet locum.

DIFFICULTAS XX.

Quomodo tollatur Irregularitas.

63 **C**onueniunt Primò Doctores, in rigore per Baptismum nullam tolli irregularitatem, quia ante Baptismum nulla incurritur (quamuis ante ipsum sint defectus, & committantur crimina ob quæ fertur irregularitas contra baptizatos) quia irregularitas est impedimentum Ecclesiasticum, quod nondum baptizatos non afficit, cum non sint Ecclesiæ subiecti.

Nihilominus qui ante Baptismum contraxit defectum aliquem, ob quem imposita est baptizatis irregularitas, vt defectum Sacramenti, aut lenitatis, aut infamiam Iure ipso annexam officio, aut punitioni publicæ, si talis defectus post Baptismum perseueret, sit statim post Baptismum irregularis, cum post Baptismum habeat talem defectum, & iam sit capax irregularitatis, quod de bigamo definitum est in can. *Si quis viduam*. dist. 34. Et ob eandem rationem Index, aut miles, qui ante Baptismum contraxit defectum lenitatis occidendo aut mutilando, fiunt post Baptismum irregulares, vt contra Sayrū l. 7. c. 13. & contra Auilā disp. 10. du. 2. docent Villadiego c. 1. vers. *Deinde quæro*. & alij; quia scilicet post Baptismum perseuerat defectus lenitatis.

Villadiego.

64 Qui verò ante Baptismum commisit delictum,

ob quod lata est irregularitas, non fit irregularis post Baptismum, quod de homicida iniusto supponitur in can. *Si quis viduam*. dist. 50. & generaliter de omni delinquente in can. *Si quis viduam*. dist. 34. & satis congruenter, quia vt in hoc canone dicitur, in Baptismo omnino dimituntur delicta. Excipimus tamen delicta ob quæ fertur irregularitas non ob ipsa crimina secundum se, sed ob ipsam infamiam eis Iure annexam (quale est crimen læsæ Maiestatis) quia eis delinquens fit irregularis, quia post Baptismum manet affectus infamia Iuris ob quam lata est irregularitas, & non ob ea crimina secundum se. Quam exceptionem Suarez disp. 48. sect. 2. extendit ad irregularitatem, ortam ex infamia Iure annexa officio & punitioni, quando non baptizatus eam infamiam contraxit degens inter Christianos Iure Christianorum, non quando eam contraxit degens inter non baptizatos eorū Iure, quia infamia hæc pro nihilo sit habenda.

Suarez.

Conueniunt Secundò Doctores, professione solemnī, aut alio æquivalente (vt emissionē trium votorum simplicium in Societate Iesv post biennium) quo quis verè efficitur Religiosus, tolli irregularitatem prouenientem ex defectu natalium, seu ex illegitimatione, non quoad Prælaturam, sed quoad Ordines, vt constat ex c. 1. de Filiis Presbyterorū. quod Sotus dist. 25. q. 1. ar. 3. & alij ex consuetudine extendunt ad omnem irregularitatem, excepta homicidij voluntarij, & bigamiæ, sed absque sufficienti fundamento, & ideo communiter Doctores oppositum tenent. Verum est, statu Religioso faciliorem effici dispensationem cuiuscumque irregularitatis, vt deducitur ex cap. 2. Qui Clerici vel vouentes.

65

Conueniunt Tertio, omnem irregularitatem tolli dispensatione superioris, quam summus Pontifex potest absque dubio concedere, quia omnis introducta est Iure tantum Ecclesiastico, in eo autem omni Pontifex dispensare potest.

Episcopis autem in Tridentino sess. 24. c. 6. de Reformatione, conceditur, vt possint dispensare in omnibus irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto, excepta proueniente ex homicidio voluntario directè, seu ex proposito, & exceptis iam deductis ad forum contentiosum: quod nonnulli extendunt ad irregularitatem prouenientem ex defectu occulto natalium, quia prouenit ex delicto occulto parentum; sed absque fundamento, quia non prouenit nisi ex puro defectu; quia quauis parentes filium illegitimum sine peccato in amentia generarent, etiam fieret irregularis.

66

Potest ergo Episcopus dispensare in irregularitate proueniente ex mutilatione occulta, quamuis ex proposito facta, vt declarauit Congregatio Cardinalium, quia mutilatio distincta est ab homicidio; & etiam in irregularitate proueniente ex homicidio casuali: censetur tamen casuale non tantum quod est indirectè commissum, sed etiam quod est commissum directè excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, & etiam quod est commissum ex subita ira, quamuis directè & plenè voluntariè; & tale etiam quoad dispensationem reputant nonnulli homicidium factum legitima auctoritate, sed absque fundamento; quia istud non prouenit ex delicto. In irregularitate tamen ex hoc homicidio proueniente dispensare possunt, qui habent priuilegium dispensandi in omni irregularitate, excepta ea quæ oritur ex bigamia, &

Congreg.
Cardin.

67 ea quæ oritur ex homicidio voluntario; quia per istud homicidium intelligitur homicidium iniustum. Potest quoque Episcopus dispensare cum illegitimo ad minores Ordines, & ad beneficium simplex, cui non sit annexus Ordo sacer, ut constat ex cap. 1. de Filiis Presbyterorum.

Auila. Nomine autem Episcopi, ut aduertit *Auila* disput. 10. dub. 5. etiam intelliguntur Abbates aut Priores, qui in diœcesi aliqua habent iurisdictionem Episcopalem; quia absolutio & dispensatio de quibus loquitur Tridentinum, pertinent ad potestatem iurisdictionis, quam habent prædicti; & non intelliguntur Prælati Religionum erga suos subditos, nec eo indigent, quia habent specialia priuilegia ad id.

Henriquez. Auila. Et nomine delicti occulti in dicto decreto, ut docent *Henriquez* lib. 14. c. vlt. & *Auila* disp. 10. dub. 6. intelligitur id quod distinguitur à publico; ac proinde occultum in eo dicitur, quod quamuis sit probabile per testes, non tamen est publicum, quia nec est notorium, nec manifestum, nec famosum; quia quando non est publicum, cessat scandalum, quod dicta limitatione vitare intendit Tridentinum. Notorium dicitur, quod est notum aut confessione rei in iudicio, aut sententia Iudicis irreuocabili, aut euentia facti, qua euidentis est maiori parti viciniæ aut communitatis, in qua ad minus habitant decem. Manifestum dicitur, de quo est fama in maiori parte viciniæ aut communitatis, orta à scientibus. Famosum verò, quando est fama in maiori parte dictæ communitatis, orta non ex scientia, sed ex iudiciis & præsumptionibus.

68 Et nomine irregularitatis deductæ ad forum contentiosum, in qua nequit Episcopus dispensare, intelligitur illa, super qua aut super cuius delicto trahitur quis ad tribunal, quousque absoluitur ab instantia. Addit autem *Auila* dub. 7. Episcopus posse dispensare in irregularitate, postquam iudicium est finitum, & delictum punitum, licet iam ob id supponatur delictum notorium, & merito; quia tunc dispensatione irregularitatis non turbatur tribunal Iudicis, quod vitare intendit Tridentinum dicta exceptione.

Auila. Obseruandum est, non eo ipso quod in Bulla Cruciatæ, aut in Iubileis, aut in aliis priuilegiis

conceditur facultas absoluendi à quibusuis censuris, & pœnis, & sententiis, concedi facultatem tollendi irregularitatem, non solum eam quæ contrahitur ex defectu (in quo omnes conueniunt) sed neque eam, quæ contrahitur ex delicto, ut contra *Cordubam* in Summa q. 28. & contra alios aduertunt *Henriquez* libro 14. cap. 17. & *Villad.* cap. vltim. tum quia irregularitas, cum non sit ligamen seu vinculum potestatis, seu potius quasi impotentia, non tam auferitur solutione seu absolutioe, ad quam tantum conceditur facultas in dictis priuilegiis, quam dispensatione: tum etiam, quia irregularitas, etiam quæ provenit ex delicto, non est censura, nec pœna, ut diximus *Difficul. 1.* nec sententia, quia solo Iure inducitur seu fertur, & non verâ sententiâ.

Tandem irregularitas cessare potest absque dispensatione, & absque ablatione, solo lapsu temporis, cessante causa ob quam incurta est, ut irregularitas ex infamia facti, quæ cessat mutatione vitæ aut loci, & etiam irregularitas ex infamia Iuris, si hæc per sententiâ aut aliter euanescat, & irregularitas ex defectu corporis, & ex mortuo, quæ etiam cessat cessante eo defectu & eo morbo (excepta ea quæ provenit ex morbo caduco, & ex furia, ratione dispositionis organorum, ob peculiarem dispositionem Iuris in can. 3. 4. & 5. dist. 33.) & irregularitas ex seruitute, & irregularitas ex obligatione ad ratiocinia, quæ etiam cessant cessantibus seruitute & dicta obligatione; & irregularitas ex illegitimatione cessat eo ipso, quod illegitimitas cessat per subsequens matrimonium. Irregularitas quoque proveniens ex defectu ætatis, & ex defectu scientiæ, cessant per legitimam ætatem, & per acquisitionem scientiæ; & irregularitas proveniens ex eo quod sit quis recenter baptizatus, cessat lapsu decem annorum, quo desinit esse recenter baptizatus, & sic de aliis.

70 Illæ verò irregularitates non cessant solo lapsu temporis, sed tolluntur, & non absque dispensatione, quorum causæ non cessant ut irregularitates quæ incurruntur, aut ex eo quod quis commisit aliquod crimen, v.g. homicidium, vel hæresim, vel reiterationem Baptismi, vel exercitium Ordinis in statu censuræ, aut ex eo quod occidit vel mutilauit auctoritate publica, vel fuit bigamus. & sic de aliis.



INDEX TRACTATVVM
DISPV TATIONVM
ET
DIFFICVLTATVM,
QVÆ IN TRIBVS HIS TOMIS
DE SACRAMENTIS
ET CENSVRIS
CONTINENTVR.

TOMVS PRIMVS.
TRACTATVS
DE SACRAMENTIS IN GENERE.
DISPV TATIO I.
De natura & essentia Sacramenti.



DIFFICVLTAS I. *Vtrum vsus nominis SACRAMENTVM, qui est apud Catholicos, sit rectus.* 5

- DIF. II. *Vtrum Sacramentum defini possit.* * ibidem.
- DIF. III. *Quid sit Sacramentum.* ibid.
- DIF. IV. *Quenam sit sanctitas quam Sacramentum significat, & cuius significatione constituitur.* 6
- DIF. V. *Vtrum ad rationem Sacramenti requiratur, quod sit signum practicum & factiuum sanctitatis.* 7
- DIF. VI. *Vtrum ad rationem Sacramenti requiratur, quod sit signum demonstratiuum sanctitatis presentis.* 8
- DIF. VII. *Vtrum significatio sanctitatis in Sacramentis sit realis, vel rationis.* ibid.
- DIF. VIII. *Vtrum Sacramentum uniuocè conueniat nouis & veteribus.* ibid.
- DIF. IX. *Vtrum omnia Sacramenta nouæ legis perficiantur rebus & verbis.* 9
- DIF. X. *Vtrum Sacramenta noua perficiantur rebus tamquam materia, & verbis tamquam forma.* ibid.
- DIF. XI. *Quomodo res & verba, quibus tamquam materia & forma Sacramenta perficiuntur, pertineant ad ipsa Sacramenta.* 10

- DIF. XII. *Vtrum verba, quibus Sacramenta perficiuntur, sint concionatoria, an consecratoria.* 12
- DIF. XIII. *Vtrum res & verba, quibus Sacramenta noua legis perficiuntur, sint determinata.* ibid.
- DIF. XIV. *Vtrum mutatio materiae & formæ Sacramentorum inualidet illa.* 13
- DIF. XV. *Vtrum variatio seu mutatio verborum, facta intentione introducendi errorem, inualidet Sacramenta.* 15

DISPV TATIO II.
De existentia Sacramentorum.

- DIFFICVLTAS I. *Vtrum institutio Sacramentorum fuerit conueniens.* 16
- DIF. II. *Vtrum post aduentum Christi in lege noua sint verè Sacramenta.* ibid.
- DIF. III. *Vtrum in lege veteri scripta ante aduentum Christi fuerint verè Sacramenta.* 17
- DIF. IV. *Vtrum ante circumcisionem in lege natura fuerint verè Sacramenta.* ibid.
- DIF. V. *Vtrum in statu innocentie futura essent Sacramenta, si Adamus non peccaret.* 18

DISPV TATIO III.
De causalitate & effectu Sacramentorum.

- DIFFICVLTAS I. *Vtrum Sacramenta nouæ legis causent gratiam ex opere operato.* 19
- DIF. II. *Vtrum Sacramenta nouæ legis causent gratiam, ut instrumenta physica.* 20
- DIF. III. *Quam gratiam conferant Sacramenta nouæ legis.* 21

INDEX TRACTATVVM

DIF. IV. <i>Vtrum omnia Sacramenta habeant vim conferendi primam gratiam.</i>	22
DIF. V. <i>Vtrum Sacramenta conferant aequalem gratiam.</i>	23
DIF. VI. <i>Vtrum Sacramenta in voto conferant eandem gratiam, quam conferunt realiter sumpta.</i>	24
DIF. VII. <i>Quando Sacramenta conferant gratiam.</i>	25
DIF. VIII. <i>Vtrum Sacramenta fictè suscepta, postea, recedente fictione, conferant gratiam.</i>	ibid.
DIF. IX. <i>Vtrum Sacramenta veteris legis iustificarent non tantum ex opere operantis, sed ex opere operato.</i>	26
DIF. X. <i>Vtrum per aliqua Sacramenta imprimatur character.</i>	27
DIF. XI. <i>Vtrum character Sacramentalis sit qualitas, an relatio.</i>	28
DIF. XII. <i>Ad quam speciem qualitatis pertineat character Sacramentalis.</i>	ibid.
DIF. XIII. <i>In quo character Sacramentalis subiectetur proximè & immediatè.</i>	29
DIF. XIV. <i>Vtrum character Sacramentalis sit indelebilis.</i>	ibid.
DISPVATIO IV.	
De causa Sacramentorum.	
D IFFICVLTAS I. <i>Vtrum possit creatura communicari potestas instituendi Sacramenta conferentia gratiam ex opere operato.</i>	30
DIF. II. <i>Vtrum omnia Sacramenta nouæ legis fuerint de facto à Christo immediatè instituta.</i>	31
DIF. III. <i>Vtrum soli & omnes homines sint ministri Sacramentorum nouæ legis.</i>	ibid.
DIF. IV. <i>Quid debeat intendere minister, vt validè efficiat & conferat Sacramentum.</i>	32
DIF. V. <i>Vtrum ad valorem Sacramenti sufficiat intentio efficiendi Sacramentum, quando præterita est.</i>	33
DIF. VI. <i>Vtrum intentio conditionata efficiendi Sacramentum sufficiat ad eius valorem.</i>	34
DIF. VII. <i>Vtrum ad valorem Sacramenti necessarium sit, intentionem ministri ferri in personam certam sine errore.</i>	36
DIF. VIII. <i>Vtrum ad valorem Sacramentorum requisita sit fides & sanctitas in ministro.</i>	ibid.
DIF. IX. <i>Vtrum in ministro requisita sit sanctitas, vt licitè administret Sacramenta.</i>	37
DIF. X. <i>Vtrum Diaconus & Subdiaconus, in statu peccati mortalis cantantes solemniter Euangelium & Epistolam, peccent mortaliter.</i>	38
DIF. XI. <i>Vtrum concionari in statu peccati mortalis, sit mortale.</i>	ibid.
DIF. XII. <i>Vtrum licitum sit accipere Sacra-</i>	

mentum ab eo, quem scio in administratione peccaturum. ibid.

DIF. XIII. <i>Qui sint capaces Sacramentorum, & An ad eorum valorem requiratur consensus in recipiente.</i>	39.
---	-----

DISPVATIO V.

De ordine & numero Sacramentorum.

D IFFICVLTAS I. <i>Quot sint Sacramenta nouæ legis.</i>	40
DIF. II. <i>Quem ordinem habeant inter se Sacramenta nouæ legis.</i>	41.

TRACTATVS DE BAPTISMO.

DISPVATIO I.

De institutione & necessitate Baptismi.

D IFFICVLTAS I. <i>Quid sit Baptismus.</i>	42
DIF. II. <i>Quæ sit materia remota Baptismi.</i>	ibid.
DIF. III. <i>Quæ sit materia proxima Baptismi.</i>	43.
DIF. IV. <i>Quæ ablutio sufficiat ad materiam Baptismi.</i>	44
DIF. V. <i>Vtrum ad valorem Baptismi, qui submersione fit, necessaria sit emersio ipsi submersioni succedens.</i>	45
DIF. VI. <i>Quanta ablutio sufficiat ad valorem seu essentiam Baptismi.</i>	ibid.
DIF. VII. <i>Quæ verba sint de essentia formæ Baptismi.</i>	46
DIF. VIII. <i>Vtrum ad essentiam formæ Baptismi necessarium sit exprimi actionem ministri, vt etiã denotetur esse actionem illius.</i>	47
DIF. IX. <i>Vtrum ad essentiam formæ Baptismi necessaria sit inuocatio explicita Trinitatis.</i>	48.
DIF. X. <i>Vtrum ad essentiam formæ Baptismi necessarium sit tres personas exprimi nominibus consuetis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti.</i>	49
DIF. XI. <i>Vtrum Sacramentum Baptismi iterari possit.</i>	50
DIF. XII. <i>Quando possit Baptismus sub conditione iterari.</i>	ibid.
DIF. XIII. <i>Quando fuerit Sacramentum Baptismi à Christo institutum.</i>	51
DIF. XIV. <i>Vtrum Baptismus sit necessarius necessitate mediæ ad salutem.</i>	52
DIF. XV. <i>A quo tempore Baptismus cæperit esse necessarius necessitate mediæ.</i>	53
DIF. XVI. <i>Quando teneatur adultus Baptismum recipere.</i>	54
DIF. XVII. <i>Vtrum Ecclesia possit determinare & præscribere tempus præcepti diuini suscipiendi Baptismum ante finem vitæ.</i>	55

DIF.

DISPUTATIONVM ET DIFFICVLTATVM.

- DIF. XVIII. *Vtrum paruuli saluari possint absque Baptismo re ipsa suscepto, & absque morte pro Christo perpeffa.* ibid. 56
 DIF. XIX. *Vtrum adulti saluari possint absque Baptismo re ipsa suscepto, & absque martyrio.* 56
 DIF. XX. *Vtrum paruuli saluari possint morte pro Christo perpeffa absque Baptismo re ipsa suscepto.* 57
 DIF. XXI. *Vtrum adulti saluari possint morte pro Christo perpeffa absque Baptismo in re & in voto.* ibidem.

DISPUTATIO II.

De Ministro Baptismi.

- D**IFFICVLITAS I. *Vtrum quilibet homo sit minister sufficiens ad valide baptizandum.* 59
 DIF. II. *Quibus conueniat ex officio baptizare.* 60
 DIF. III. *Quis ordo seruandus sit inter eos, qui tantum in extrema necessitate possunt digae & competenter baptizare.* ibid.
 DIF. IV. *Vtrum Diaconus possit solemniter baptizare.* 61
 DIF. V. *Vtrum plures simul integre baptizantes, eundem valide baptizent.* 62
 DIF. VI. *Vtrum plures diuidentes ministerium Baptismi, valide baptizent.* 63
 DIF. VII. *Vtrum vnus possit plures simul baptizare.* ibid.
 DIF. VIII. *Quanta coniunctio, seu temporis simultas inter formam & materiam Baptismi requiratur, & sufficiat ad valorem ipsius.* ibid.
 DIF. IX. *Vtrum praeter ministrum qui confert Baptismum, necessarius sit patrinus.* 64.

DISPUTATIO III.

De suscipientibus Baptismum.

- D**IFFICVLITAS I. *Vtrum omnes adulti sint capaces Baptismi.* 65
 DIF. II. *Vtrum infantes ante usum rationis sint capaces Baptismi.* ibid.
 DIF. III. *Vtrum infantes non baptizatorum valide baptizentur inuitis parentibus.* 66
 DIF. IV. *Vtrum infantes non baptizatorum possint inuitis parentibus licite baptizari.* ib.
 DIF. V. *Vtrum infantes filij non baptizatorum seruorum possint licite inuitis parentibus a domino baptizari.* 68.

DISPUTATIO IV.

De effectibus Baptismi.

- D**IFFICVLITAS I. *Vtrum per Baptismum remittantur omnia peccata.* 69
 DIF. II. *Vtrum per Baptismum etiam remittatur tota poena peccatis debita.* ibid.

- DIF. III. *Quosnam alios effectus conferat Baptismus.* 70
 DIF. IV. *An ad effectum Baptismi percipiendum requiratur aliqua contritio peccatorum.* 71
 DIF. V. *Vtrum ad gratiam iustificantem per Baptismum percipiendam in eo qui peccaret mortaliter, sufficiat contritio imperfecta.* ibidem.
 DIF. VI. *Vtrum attritio ad gratiam in adulto qui peccauit mortaliter, sufficiens debeat esse existimata contritio, & non sufficiat attritio scita.* 72
 DIF. VII. *Quae & qualis attritio sufficiat ad gratiam Baptismi in adulto qui peccauit mortaliter.* ibid.
 DIF. VIII. *Vtrum Baptismus sicte susceptus, postea, recedente fictione, conferat suum effectum gratiae.* 73
 DIF. IX. *Quid requiratur, ut Baptismus sicte susceptus reuiuiscat, & gratiam iustificantem conferat.* 74
 DIF. X. *Vtrum Baptismus reuiuiscens maiorem gratiam sibi respondentem tribuat magis attrito, aut magis contrito, aut melius disposito.* 75.

DISPUTATIO V.

De caerimoniis seu ritibus Baptismi.

- D**IFFICVLITAS I. *Vtrum caerimonia, quibus Baptismus solemniter celebratur, sint conuenientes & laudabiles.* 76
 DIF. II. *Quae caerimoniae adhibende sint in Baptismo solemniter.* ibid.

TRACTATUS

DE CONFIRMATIONE.

- D**IFFICVLITAS I. *Quid sit Confirmatio.* 77
 DIF. II. *Vtrum Confirmatio sit Sacramentum nouae legis.* ibid.
 DIF. III. *Quando fuerit Sacramentum Confirmationis a Christo institutum.* 78
 DIF. IV. *Quae sit materia remota Sacramenti Confirmationis.* ibid.
 DIF. V. *Vtrum ad valorem Sacramenti Confirmationis necessarium sit Chrisma esse ab Episcopo benedictum.* 79
 DIF. VI. *Quae sit materia proxima Sacramenti Confirmationis.* 80
 DIF. VII. *Vtrum Apostoli confirmauerint vnctione Chriasmatis.* 81
 DIF. VIII. *Quae sit forma Sacramenti Confirmationis.* ibid.
 DIF. IX. *Quos effectus tribuat Sacramentum Confirmationis.* 82

INDEX TRACTATVVM

- DIF. X. *Qui sint capaces Sacramenti Confirmationis.* 83
 DIF. XI. *Vtrum baptizati teneantur suscipere Confirmationem.* ibid.
 DIF. XII. *Vtrum solus Episcopus possit valide conferre Sacramentum Confirmationis.* 84
 DIF. XIII. *Vtrum simplex Sacerdos possit ex commissione Papae conferre Sacramentum Confirmationis.* ibid.
 DIF. XIV. *Quibus caerimoniis Sacramentum Confirmationis conferatur.* 85.

TRACTATVS
 DE POENITENTIA.

DISPVATIO I.
 De natura & essentia virtutis
 Pœnitentiæ.

- D**IFFICVLTAS I. *Quid sit Pœnitentia.* 86
 DIF. II. *Vtrum sit aliqua virtus Pœnitentiæ.* ibid.
 DIF. III. *Vtrum sit aliqua peculiaris & determinata virtus Pœnitentiæ.* 87
 DIF. IV. *Vtrum virtus peculiaris Pœnitentiæ ita sit peculiaris, ut sit distincta à iustitia, & à religione, & ab aliis omnibus.* 89
 DIF. V. *Vtrum virtus peculiaris Pœnitentiæ sit supernaturalis.* 90
 DIF. VI. *Vtrum omne peccatum sit obiectum materiale peculiaris virtutis Pœnitentiæ.* ib.
 DIF. VII. *Quod sit subiectum proximum & immediatum virtutis peculiaris Pœnitentiæ.* 91
 DIF. VIII. *In quibus sit peculiaris virtus Pœnitentiæ.* 92.

DISPVATIO II.
 De effectu Pœnitentiæ.

- D**IFFICVLTAS I. *Quid sit contritio perfecta.* 93
 DIF. II. *Vtrum contritio perfecta sufficiat ad remissionem peccatorum extra Sacramentum.* 94
 DIF. III. *Vtrum contritio perfecta expressa, absque expresso proposito non peccandi, sufficiat ad remissionem peccatorum extra Sacramentum.* ibid.
 DIF. IV. *Vtrum, ut contritio sufficiat ad remissionem peccatorum extra Sacramentum, necessarium sit, quod feratur in omnia peccata in particulari.* 95
 DIF. V. *Vtrum contritio tantum virtualis & implicita sufficiat ad remissionem peccatorum extra Sacramentum.* ibid.

- DIF. VI. *Vtrum contritio sit sufficiens ex natura rei ad iustificationem extra Sacramentum.* 96
 DIF. VII. *Vtrum contritio sit forma ex se formaliter sanctificans, & remissiva peccatorum.* ibid.
 DIF. VIII. *Vtrum contritio perfecta de facto iustificet à peccatis, ut forma.* 98
 DIF. IX. *In quo consistat contritionem perfectam esse detestationem, aut dolorem peccati super omnia.* 100
 DIF. X. *Quomodo, & quo ordine excitetur in nobis contritio perfecta.* 101
 DIF. XI. *Vtrum vnum peccatum mortale possit remitti sine alio media contritione.* ibidem.
 DIF. XII. *Vtrum in homine iusto ad remissionem venialium sufficiat actus dilectionis amicitie Dei absque expressa contritione.* 102.
 DIF. XIII. *Vtrum attritio venialium iniusto sufficiat absque Sacramento ad remissionem eorum.* ibid.
 DIF. XIV. *Vtrum reliqua opera bona iusti, distincta ab expressa contritione, & à quacumque alia dilectione Dei, & ab attritione, sufficiat ad remissionem venialium.* 103
 DIF. XV. *Vtrum Sacramentalia sufficiant in homine iusto ad remissionem venialium absque contritione eorum.* ibid.
 DIF. XVI. *Vtrum quodlibet Sacramentum sufficiat ad remissionem venialium absque contritione eorum.* 104
 DIF. XVII. *Quomodo remittatur peccatum veniale post hanc vitam in Purgatorio.* 105
 DIF. XVIII. *Vtrum peccata per contritionem, aut aliter remissa, redeant iterum de facto per subsequens peccatum mortale.* ibid.
 DIF. XIX. *Vtrum peccata semel remissa quoad culpam, possint de potentia Dei absoluta quoad eam redire per subsequens peccatum.* 106.
 DIF. XX. *Vtrum peccata integrè remissa etiam quoad dignitatem pœne aeternæ, possint quoad hanc solam de potentia Dei absoluta per subsequens peccatum redire.* 107
 DIF. XXI. *Vtrum peccata semel remissa redeant aliquo modo per subsequens peccatum.* 108
 DIF. XXII. *Vtrum ingratitude in quocumque peccato reperta, ratione cuius peccata remissa aliquo modo redeunt, sit speciale peccatum.* ibid.
 DIF. XXIII. *Vtrum merita vite aeternæ per peccatum mortale subsequens mortificata, reuiuiscant per sequentem iustificationem, media contritione aut aliter factam.* 109
 DIF. XXIV. *Vtrum merita iusti reuiuiscant in integrum.* 110
 DIF.

DISPUTATIONVM ET DIFFICVLTVM.

DIF. XXV. *Vtrum gratia habitualis per peccatum amissa, postea peccato illo per iustificationem ablato restituatur, & in integrum.*
III.

DISPUTATIO III.

De præcepto Pœnitentiæ.

DIFFICVLTVS I. *Vtrum perfecta contritio sit sub præcepto.* 112

DIF. II. *Quale sit præceptum contritionis.*
ibidem.

DIF. III. *Vtrum præceptum contritionis obliget statim, ac commissum est peccatum mortale.* 113

DIF. IV. *Quando ergo obligat præceptum contritionis.* 114

DIF. V. *Vtrum postquam quis iustificatus est à peccatis, teneatur de eisdem iterum dolere, & conteri.* ibid.

DISPUTATIO IV.

De natura & necessitate Sacramenti Pœnitentiæ.

DIFFICVLTVS I. *Ex quibus constet Sacramentum Pœnitentiæ.* 115

DIF. II. *Quid in Sacramento Pœnitentiæ sit Sacramentum tantum, quid res Sacramenti tantum, quid res & Sacramentum simul.* 116.

DIF. III. *Vtrum quodlibet peccatum sit materia Sacramenti Pœnitentiæ.* 117

DIF. IV. *Vtrum Sacramentum Pœnitentiæ possit repeti & iterari.* ibid.

DIF. V. *Vtrum Sacramentum Pœnitentiæ sit medium necessarium ad salutem.* 118

DIF. VI. *Vtrum votum Sacramenti Pœnitentiæ necessarium ad iustificationem extra Sacramentum debeat esse explicitum, an sufficiat implicitum in ipsa contritione.* 119.

DISPUTATIO V.

De Absolutione.

DIFFICVLTVS I. *Vtrum in Ecclesia sit potestas absoluendi à peccatis.* 120

DIF. II. *Vtrum potestas absoluendi à peccatis, quæ est in Ecclesia, sit absoluendi ab eis quoad culpam.* ibid.

DIF. III. *Vtrum Absolutio conferri debeat modo deprecatiuo, an indicatiuo.* 121

DIF. IV. *Quæ verba sint de essentia formæ Absolutionis.* ibid.

DIF. V. *Vtrum formæ Absolutionis possit apponi aliqua conditio.* 122

DIF. VI. *Vtrum Absolutio possit conferri absenti.* 123

DIF. VII. *Vtrum Absolutio possit valide*

per scriptum conferri. 124

DIF. VIII. *Quid significant verba Absolutionis, nempe, Ego te absoluo à peccatis tuis.* ibid.

DISPUTATIO VI.

De contritione peccatorum requisita ad effectum & ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ.

DIFFICVLTVS I. *Vtrum ad effectum Pœnitentiæ percipiendum requiratur aliqua contritio.* 125

DIF. II. *Vtrum ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ sufficiat contritio imperfecta.* 126

DIF. III. *Vtrum attritio ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ sufficiens, debeat esse existimata contritio perfecta.* ibid.

DIF. IV. *Vtrum ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ sufficiat attritio, qua pœnitens dolet se non habere dolorem peccatorum.* 127

DIF. V. *Ex quo motiuo debeat esse attritio, vt sufficiat ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ.* ibid.

DIF. VI. *Vtrum dolor ad effectum huius Sacramenti sufficiens, sit ordinis naturalis.* 128.

DIF. VII. *Vtrum dolor debeat esse omnium mortalium, vt sufficiat ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ.* ibid.

DIF. VIII. *Vtrum ex defectu doloris Sacramentum Pœnitentiæ possit esse informe.* 129

DIF. IX. *Vtrum Sacramentum Pœnitentiæ informe operetur postea suum effectum, recedente fictione.* 130

DIF. X. *Vtrum dolor ad Sacramentum Pœnitentiæ necessarius debeat præsupponi ad confessionem.* 131.

DISPUTATIO VII.

De præcepto confessionis Sacramentalis.

